UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate || Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625


urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

Visual Library

Th. 1437.

C. IV, 8. b

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

LVDOVICI DE PONTE VALLIS-OLETANI, SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

DE CHRISTIANI HOMINIS PERFECTIONE

In Qvolibet Eivs Vitæ Genere, Officiisqve Reipubl. Secularis, Ecclesiasticæ, ac Religiosæ:

Nominatim verò Secvlaris.

TOMVS II.

A R. P. MELCHIORE TREVINNIO, EIVSDEM Societatis Iesv *Religioso, Latinè conuersus.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Kinckivm sub Monocerote.

ANNO M. DC. XXV.

Permissu superiorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TOMO SECVNDO

AGITVR DE PERFECTIONE CHRISTIANI HOMINIS IN QVOLIBET EIVS VITÆ GENERE, OFFICIISQVE REIPVBLICÆ SÆCVLARIS, ECCLESIASTICÆ, ac Religiosæ; nominatim verò Sæcularis: cuius erunt quinque Tractatus.

1. *De Prouidentia Dei in distribuendis Statibus, Officijs, vitæq; conditionibus Reipublicæ Christianæ; & de propria cuiusque earum perfectione.*
2. *De eiusdem Dei prouidentia circa tentationes occurrentes contra omnium Statuum perfectionem: deq; ratione eas superandi.*
3. *De perfectione eorum, qui Christianam Rempublicam præcipuè Sæcularem gubernant.*
4. *De perfectione in gubernanda familia; & in communi agendi modo inter Superiores, & inferiores: atque inter pares.*
5. *De MATRIMONII & Viduitatis Statibus; & propria cuiusque perfectione.*

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. VVOLFGANGO VVILHELMO, COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM; COMITI IN VELDENZ, SPONHEIM, Marchia, Rauenspurg & Mörs, Domino in Rauenstein, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

AFFECTVS ille tenerior, qui pijs subditis, erga Principes suos Catholicos innatus est, me iam antè commouit, SEREN.^me PRINCEPS, vt in publica Catholicorum, de Optatissima Seren.^tis T.^æ ad Fidem conuersione, concepta lætitia, rationes eiusdem conuersionis, typis meis (quò ad plurium manus, non sine fructu peruenirent) euulgarem; & postmodum, cùm eædem rationes, addita fusiori explicatione tanquam FVNDAMENTA MVRI CIVITATIS Sa.^tæ recudendæ forent, easdem, sub nullo alio, quàm sub Seren.^tis T.^æ nomine, in cæterorum manus venire exoptârim. Ser.^mi Neoburgici conuersio. Anno. 1614.

Nunc verò, noua denuò, ex inauguratione Neoburgica ac Ducalis sacelli consecratione, concepta lætitia, animos mihi rursus addidit, vt eundem illum affectum absens licèt, ac magnâ locorum intercapedine seiunctus, nouo item obsequio, ac munusculo chartaceo declararem. Submisi itaque, tanquam legatos honorarios, quatuor egregia Reipub. à DEO benè constitutæ temperatæ lumina atque columina, duos Reges ex veteri, ac totidem Imperatores ex nouo Testamento (quos in ipso libri Frontispicio exprimendos curaui) vt vel ipso eorum conspectu, Seren.^tas T.^a ad officium sibi à Deo commissum perfectiùs exequendum, non leuiter excitetur.

Salomon. Io. Pineda in libris 6. de Salom.

Cernet enim animo atq; in memoriam reuocabit. In Salomone diuiuam electionem, sapientiam, felicitatem, magnificentiam, diuitias, populi amorem (quàm diu Deo adhæsit) aliaque bona plena manu à Diuinitate in ipsum collata.

2. Paral. 17.

Iosaphat.

In Iosaphato videbit pietatem eximiam, fortitudinemque admirabilem, ex Dei fiducia conceptam, qua lucos, & excelsa, à multis anteà Regibus, contra verum Dei cultum permissa penitus sustulit, & missis per totum regnum Leuitis, qui subditos Legem Dei docerent, virisq; Principibus, qui illis authoritatem facerent, adiunctis, mirabilem sui amorem, in toto Dei populo suscitauit.

Baron. to. 3. Constantinus.

Anno 324.

In Constantino verò, primo Christianorum (quod ad publicam professionem, & liberam Fidei promulgationem spectat) Imperatore, mirari poterit, non tantùm fauores illos diuinos, quibus euidenti sæpè miraculo, contra Imperij, fideiq; hostes ac Tyrannos adiutus est, sed multò magis pietatem quandam ac munificentiam singularem, qua Ecclesias plurimas, ac præcipuè Romanam (in qua Fidem, Baptismumque susceperat) infinitis propè bonis, priuilegijsque dotauit.

Baron. to. 9. Carolus Magnus.

Bar. 28. Ian. Tabulæ Eccl. Aqu.

At in Carolo Magno, seu potius, vt eum Baronius vocandum censet, Ter Maximo Imperatore (ad quem non pauci, Bavaricæ Domvs stirpem deducunt) eximia religio, doctrina, fortitudo bellica, liberalitas, aliæque virtutes viro Principe dignæ ita relucent, ob Ecclesias erectas, fundata monasteria, Academias excitatas, fidemque Christianam multis locis vel primo inductam, vel denuò restitutam stabilitamque, vt eum Beati titulo fulgentem, Germaniæ nostræ Apostolvm multi deprædicent.

Horum itaque, tanquam Legatorum honorariorum, in hac communi lætitia, comspectu, confido Seren. tem T. am ad omnes boni Principis partes, & maximè ad antiquam pietatem, Deique cultum reuocandum, commotum iri. Ad quod non parum conferet, & donum ipsum, quod offerunt, & signum, quod præferunt. Donum est P. Lvdovici De Ponte Soc. tis Iesv Theologi, viri doctissimi pariter, atque pijssimi Opus, in quo, de Perfectione Christiana ita disseritur, vt qui illum attentè

legerit,

legerit, & obligationem, qua ad perfectionem consequendam tenetur, multò clariùs intelligat; & media, rationesque, quibus ad eam (etiam in statu politico ac seculari constitutus) peruenire possit planè, dilucideque pro cuiusque captu propositas atq; explicatas inueniat, sic enim ille, priori Tomo, diuinæ Vocationis vim, dignitatem, varioſque gradus ac fructus persequitur, vt interim Perfectionem, quæ in Baptismo ac Confirmatione homini infunditur, non taceat; vti nec illam, quæ in Pœnitentia, ad perfectam reformationem confertur, intactam relinquit: sed præcipuè in eximia illa ac planè cœlesti SS. Eucharistiæ efficacitate, velut omnium gratiarum fonte explicanda, ita multus est, vt admirabiles eius effectus ob oculos ponat, quos effectus tum in sacris Ministris, ad officium suum disponendis, ORDO, tum in omnibus Christianis ad extremam illam luctam cum humani generis hoste subeundam, EXTREMA VNCTIO vehementer augent, conseruant, atque consummant.

Primi Tomi Summarium.

In posteriori verò Tomo, mirabili Ecclesiæ seu Reipublicæ Christianę (quę tam varijs gradibus constat) pulchritudine ante oculos posita, in intimos illos diuinæ prouidentiæ recessus, qua vnumquemque ad statum sibi conuenientem mirabiliter deducit, ac contra tentationes occurrentes munit, iucundè admodū ingreditur; explicata tum priuatæ Oeconomiæ, inter Dominos, seruos, æqualeſque informandos ratione, tum publica politicæ administrationis forma, virtutibusq, in ea necessarijs, vt quiuis ad Perfectionem sibi propositam tendat. Eos tandem, qui in statu Matrimonij, ac Viduitatis versantur (nam aliorum statuū informationem, in alios Tractatus consultò distulit) ita doctè, piè, sapienterque Exemplis ex S. præcipuè Scriptura propositis, virtutibusque coniugum atque officijs explicatis informat, vt eo perlecto, multis ad perfectionem Christianam pro suo statu consequendam, calcar additum iri mihi certò persuadeam.

Secundi Tomi contenta.

Quibus omnibus Coronidis loco accedat, fulgens illlud Sacrosanctæ CRVCIS vexillum, quod manu præfert Constantinus, cum celebri illa inscriptione: IN HOC SIGNO VINCE! Tibique

Euseb. l. 2. Vit. c. 7. Gretserus de cruce l. 1. c. 72.

Signum S. Crucis.

biq́ue ſimul, ſi Dei atque Eccleſiæ cauſſam ages, fiduciam preſtabit, vt omnes tibi obiectas difficultates, tandem aliquando, cœleſti diuini numinis ope protegente, perfringas atque exuperes. Omnes verò fideles tibi ſubditi communem illam precem, quã populus, militesq́; pro ſalute Conſtantini Imperatoris fundebant, ſolenni hac formula conceptam: *Abs te precamur, vt C. I. quàm diutiſſimè nobis ſaluum & victorem conſerues*, tibi pariter apprecabuntur, orabuntque vt Seren.tas T.a ſalutari Viuificæ

Euſeb. l. 4. vit. 19.

CRVCIS vexillo munita, hoſtes omnes ſuos, tandem aliquando fœliciter, ac cum multorum ſalute deuincat.

PRÆPOSITI PROVINCIALIS FACVLTAS.

GASPAR DE VEGAS, *Prouinciæ Castellanæ Societ.* IESV *Præpositus Prouincialis, ex particulari admodum* R. P. CLAVDII AQVAVIVA *Præpositi nostri Generalis commissione mihi concessa, facultatẽ concedo vt liber* DE PERFECTIONE HOMINIS CHRISTIANI *in quolibet vitæ genere, argumento sumpto ex sacra* RVTH *historia, a* P. Ludouico de Ponte *compositus, & grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinatus & approbatus, typis euulgetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, Sigilloq; officii nostri munitas dedimus. Vallis-Oleti, die 24. Martii, Anni 1611.*

GASPARVS DE VEGAS Prouincialis.

APPROBATIO.

EX mandato Serenit. Vestræ perlegi Librum Patris Ludouici de Ponte è Societate IESV, de PERFECTIONE CHRISTIANI in omnibus eius Statibus, & vitæ generibus: quem iudico continere doctrinam tum valdè sanam, tum valdè piam; omnibusq; hominum Statibus vtilissimam: neque quicquam in eo reperi, quod Sanctitatem, ac Pietatem non redoleat. Quare existimo, Vestram Serenit. meritò facultatem daturam, vt in lucem edatur. Datum apud S. Philippum Madridij, die 18. Maij, Anni 1611.

MAGISTER CHRISTOPHORVS *de Fonseca.*

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV.

CVM *ex mandato Sacræ Cæsar. Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis ac aliis quamcunque librariam negotiationẽ exercẽtibus, seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquã libros vllos à Societatis Nostræ Patribus hactenus editos aut imposterũ edendos intra S. Rom. Imperii Regnorum & Dominiorum suæ Cæs. Maiest. hæreditariorum fines, simili, aliove charactere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clam seu palam citra supradictorum Patrum consensum acte stimonium audeat, vel præsumat: Ego* HENRICVS SCHERENVS *Societat.* IESV *per Rheni Prouinciam Prouincialis: concedo* IOANNI KINCKIO *facultatem excudendi Tomos quatuor R. P. Ludouici de Ponte Vallis-Oletani è Societate* IESV *Theologi,* DE CHRISTIANI HOMINIS PERFECTIONE IN QVOLIBET EIVS VITÆ GENERE *à R. P. Melchiore Treuinnio latinè conuersos. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & Sigillo nostro munitum dare voluimus. Colon. 21. Februarii, Anno 1615.*

HENRICVS SCHERENVS.

INDEX

INDEX CAPITVM TRACTATVS PRIMI, TOMI SECVNDI.

DE Prouidentia Dei, circa distributionem Statuum, Officiorum, & vitæ rationum, quæ sunt in Repub. Christiana, ac de cuiusque propria perfectione. 3

CAP. I. Diuinam Sapientiam constituisse magnam Statuum, & Officiorum varietatem in Ecclesia & Repub. Christiana, in bonum commune & particulare ipsorum Christianorum. ibi.

§ 1. *Excellentia diuini huius Consilij ac dispositionis.* 6

§. 2. *Dei consilium & dispositio in Remp sæcularem.* 10

CAP. II. Christum Dominum Nostrum peculiarem habere curam Statuum & Officiorum corporis sui mystici, hoc est Ecclesiæ: & ipsummet exemplar esse perfectionis cuiusque illorum; & quænam hæc sit. 13

§. 1. *Perfectio Statibus omnibus communis.* 16

§ 2. *Specialis variorum Statuum perfectio.* 18

CAP. III. Occulta Dei Prouidentia in distribuendis Statibus & vitæ rationibus: & plurimum referre in Electionibus nostris eius præscriptum sequi. 23

§ 1. *Quantum referat, Diuinæ Prouidentiæ ordinem sequi.* 25

§. 2. *Quid illud sit, in quo censemur diuinæ Prouidentiæ ordinem sequi.* 29

CAP. IV. Dei Prouidentia circa varias inclinationes, talenta, & vocationem ad varios status. 33

§. 1. *Vocationis & Electionis Diuinæ vestigia sunt, Inclinatio, & Talentum ad vitæ Status, eorumque Ministeria.* 34

§. 2. *Naturalis Talenti ad Status & Ministeria Ecclesiæ exiguitas.* 36

CAP. V. Tria specialia media, quibus Deus voluntatem suam & electionem æternam ad aliquos status manifestat: præcipuè ad gubernationem. 39

§. 1. *Electio ex reuelatione, aut præcepto.* 40

§. 2. *Vocatio ex electione aliorum.* 43

CAP. VI. Consultationes ineundæ ad cooperandum Prouidentiæ Dei, eiusque voluntatem cognoscendam in electionibus Statuum & Officiorum. 46

§. 1. *Quæ sint considerandæ vt bona sequatur electio.* 49

§. 2. *Quodnam consilium, & à quibus accipiendum.* 54

CAP. VII. Omnes debere esse contentos eo statu, quem Prouidentia Diuina illis dederit: & in eo posse illos perfectionem obtinere, si suis dotibus benè vtantur. 58

§. 1. *Confirmatur exemplo Angelorum quemlibet suo Statu contentum esse oportere.* 60

§. 2. *In omni Statu acquiri posse perfectionem.* 63

§. 3. *Insepelientes Talenta.* 67

CAP. VIII. Dei Prouidentia in distribuendis corporis Dotibus, Familiarum; Nationum aliarumq; sortium varietatibus: & omnes debere sua sorte contentos

tentòs esse. 69
§.1. *De bonis & dotibus corporis.* 70
§.2. *Vnde bonorum temporalium sortes commendentur.* 73
§.3. *Regiones & loca habitationis magnam habere affinitatem cum varietate Nationum.* 76

CAP. IX. Dei prouidentia in distribuendis diuitijs & paupertate, eiusque per vtrasque consolatio & perfectio, & ratio eam consequendi pro diuitibus & pauperibus. 77
§.1. *Paupertatis sors.* 78
§.2. *Sors diuitiarum.* 80
§.3. *Timor & Fiducia diuitum.* 84

CAP. X. Dei prouidentia in distribuendis propensionibus, ingenijs, ac dotibus ad varias scientias: & qua ratione illæ sint cum virtutibus coniungendæ. 86
§.1. *Quod omnes debeant esse sua sorte contenti.* 88
§.2. *Qua ratione scientiæ cum virtutibus sint coniungendæ.* 91

CAP. XI. Occultam Dei prouidentiã elucere in distributione graduum virtutum, & gratiarum ad præclara, & prodigiosa facinora efficienda: & charitatem esse super omnia. 95
§.1. *Varia gratiæ in bonum aliorum.* 98
§.2. *Charitas, & varia eius opera.* 100

CAP. XII. Deum Dominum Nostrum distribuere suas vocationes ad extraordinarios sanctitatis modos: & quod genus personarum ad eos eligat.
§.1. *Qua ratione extraordinariæ vocationes communicentur.* 105
§.2. *Quibus hæc Dei studia & fauores ostendantur aut negentur.* 109

CAP. XIII. Periculum esse in modis vitæ, extraordinarijs: & nostras electiones versari debere circa ordinarios. 113
§.1. *De ingenijs excelsis & arrogantibus.* 115
§.2. *In electione Status non esse refugiendum ad res extraordinarias quas consequi non possumus.* 117

CAP. XIV. Elenchus omnium ordinariorum mediorum ad magnam Sanctitatem in quocunque statu consequendam. 119

INDEX CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

DE Prouidentia Dei circa communes tentationes, aduersus omnium Statuum perfectionem, ac de ratione eidem occurrendi 113

CAP. I. Indicantur summatim tum dæmonis tentationes, tum Dei ad easdem vincendas auxilia. ib.
§.1. *Lustrationis vtriusque effigies duabus S. Ioannis Euangelistæ visionibus delimeatur.* 116
§.2. *De bellico apparatu, quo nos prouidentia Diuina ad resistendum Draconi præmunit.* 118

CAP. II. Dæmonis tentationes à Diuina Prouidentia limitari in magna electorum commoda: & quænam hæc sint. 132
§.1. *Prædicta confirmantur adductis in medium aliquot Iustorum exemplis.* 134

CAP. III. Aliæ causæ cur Deus tentationes permittat, licèt multi succumbant: & cur alij vincant, alij pereant? 140
§.2. *Causa cur alii eisdem tentationibus succumbant, & pereant, alii easdem profligent, ac saluentur.* 143

CAP. IV. Arma aduersus tentationes præparanda: & lux prudentiæ ad occultas agnoscendas. 146
§.1. *Hæc arma in Sacra Scriptura inueniri.* 148
§.2. *Præparatio contra occultas tentationes.* 151

CAP. V. Tentationes internæ ex parte imaginationis, & sensualitatis, eiusque propensionum: & ratio eas vincendi. 154
§.1. *Prauæ cogitationes.* 155
§.2. *Sensualis appetitus passiones.* 158
§.3. *Horrendæ imaginationes.* 161

CAP. VI. Pugnæ contra tres vehementes appetitus, voluptatum, diuitiarum, & honorum: & qua ratione Christus D.N. eos vicerit, & adhuc vincat in nobis. 163

CAP. VII. Primas pugnas & congressus esse contra carnis concupiscentiam, & voluptates, quæ & libidinem fouent: & ratio eas vincendi. 167

CAP. VIII. Oculorum concupiscentiam, curiosum scilicet sciendi desiderium ac proprium iudicium, radicem esse multarum tentationum contra fidem, & Christianam perfectionem: & qua ratione illæ vincendæ. 173
§.1. *De serpente qui est secundus tentator.* 176

CAP. IX. Tentationes ex concupiscentia diuitiarum: & ratio contra eas pugnandi. 181
§.1. *Vberior malorum ex cupiditate manantium consideratio.* 186
§.2. *Quomodo ex veneno cupiditatis theriaca contra eandem sit conficienda.* 189

CAP. X. Tentationes à superbia vitæ & ambitione excellentiæ & honoris huius mundi exortæ: & ratio pugnandi contra eas. 191
§.1. *Primus gradus Ambitionis.* 194
§.2. *Alij Ambitionis gradus.* 197
§.3. *Remedia contra hæc tentationes.* 200

CAP. XI. Tentationes inuidiæ, & ratio eas vincendi. 203
§.1. *Inuidiæ grauitas & malitia considerantur.* 206
§.2. *Pugna contra Inuidiam, eamque ex pugnandi modus.* 208

CAP. XII. Furiosæ tentationes Iræ & Impatientiæ: earumque radices & remedia. 212
§.1. *Iræ radices ac remedia.* 215
§.2. *Aliqua practica remedia.* 218

INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.

DE Perfectione Reip. circa communem agendi modum inter Maiores & Minores, & AEquales: ac in gubernatione Familiarum. 221

CAP. I. Reip. Perfectionem & felicitatem duabus inniti columnis, VERITATI & VIRTVTI. 221

CAP. II. Maiores, Minores, & AEquales debere suis obligationibus satisfacere: & cum Christiana charitate, & humanitate mutuò inter se agere. 225
§.1. *Salutationes & mores, siue comitas in agendo.* 227

CAP. III. Reuerentia & obedientia subditorum ac domesticorum ad Superiores ac Dominos suos: & quam exactam Apostolus eis commendet. 231

CAP. IV. Ratio gubernandi Familiam; cum famulis agendi & eisdem de temporalibus rebus necessarijs prospiciendi. 336
§.1. *Nihil iubent legi Diuinæ aut rationi contrarium seruis esse imperandum.* 237
§.2. *Saluti corporis & animæ subditorum esse consulendum.* 239

CAP. V. Ratio qua Domini spirituale Familiæ suæ bonum procurare; singulisque bonæ vitæ exemplo prælucere debeant. 241
§.1. *Idola esse amolienda.* 243
§.2. *Exhortatio Dominorum subditos adificat.* 146

CAP. VI. Ratio & modus quo Domini Familiæ suæ vitia corrigere, ac punire debeant, absque nimia seueritate: aliorum ad id opera adhibita. 248
§. 1. *Præscribitur correctionis methodus, ne vltra limites feratur.* 250

CAP. VII. Sinceritatem ac prudentiam in aliorum gubernatione & commercio simul coniungendas: ne temerè quis iudicet, aut etiam se decipi sinat. 254
§. 1. *Temeraria iudicia, & aduersus eadem remedia.* 255
§. 2. *De cautela adhibenda, ne quis decipiatur.* 259

CAP. VIII. De varietate & fidelitate in verbis ac promissis, omnis mendacij fraudisque genere reiecto. 260
§. 1. *De veritate in verbis sita.* 261
§. 2. *Fidelitas in promissis adimplendis.* 264

CAP. IX. Perfectio in loquendo benè de proximis absque adulatione: cautè autem coram esse laudandos. 268
§. 1. *Laudes in absentia.* 270
§. 2. *Laudes in præsentia.* 273

CAP. X. Tres improbæ linguæ, quæ malè de alijs in præsentia & absentia loquuntur, pacemque ineptis narrationibus turbant: & ratio, qua quisque eas in se ipse contineat. 276
§. 1. *Quæ trium linguarum sit pernitiosissima.* 276
§. 2. *Aduersus murmurationes.* 279
§. 3. *Susurri & ineptæ delationes.* 281

CAP. XI. Qua ratione reprimendi & corripiendi sint detractores, & qui aliorum defectus solicitè inquirunt, & quando liceat eos prodere. 283
§. 1. *Declarantur prædicta exemplo filiorum Noe.* 381
§. 2. *In duobus casibus manifestandos esse occultos aliorum defectus.* 787
§. 3. *Contra indiscretas Interrogationes.* 289

CAP. XII. Qua ratione se gerere debeat is, quem alius laudat, aut calumniatur & quando expediat ipsis calumniantibus & murmurantibus rationem de rebus suis reddere. 291
§. 1. *Rationes vincendi in hisce conflictibus.* 291
§. 2. *Superiores contra se ortas murmurationes impedire & amouere tenentur.* 294

CAP. XIII. Plurimum referre ad concordiam, & mutuum cum omnibus commercium conseruandum, valdè melancholiam, aut valdè cholericam naturam moderari, & pertinacem aut vindictæ cupidam domari. 296
§. 1. *Prima familiaritatis proprietas.* 298
§. 2. *Secunda familiaritatis proprietas.* 299

CAP. XIV. Quasnam discordias efficiat acceptio personarum in mutuo hominum commercio, aut sibi, quod optimum est, absque iusta causa vsurpare: & qua ratione illæ impediantur. 303
§. *De duplici alia discordiarum radice.* 305

CAP. XV. De Perfectione Charitatis in tollendis discordijs, & præsertim litibus: quantum in illis periculi sit, quibusque in casibus licitæ sint. 309

CAP. XVI. Opera Liberalitatis & Misericordiæ, quibus Reipub. perfectio conseruatur: & eadem extendenda esse ad egenos, peregrinos, & aduenas. 313
§. 1. *Hæc opera Liberalitatis exemplis ab Apostolo insinuatis confirmantur.* 315
§. 2. *Omnium Rerumpublicarum ad duas præcipuas reductio.* 318

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

DE Perfectione Statuum & Officiorum insigniorum, eorum qui Rempub. Christianam, præcipuè sæcularem gubernant. 310

CAP. I. Perfectionem Christianam debere maximè prælucere in supremis capitibus, & Gubernatoribus Reipublicæ: & duo tituli siue nomina, quibus illi ad eam procurandam tenentur. 320
§. 1. *Reges & Principes teneri ad Perfectionem.* 322
§. 2. *Alijs rationibus prædicta declarantur.* 326

CAP. II. Perfectionem in ijs qui gubernant esse difficilem: & inniti debere Humilitati cum Magnanimitate coniunctæ: mortificata superbia. 329
§. 1. *Humilitas Principum & Magnatum.* 331
§. 2. *Magnanimitas cum Humilitate.* 333

CAP. III. Liberalitatis & Magnificentiæ discretio, ne incidat in extrema prodigalitatis aut auaritiæ. 336
§. 1. *Tres sumptus in quibus splendet magnificentia.* 338
§. 2. *Auaritia Principum damna.* 340

CAP. IV. Honestas, Temperantia, & Moderatio Principum est mortificatio minarum deliciarum, & occupationum ordinatio. 344
§. 1. *Secundum documentum pro sedanda concupiscentia.* 346
§. 2. *De superandis Luxuriæ filijs.* 348

CAP. V. Principes & Gubernatores debere seruare lges, & operam dare vt subditi seruent, suamq; gubernationem eò dirigere. 35
§. 1. *Tria præscribuntur Regibus documenta pro assequenda perfectione.* 351
§. 2. *Procurandam esse à Regibus inter subditos legu diuinæ obseruationem.* 354

CAP. VI. Iustitia, zelus, & Fortitudo, in obseruatione legum: & dandam esse operam, vt omnes eas seruent: adferuntur exempla vndecim insignium virorum ad hæc comprobanda. 316
§. 1. *Zelus & eius actus.* 318
§. 2. *Zelosorum exempla circa legum custodiam.* 319
§. 3. *Exempla zelantium obseruationem legum in alijs.* 362

CAP. VII. Christianam gubernationem fundari debere in charitate cum mansuetudine, clementia, & misericordia: locum tamen zelo ipsi dandum. 365
§. 1. *Charitas in gubernatione.* 367
§. 2. *Misericordia, Mansuetudo, & Clementia.* 370

CAP. VIII. prudentiam in omni gubernatione esse necessariam, præcipuè in totius Reipublicæ communi, & media ad eam obtinendam. 373
§. 1. *Species & actus Prudentiæ.* 317
§. 2. *Varia media ad prudentiam obtinendam.* 378
§. 3. *Alia media magis particularia.* 380

CAP. IX. Gubernatores opus habere prudentibus consiliarijs: & quas dotes ac talenta habere illi debeant vt sint perfecti. 382
§. 1. *Numerus & Qualitas Consiliariorum.* 384
§. 2. *Spiritum sanctam septem suis donis adiuuare consiliarios.* 384

CAP. X. Suprema Reipublicæ capita teneri Iudices constituere, qui iustitiam administrent, & quibus dotibus ornati illi esse debeant vt sint perfecti. 391
§. 1. *De obligationibus ad quas tenentur Reges in electione Iudicum* 392
§. 2. *De Iudicum proprietatibus.* 394

CAP. XI. Perfecta ratio Iustitiam administrandi, & Iudices attendere debere vt ipsorum ministri & officiales muneribus suis benè fungantur, iniurias omnes præuenientes. 398
§. 1. *Substantia Iudicij.* 99
§. 2. *Ratio & modus cum perfectione iudicandi.* 401
§. 3. *Quid sit superioribus Iudicibus erga suos officiales faciendum.* 405

CAP. XII. Fortitudinem Gubernatoribus omni tempore pacis & belli esse necessariam: eandem verò inniti fiduciæ in Deum. 408
§. 1. *De duobus præcipuis Fortitudinis actibus.* 410
§. 2. *De Fiducia eiusq; excellentia.* 412
CAP. XIII. Perfectionem Christianam posse etiam in militia inueniri: & Religiosum Statum cum tribus suis votis: Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, in Ordinibus militaribus ad eam iuuare. 416
§. 1. *Religionem paupertate Spiritus, Castitate, & Obedientia, perfectionem hanc*

adiuuare. 419

CAP. XIV. Varia media Fortitudinem & Fiduciam in Deum conseruandi, in variis gubernationis & militiæ euentis: & quid sit in Reipublicæ calamitatibus faciendum. 422

§. 1. *Quid sit agendum in calamitatibus Reipublicæ.* 427

CAP. XV. Regula quædam valdè perfectè viuendi in quolibet statu & officio, ex præcedentibus Tractatibus collecta. 429

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVINTI.

DE Statibus Matrimonij & viduitatis, & vtriusque perfectione. 435

CAP. I. Matrimonij institutio & leges: quòd quà Sacramentum, dat coniugibus Christianis gratiam ad propriam sui status perfectionem consequendam ibid.

§. 1. *Leges, Officia, & Finis Matrimonij.* 436

§. 2. *Matrimonium quà est Sacramentum.* 439

CAP. II. Prouidentia Dei circa vocationem & electionem status Matrimonij, & varia circa illas documenta. 442

§. 1. *Matrimonium Patriarchæ Isaac cum Rebecca.* 444

§. 2. *De Matrimonio Tobiæ & Saræ.* 449

§. 3. *Ruth cum Booz coniugium.* 450

CAP. III. Conditiones ad Matrimonium celebrandum, & sacramentum hoc dignè suscipiendum necessariæ. 452

§. 1. *Coniugem probatæ virtutis esse quærendam.* 455

§. 2. *De alijs quibusdam Matrimonii conditionibus.* 453

CAP. IV. Perfectus amor & concordia coniugum: media quibus illa conseruatur. 460

§. 1. *Extrema huius amoris vitiosa.* 461

§. 2. *In quibus rebus coniugum amor debeat prælucere.* 463

§. 3. *Alia media concordiæ inter coniuges seruandæ.* 467

CAP. V. Coniugalis Castitas, Adulterij grauitas, & nimia zelotypia. 470

§. 1. *Adulterij grauitas.* 475

§. 2. *Eiusdem delicti vberior explicatio.* 473

§. 3. *Nimia zelotypia.* 476

§. 4. *Zelus Dei aduersus adulteros.* 478

CAP. VI. Castitatem coniugalem à pulchritudine & ornamento corporis impugnari, ab animæ verò pulchritudine conseruari. 480

§. 1. *Pulchritudo non profligare sed conseruare debet castitatem.* 482

§. 2. *Modestia in cultu & ornatu externo.* 484
CAP. VII. Quomodo vir perfectè caput vxoris esse, eamque perfectè regere; hæc verò illi subesse, & obedire debeat. 487
§. 1. *Subiectio & obedientia vxorum.* 491
§. 2. *Quanti hæc subiectio referat.* 495

CAP. VIII. Dei prouidentia circa coniuges in danda eis prole: & ratio eam educandi, vt bona illa & perfecta euadat. 498
§. 1. *Moderatus in filios amor.* 499
§. 2 *Parentum cura erga filios.* 501

CAP. IX. Progressus fit in eodem argumento, adductis aliquot documentis ad bonam filiorum educationem, & nominatim constitutis pijs ac peritis Pædagogis & Magistris. 505
§. 1 *Bona filiorum educatio S. Tobiæ exemplo ostenditur.* 508
§. 2. *Padagogi & Præceptores Puerorum.* 510

CAP. X. Quomodo filij se erga Parentes & fratres, nurus erga suas socrus, & cognati affinesque inter se gerere debeant. 513
§. 1. *Huius præcepti fauores, vel maledicta.* 515
§. 2. *Ex huius præcepti obseruatione amor & concordia oriuntur.* 517

CAP. XI. Familiæ gubernatio præcipuè ex parte perfectæ coniugis. 521
§ 1. *Perfectæ vxoris excellentia.* 522
§. 2. *Prædicta confirmantur exemplo Ruth.* 527

CAP. XII. Coniuges posse excellentem perfectionem consequi, mortificatis nimijs rerum huius vitæ affectibus: certisque temporibus orationi incumbendo. 530
§. 1. *Coniugum mortificatio.* 531
§. 2 *Coniugum exercitium Orationis.* 533
CAP. XIII. Qua resignatione coniuges viduitatem à Deo immissam accipere debent, & status huius bona. 536
§ 1. *Bona viduitatis.* 539

CAP. XIV. Quas virtutes potissimum colore debeant viduæ, vt sui status perfectionem acquirant. 542
§. 1. *Oratio & occupationes viduarum.* 543
§. 2. *Prædicta confirmantur exemplo sanctarum viduarum.* 546

FINIS

AVTHOR

AVTHOR PIO LECTORI.

QVAMVIS stupenda sint valdè paternæ DEI Dñi nostri prouidentiæ consilia in peccatorũ iustificatione, iustorumq; profectu, & perfectione, quã diuinis suis vocationib⁹ exequitur per quinq; Sacramẽta, de quibus in primo Tomo est actũ: nõ sunt tamen minus stupenda eiusdem consilia circa Statuũ, Officiorum, vitæque rationum, quæ sunt in Ecclesia & Republica Christiana institutionem, quæ excellentissima est omnium, quæ hactenus fuerunt aut futuræ sunt in hoc mundo. *Respublica enim* (vt colligitur ex S. Augustino) *est cõgregatio multorum hominũ aliquo amicitiæ vinculo coniunctorum, & eadem bona participantium.* Quo aũt vinculum illud strictius est ac fortius, bonaque ipsa præstantiora, eò ipsa Respublica est excellẽtior. Ex quo fit, vt Christiana Respublica, quà *Christiana* est, sit excellentissima: Eò quod nullum possit esse fortius vinculum, quàm sit sacri Baptismi cum fide & Charitate, legeq; ipsa euangelica, quæ suos conciues colligat: nec præstantiora ac diuturniora bona excogitari possunt, quàm sint bona gratiæ & gloriæ, quæ omnibus illis offert. Hæc Respublica complectitur in se ipsa tres alias valdè insignes: *Ecclesiasticam*, quæ fundatur in cõiunctione, quæ fit per Sacramentum Ordinis, cum varijs ad cultum Dei pertinentibus ministerijs; *Religiosam*, quæ tribus Paupertatis, Castitatis, & Obediẽtiæ votis constringitur in variis institutis ac regulis ad euangelicam perfectionẽ sequendã; Et *Secularẽ* cuius partes in vna eadẽq; Religione Christiana varijs humanis legib⁹ ad propriã cuiusque gubernationem coniunguntur. In omnibus autem tribus his Rebuspub. mirum in modum elucet prouidentia diuina in distribuẽdis varijs Statibus & Officijs modisque viuendi diuersis personis iuxta varias earum propensiones & talenta, quas ipse varijs vocationibus ac medijs vocat, vt suum quisque Statum, Officium, ac viuendi rationem consequatur, eiusque perfectionem quærat: Et hoc erit Tractatus primi huius secundi Tomi argumentum. Sed quoniam Satanas instar Simiæ conatur Dei consilia ac dispositionem in sua gubernatione imitari: habet & ipse tres alias Congregationes siue *Tentantium* Respublicas, per quas impugnat diuinas vocationes, ac perfectionem, quam assequi contendunt, qui in omnibus ipsius Dei Rebusp. versantur. Quamuis autem astutissimi, ac tremendi sint ipsi dæmones, non possunt tamen transgredi ordinem prouidentiæ diuinæ, cuius est eorum tentationes permittere, terminosque illis præscribere; de armis verò & remedijs contra eas ciuibus suis prouidere: de quibus omnibus agetur in secundo Tractatu, indicatis magis ordinarijs tentationibus, quibus Christiani in varijs Statibus impugnantur: reiectis verò magis particularibus

Reipublicæ definitio. Lib 15. de Ciuit. Dei. c. 8.

Reipublicæ Christianæ dignitas.

Eius species.

1. *Dei in vocatione prouidentia.*

2. *Tentationes generales.*

3. *erfectio secularium.*

laribus ad Tractatus, qui de singulis statibus instituentur. In tertio postea Tractatu de perfectione agetur Christianæ Reipublicæ, præcipuè Sæcularis in ijs omnibus, quæ spectant ad mutuam horum cum illis consuetudinem, maiorum, minorum, & æqualium; & in Familiarum gubernatione: adhibitis documẽtis varijs pro heris & famulis; pro subditis ac Superioribus & Patribus, familias, omnibusque ciuibus in suis Statibus & Officijs, vt virtus, sanctitas, iustitia, & mutua pax obtineatur & conseruetur. Quæ tamen

4. *Maxime Superiorum.*

fusius in Tractatu quarto proponentur, in quo de Perfectione agetur insignium Staruum & Officiorum Rempublicam ipsam gubernãtium, quales sunt Reges, Principes, alijque magni Domini, & eorundem Consiliarij ac Iudices, alijque particularium Ciuitatum gubernatores: indicatis præcipuis virtutibus, in quibus eminere debent, vt & in se ipsis perfecti euadant; & ad aliorum gubernationem ita apti, vt suæ gubernationis finem & scopũ

5. *Coniugum & Viduarum.*

consequantur, qui in eo consistit, vt illos faciant bonos. QVINTVS porrò Tractatus aget de Statu Matrimonij, quod etiam est Sacramentum: in quo explicabitur ratio Statum illum eligendi, totaque perfectio in varijs virtutibus, quæ ad ipsos coniugatos tum inter se, tum in filiorum educatione, & familiari cum cognatis tractatione pertinent. Et quoniam ex Matrimonio viduitas oritur, huius quoque Status perfectio indicabitur, ea tamen parte, quæ spectat ad continentiam, in sequentem Tomum reiecta: sub continentiæ enim vexillo militant præcipui Ecclesiasticæ ac Religiosæ Reipublicæ Status, de quibus fusiùs in eo erit agendum. Quamuis tanta est in rebus aliquibus similitudo inter trium Rerumpub. Status & Officia, vt quod de aliquo dicitur, ad reliquos etiam pertinere videatur. Nam in tractatione ipsius Sæcularis Reipublicæ inueniet Religiosus multa excellentis perfectionis pro suo Statu & contrà in tractatione de Religiosa Republica inueniet coniugatus multa, quæ, vt in suo Statu perfectus euadat, eum iuuabunt.



TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS,

DE PROVIDENTIA DEI, CIRCA DISTRIBVTIONEM STATVVM, OFFICIORVM, ET VITÆ RATIONVM, QVÆ sunt in Republ. Christiana, ac de cuiusque propria perfectione.

CAPVT PRIMVM.

DIVINAM SAPIENTIAM CONSTITVISSE magnam Statuum, & Officiorum varietatem in Ecclesia & Republica Christiana, in bonum commune & particulare ipsorum Christianorum.

STATVVM Officiorum varietas, quæ DEVS Dominus Noster ad suam gloriam constituit intra Ecclesiam suam vna est earum rerum, in qua diuina ipsius Prouidentia ac Sapientia vehementer elucent. Ecclesia enim tanquam a *Regina assistit à dextris* cælestis ipsius Sponsi *in vestitu deaurato, circundata varietate*, ita tamen concinnâ & ordinatâ, vt qui attentè eam consideret, non possit non vehementiùs admirari, quàm b *Regina Saba*, cùm vidit *Ordines ministrantium in variis officiis, in Regis Salomonis domo.* hic enim Ordo ac Dispositio eò ampliùs illum excedit, quò Regis æterni domus & aula superat quæcunque Rex terrenus potest ordinare; & quò ipsiusmet Dei Sapientia eam excedit, quam habuit Salomon. Ad quorum faciliorem intelligentiam, præmittendum est, quamuis *Ecclesia* vniuersalis sit vna, & Respublica *Christiana* vnica; eam tamen triplicem Rempubl. in se continere, quas *Ciuilem*, *Ecclesiasticam*, & *Religiosam* licet appellare, & communi loquendi vsu *Statum* dicimus Sæcularem, Ecclesiasticum, & Religiosum. In singulis tamen magna est Statuum & Officiorum varietas; & varij gradus, ac vitæ rationes; quemadmodum Angelicus Doctor Sanctus Thomas explicat solito suo Theologico rigore. Nam Sta-

Varietas statuum ex prouidentia Dei.

a *Psal 44. 10.*

b *3. Reg. 10 5.*

Tres Respublicæ Christiana.

1. 1. q. 58. ar. 1.

Status à firmitate.

tus propriè *firmitatem* dicit & ſtabilitatem in aliquo vitæ genere, ſiue firmitas hæc ex naturali aliqua, & neceſſaria cauſa procedat, ſiue ex aliqua obligatione voluntaria, ita tamen, vt poſtquàm edita eſt, non poſſit facilè mutari. Hac ratione mancipium eſt in Statu *ſeruitutis*: liber verò in ſtatu *libertatis*, & baptizatus in Statu *Chriſtiani*.

c *Ezec.14. 14.*
S. Bernard. ſerm. in id. Pſalm. 84.
Audiam quid loquatur.
S. Bonauent lib. de Eccleſ. Hierar. p.1.
Iob, Daniel, Noë.

In his Statibus tres ſunt maximè inſignes, ſignificati per tres illos clariſſimos viros, de quibus dixit Deus per Ezechielem, c *ſi fuerint tres viri iſti in medio terræ* Noë, Daniel, & Iob, *ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Primus Status per Iob ſignificatus, pertinet ad Rempub Sæcularem; eſtq; ſtatus coniugatorum, qui indiſſolubili quodam vinculo colligati, tenentur per totam vitam ſimul viuere, & Matrimonij onera, eiusque leges ſeruare. Secundus Status per DANIELEM ſignificatus, eſt Continentium diuino obſebuio mancipatorum: in quo eminent præcipuè Religioſi, qui proprijs votis ſeſe ad Euangelica conſilia ſeruanda obſtrinxerunt. Tertius per Noe ſignificatus, eſt Epiſcoporum ac Prælatorum, Eccleſiam ipſam cum perpetua nunquam eam deſerendi obligatione gubernantiũ. Ad quem Statũ reducuntur Sacerdotes, Diaconi, ac Subdiaconi, qui ratione ſacri Ordinis perpetua obligatione tenentur eſſe miniſtri Dei in eius Eccleſia: licèt, ob annexum Ordini ſacro ſolenne caſtitatis votũ, pertineant ad Statum ſecundum. Ad hos tres Status reduci poſſunt alij, quos eodem nomine vulgò appellamus, ob ſimilitudinẽ, quam cum illis in perpetua firmitate, aut ad longum tẽpus habent, qualis eſt Status virginitatis, viduitatis, Regis, & alij ſimiles.

Art. 8. Officium quid?

OFFICIVM, ex eiuſdem Sancti ſententia, propriè dicit firmam quandam obligationem ad aliquod exercitiũ aliquorum operum ſtudioſorum. licèt non perpetuam, niſi fortè ipſi Statui ſit annexa: tunc enim æquè obligatio eſt firma in Statu, & Officio. Et ob hanc cauſam ſolent hæc nomina eidem rei attribui. Hæc officia ſunt innumera in Eccleſiæ Rebuſpubl. & in omnibus earum Statibus. Ideoq; vtraq; habent ſuos proprios gradus, quẽdam enim ſunt maiora, quædã minora, & alia media, ex quibus tota cõponitur Hierarchia. In qua eſt vnus Summus Pontifex, multi Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Sacerdotes, & alij inferiores miniſtri. Id quod locum etiam habet in Ciuili, & Religioſa Republica Ac denique inter iuſtos (vt etiam idem S. Thomas ait) tres ſunt Status, ſiue gradus illius Status, primus eſt Incipientium, ſecundus Proficientium, tertius Perfectorum, & quiſque ad eum virtutis gradum tenetur, qui Statui & gradui ſuo eſt proportionatus.

Art. 4.

2. 2. q. 184. a. 4.

SED (vt idem Angelicus Doctor aduertit) non eſt vnum & idẽ Perfectio, & Status eius; nec ſunt neceſſariò ſimul coniuncta nam continget, aliquos perfectionẽ Chriſtianam habere, & non Statum alios verò ipſum Statum

sine perfectione. Status enim perfectionis dicit perpetuam obligationem sequenbi consilia Euangelica, quæ sunt propria perfectionis Christianæ in aliqua vitæ ratione ab vniuersali Ecclesia, summoque Christi Domini in terra Vicario approbata. Quare quemadmodum inter homines non omnes illi appellantur *mancipia*, qui alteri seruiunt; nec illi, qui ad seruiendum per annum obligantur; sed illi tantùm, qui obligatione publica & stabili per totam vitam alteri seruiunt ita, vt authoritate propria non possint à tali obligatione se liberare: nec *Catechumenum* appellamus Christianum, licèt omnia quæ sunt Fidei, credat: omnia legis præcepta seruet, quia vtrumque facit liberè, nec potest Ecclesia eum ad id cogere, donec Baptismum suscipiat, per quem statum suscipit Christiani cum perpetua obligatione, legem Christi, eiusque Ecclesiæ præcepta seruandi: ita qui absque aliqua obligatione seruat Euangelica cõsilia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: licèt hac ratione possit esse perfectus, non tamen censetur Statum perfectionis habere, donec se ad id totum *voto* obstringat. Nec votum quodcunque sufficit, nisi publicum sit, & ab Ecclesia *approbatum*, cuius est solennitatem præscribere, & conditiones assignare, quas vota habere debent, ad firmitatem status perfectionis hadendam. Qui status duplex est: alter, in quo ea discitur; qui proprius est Religiosorum: nam hi obstringunt se ad quærendam perfectionem per præscripta suæ Religionis media: alter status est ad eandem docendam, qui proprius est Episcoporum: illi enim (vt ait S. Dionysius) tenent supremum Hierarchiæ cœlestis gradum, ad purificandum, illuminandum, ac perficiendum fideles, ipsorum curæ commissos, idque cum perpetua solennique obligatione nunquam deserendi suam Ecclesiam & Officium; & cum certo firmoque animi decreto altissimum Charitatis gradum exercendi, hoc est, vitam suam pro suis ouibus tanquam boni Pastores, ponendi. Et quemadmodum nemo potest scientiam aliquam docere, in qua non sit ipse perfectè versatus: ita Episcoporum Status non solùm ab eis requirit, vt perfectioni quærendæ studeant, quemadmodum Religiosi: sed vt eandem iam sint consecuti, & in sanctitate, quam alios docere debent, sint perfecti. Ad eundem Statum censetur pertinere aliorum Prælatorum, Concionatorum, ac Magistrorum Status, quibus ex Officio incumbit particulares Christi Domini greges pascere & gubernare: & eorum etiam Religiosorum Status, qui profitentur Salutem & perfectionem proximorum promouere concionando, docendo, sacras Confessiones excipiendo, aliaque in bonum animarum ministeria exercendo: quibus ipsos Episcopos in eorum Officio adiuuant: quæ omnia in proprijs locis fusiùs explicabuntur.

Status à perfectione differt.

Mancipiũ.

Catechumenus.

Status votũ approbatum requirit.

S. Tho. 2. 2. q. 184. a. 1. & q. 186 a. 1. Eccles. Hier. c. 5. & S. Tho. 2. 2. q. 184. a. 5. 6. & 7.

Status perfectionis Religiosorũ & Episcoporum ac Clericorum.

§. 1. *Excellentia diuini huius Consilij ac dispositionis.*

HÆc in summa est Statuum & Officiorum virietas, quam Dei Sapientia in sua Ecclesia constituit: cuius series & ordo tanquam viua quædam est imago eius, quam posuit in hac corporalium cœlorum machina, in qua solem ac lunam cum ingenti stellarũ multitudine collocauit, quæ differunt à se inuicem in magnitudine, pulchritudine, & varijs alijs virtutibus, vt ita cœlum ipsum exornarent, vt suis influentijs commodum & vtilitatem in hac terra degentibus adferrent. Hunc in modum in spirituali Ecclesiæ cœlo collocauit Deus Dominus noster Statuum, Officiorum, Graduumq; multitudinem ad ipsius ornamentum & pulchritudinem, & ad hominum vtilitatem. Quamobrem ipse Deus, eius sponsus de ea dixit, quod a *progrederetur quasi aurora consurgens*; esset q; *pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*, quibus similitudinibus prædictam Statuum, & Officiorum varietatem significat. Nam qui in Statu sunt Matrimonij (qui Status est salutis, licèt imperfectus) progrediuntur sicut *aurora*, miscentes cum lumine virtutum aliquas imperfectionum tenebras. Continentes ac Religiosi pulchritudinem habent *lunæ* plenæ respicientes semper ipsum iustitiæ solem, à quo suum splendorem accipiunt. Prælati sunt tanquam *Sol* electi ad mundum, vitæ ac doctrinæ suæ lumine illustrandum & gubernandum. Et omnes simul constituunt ordinatissimam multorum castrorum aciem, ad similitudinem castrorum stellarum splendentium, magna officiorum suorum varietate.

Ecclesia in syderibus adũbrata.

a *Can. 6. 9.*

Angelorum ordines repræsentat.

QVOD si supra cœlos istos corporeos mente conscendamus, inueniemus etiam, fecisse Deum in triumphante illa Ecclesia tres Angelorum hierarchias, & in singulis constituisse tres ordines siue choros, qui in varijs ac diuersis Officijs & ministeriis ad ipsius gloriam, & hominum vtilitatem occuparentur. Ad cuius similitudinem voluit in Ecclesia militanti esse tres prædictos Status, quorum vnus *ciuilem* Rempubl. constitueret, secundus *Religiosam*, tertius *Pastoralem*: in quorum singulis varii essent ministrorum ordines, & chori imitatores Angelorum. Nam Prælati officium præstant *Thronorum*, cùm iudicant; *Cherubinorum*, cùm docent; *Seraphinorum*, cùm subditos inflammant atque perficiunt. Continentes in statu suo, Officio funguntur; *Potestatum*, cùm dæmonibus resistunt; *Virtutum*, cùm opera faciunt excellentissima; ac *Dominationum*, cùm sui ipsorum Dominium, & passionum suarum victoriam consequuntur. Sæculares in sua Republica *Angelorum* officium exercent, cùm domos ac familias suas seruant, & gubernant; *Archangelorum*, cùm ad res maiores attendunt; & *Principatuum*, cum regna ac prouincias gubernant.

AC DENIQVE (vt S. Gregorius ait) etiam in terra Deus habet viros

ange-

angelicos, in quibus harum hierarchiarum virtutes splendent: Obedientia scilicet *Angelorum*; gubernatrix *Principatuum*, Prudentia *Potestatum*, dexteritas in pugnando; *Virtutum*, magnanimitas; spiritualis *Dominationum* libertas; *Thronorum*, pax ac discretio; *Cherubinorum*, scientia & contemplatio; & *Seraphinorum*, Charitas & zelus. Quorum alij in his virtutibus, alij in alijs præeminent, vt iucunda hac varietate militans Ecclesia, pulchra sit ac splendens, in qua diuinus eius Sponsus glorificetur, sicut in cœlesti ac triumphanti Ecclesia.

Virtutes Angelicæ.

Fvit præterea hæc Statuum & Officiorum necessaria varietas ad ipsius Ecclesiæ conseruationem & augmentum; & ad commune bonum animarum, quas Christus Dominus noster sanguine suo redemit. Qui (vt ait Apostolus) b *posuit in Ecclesia* sua *primùm Apostolos*, tanquam eius capita, *secundò Prophetas*, qui arcana manifestarent; *tertiò. Euangelistas*, qui prædicarent Euangelium; *alios autem Pastores*, qui rationales gregis sui oues gubernarent; *ac Doctores*, qui eas docerent. & in hunc modum alia Officia constituit *in consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem* & perfectionem *corporis* mystici Christi, quod naturali hominis corpori est persimile, cum iucunda & admiranda proportione; Nam quemadmodum corpus hoc naturale habet diuersa membra miro ordine serieq; in diuersis locis collocata; ad diuersa in totius corporis vtilitatem officia præstanda: nam *oculi* in eius bonum vident; *aures* audiunt; *pedes* ambulant; *manus* palpant & contrectant. Et quamuis oculi magis præcipui sint, quàm pedes: non tamen hi sunt corpori minus necessarij, quàm illi: & si aliquod membrum deficit, reliqua patiuntur, & corpus totum turpe, mancum, & absque debita proportione sine eis manet: Ita etiam in mystico Ecclesiæ corpore necessaria est prædicta Statuum & Officiorum varietas. Si enim omnes essent *Religiosi*, quis filios procrearet cœlo? &, si omnes essent *coniugati*, quis diuino solùm obsequio se manciparet? si omnes essent sicut *Maria* contemplationi addicti, quis misericordiæ opera in proximum exerceret? &, si omnes essent, vt *Martha*, actioni intenti, quis Creatoris opera contemplaretur? nunquid (ait Apostolus) omnes esse debent Apostoli, aut omnes Prophetæ, aut omnes Pastores & Doctores? quod si ita esset, quomodo alia ministeria alijs fidelibus necessaria exercerentur? Refert igitur & Coniugatos esse, & Continentes; Religiosos & Sæculares; Contemplationi deditos, & Actioni; Prælatos & Subditos: vt alij alios amanter iuuent: & quod vnus per se ipsum non potest, per alium obtineat, & singuli solicitè attendant ad bonum omnium; & omnes ad singulorum, tanquam partes eiusdem corporis, vno spiritu omnes viuificante vnitæ.

Officia Ecclesiæ.

b 1. Cor. 12. 28.

c Ephe. 4. 11.

Medita. 46. Partis. 6.

Officiorum varietas necessaria Ecclesiæ, vt corpori membrorum.

Ex His apparet, hanc Statuum & Officiorum varietatem fundari etiam

iam in eo, quod alij homines alijs opus habeant, vt ſpiritualibus, & corporalibus ſuis neceſſitatibus ſubueniatur: ad quod præſtandum ita ſunt omnes neceſſarij, vt ſit impoſſibile, vnum ſolum omnia præſtare. Et propterea dixit Apoſtolus, d *alter alterius onera portate: & ſic ad implebitis legem Chriſti*, in qua ſententia ſupponit Apoſtolus, omnes habere aliqua onera portanda, ſiue in animo, ſiue in corpore; aut ratione Status & Officij, quod nobis obtigit: eſtque temerarium, exiſtimare, poſſe nos ſolos abſque aliorum auxilio ea portare. Quamobrem ſubijcit idem Apoſtolus: *nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ipſe ſe ſeducit*, quaſi diceret: nullus homo, quantumuis ſe erigat, præſumere de ſe poteſt, quòd ſit aliquid; & quòd ſeipſum poſſit abſque aliorum auxilio conſeruare. Licèt enim ſit caput, pedibus opus habet: quòd ſi aliter exiſtimat, ipſe ſe ſeducit, citoque ſentiet pœnam, re ipſa expertus ſuam miſeriã, abiecto in terram onere, donec accedat, qui illud portare iuuet. Conſtituit enim prouidentia diuina, vt alij aliorum opera indigeant: quò omnes diſcant eſſe *humiles*; & vt alij aliorum onera portantes, *charitatem* in mutuam quiſque vtilitatem exerceant. Boni Prælati onera portant ſubditorum: & boni ſubditi Prælatos ſuos in proprijs eorum oneribus portandis adiuuant. Et qui primus eſt eorum deficiet ſub onere ſuo, niſi ab vltimo adiuuetur, quemadmodum præclare S. Auguſtinus explicat exemplo *Ceruorum*, de quibus refertur, quòd cùm fretum ad inſulam tranſeunt paſcuarum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia neceſsè eſt vnum eſſe, qui cęteros præcedens non ante ſe habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: vt laſſatus ſui capitis onere, ille qui præcedit, poſt omnes redeat, & ei ſuccedat, cuius ferebat caput, cùm ipſe præiret. Ita inuicem onera ſua portantes, fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Hoc inquam modo, quoniam vnuſquiſque habet graue onus portandum, non poterimus præcipitem huius mundi fluuium traijcere, niſi ab aliis adiuuemur, & qui primum habet officium, adiuuetur ab habente poſtremum; & qui in ſuo onere portando defatigationem, non ſentit, eò quòd ab aliis ſubleuetur: debet ipſe, vbi opus erit, alios etiam ſubleuare, nec refugere eorum onera portare: iniuriam enim alioqui faceret iis, qui in proprio onere portando ipſum adiuuerunt. Et quemadmodum in rebus ad corpus pertinentibus alii aliorum onera portant, nam Ciuium aliqui aliis proſpiciunt de veſtibus, alii de eſcis, alii de habitationibus; alius pharmaca conficit, alius medetur morbis; alius patrocinium in litibus ſuſcipit, alius ſententiam fert: inquit S. Baſilius: in rebus ſpiritualibus, alii nos ſubleuant ab onere peccatorum & errorum, alii iuuant onera portare afflictionũ & tentationum:

d *Gal. 6. 2. Omnes mutuo egemus auxilio.*

Sic humilitas exercetur & charitas. Lib. 83. qq. q. 71 to. 4. & in Pſal. 129.

Ex Plin. lib. 8. c. 32.

Ceruorum induſtria.

& ſicut

& ſicut diuites temporalem pauperum neceſſitatem ſubleuant; ita pauperes eorum ſpiritualem: & qui hodiè ſanus eſt, vt curet ægrotum: cras ægrotabit, & curabitur ab eo, qui iam eſt reſtitutus ſanitati. Hunc in modum connexa ſunt officia & miniſteria in omnium commune bonum. Quod ſi myſtici corporis membra ita connecterentur, ſicut naturalis: ſuaue omninò eſſet omnium onera portare, Chriſtique legem adimplere, quæ eſt charitatis: e *Charitas enim omnia ſuffert*, & ſuauiter portat. &, (vt ait S. Auguſtinus) qui non habent charitatem, graues ſunt ſibi: qui autem habent charitatem, portant ſe, præceptum enim charitatis eſt, f *diligere proximum ſicut ſeipſum*. Si igitur volo me ab alio in portandis meis oneribus iuuari: meritò debeo illum in ſuis portandis iuuare.

e 1. Cor. 13. 7 in Pſal. 129.

f Mat. 22. 39

Ex His ſequitur: hanc Statuum & Officiorum varietatem non ſolùm neceſſariam fuiſſe ad vniuerſale Eccleſię bonum; ſed etiam ad particularem fidelium in ea degentium vtilitatem. Nam hominum propenſiones æquè variæ eſſe ſolent ac diuerſę, ſicut ipſæ complexiones: & ingenia atq; talenta æquè differunt, atq; ipſi vultus: quare alij ad hunc Statum, alij ad alium valdè diuerſum propendent: alij talentum habent ad vnum Officium, alij ad aliud valdè ab hoc diſtinctum. Et ſi vnicus tantùm fuiſſet Status, vnum Officium, aut vna viuendi ratio, multi non potuiſſent eandem vtiliter tenere, & æternam vitam ſecurè procurare. Vni enim propter ipſius corporis conſtitutionem: g *melius eſt nubere, quàm vri*: alteri expedit à nuptiis abſtinere, vt in maiori quiete vitam ducat, & perfectiorem obtineat ſaluationem: vnus habet naturale talentum ad gubernandũ, vel ad exercitia literaria, alius verò non eſt aptus, niſi ad parendum, & ad mechanicam aliquam artem exercendam: quidam (vt S. Greg. perpendit) adeò ſunt inquieti, vt ad contemplationem non ſint apti, alii verò adeò ſunt quieti, vt non poſſint ſe ad externa negotia applicare. Valdè igitur fuit expediens, vt tanta eſſet Statuum & Officiorum diuerſitas: vt omnes inuenirent aliquod ſuæ capacitati ac facultati accommodatum, in quo poſſent ſalutẽ ac perfectionẽ in eo gradu negotiari, quẽ quiſq; poſſit obtinere. Quod ſi admirabilẽ diuini huius Cõſilii effigiẽ videre cupis, cõijce oculos in *currum* illum *gloriæ Dei*, qui (vt ait Ezechiel) à quatuor animalibus trahebatur, quorum vultus valdè quidẽ erant diuerſi, ſed ad trahendũ cõiunctiſſimi, vt mutuò ſe iuuantes, magna conformitate traherent: quia vnus erat ſpiritus omnia mouens ac dirigens. Et *facies* quidem *hominis, & facies leonis, à dextris* erãt: & ſignificabant Sæcularẽ & Eccleſiaſticũ Statũ, valde inter ſe vnitos: nam Sæcularis potentia ſua, armiſq; corporalibus defendit Eccleſiam; Eccleſiaſticus autem eundem gubernat, & Spiritualibus medijs adiuuat; *facies autem bouis à ſiniſtris* erat: qui Statum refert Continentium, eò quòd in oculis ſuis valdè humiles corpora ſua offerant

g 1. Cor. 7. 9.

Officiorum varietas nõ modo vniuerſitati, ſed & cuique priuato neceſſaria.

Lib. 6. Moral. c. 7. cc

Ezech. 1. 10. Eccl 49. 10.

Leo ſecularis. Homo Eccleſiaſtici. Bos religioſi.

ferant Deo, hostias viuentes, omnes sensuum voluptates refrænantes. *Facies* verò *aquilæ desuper erat ipsorum quatuor* animalium: quæ aquila Statum significat Episcoporum & Prælatorum, qui perspicaciori videndi facultate præditi ob contemplationem, gubernationi reliquorum cum magna prudentia ac discretione attendunt. omnes autem hos Status mouet dirigitque vnus spiritus Christi, qui eos charitate connectit, & ad propria cuiusque Status opera conformiter mouet: sicut vna eademq; anima diuersa sui corporis membra mouet Et quamuis pugnæ & cõtradictiones non desint, siue illæ eueniant ex complexionum diuersitate, siue ex ira & inuidia hostium: diuinus tamen spiritus ita hanc coniunctionem in Ecclesia seruat, vt neque ipsi Status, nec concordia inter eminentiores, qui in eis sunt constituti, sint vnquam defecturi. Ac propterea quasi stupore pleni dicunt Angeli, d *quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*? *Chori* continẽt multitudinem cantorum, siue saltantium, qui magna concordia & *alacritate* suam musicam aut saltum peragunt: *castra* militum complectuntur multitudinẽ, qui magna conformitate, licèt nõ sine *timore*, contra hostes pugnant. Quid igitur videbis in sponsa veri Salomonis, hoc est Ecclesia, cuius nomen est Sulamites, quod *pacificam* sicut eius sponsus significat? quidquid in ea est, *chori* sunt Virginum, Religiosorum, & Ecclesiasticorum, qui in laudibus Deo decantandis occupantur: & *castra* Episcoporũ, Prædicatorũ, ac Magistrorum, qui eius ab hostibus defensioni semper attendunt. Et in omnibus Statibus aliquos habet cõiunctissimos, & ad pia opera exercenda valdè cõcordes: nunc cum magna quiete & pace, quæ fructus est eius victoriæ; nunc cum graui pugna, tali tamen, quæ veram pacem non auferat, quia non succumbunt in ea.

d *Cant. 7. 1.*

In Ecclesia chori & Castra.

§. 2. *Dei consilium & dispositio in Rempub. sæcularem.*

QVID QVID hactenùs de vniuersa Ecclesia, & Republ. Ecclesiastica diximus, explicabimus nunc in sæculari. Hæc ex diuino consilio ac prouidentia distribuitur in varios Status & Officia, quæ ad bonam ipsius conseruationem & augmentum adeò sunt necessaria, vt (quemadmodum S. Thomas ostendit) in ipso Innocentiæ Statu fuisset aliqua inter homines inæqualitas, vt alij essent maiores, alij minores; superiores aliqui, alij subditi: quamuis non ea differentia fuisset, quæ nunc est, Dominorum & Mancipiorum, diuitum, & pauperum egenorum; nec alia officiorum mechanicorũ varietas, quæ post Originis peccatum sunt inuenta: quamobrem Deus Dominus noster suæ gubernationis dispositionem mutauit. Nam primùm quoniam multi homines futuri erant scelerati, pacisque communis & Iustitiæ perturbatores: constituit, vt alij officium haberent *Gubernatorum* ac Iudicum, cum autoritate condendi leges iustas, quibus improbos coërce-

Varij status in seculo necessarij. 1. p. q. 96. a. 3. & 4.

Iudices.

rent,

rent,bonos verò dirigerent:ac proinde possent improbos & insolentes punire. Ac propterea voluit,alios esse subditos, & inferiores, qui tenerentur obedire, & subijcere se maioribus. Cumque dissensiones ac bella inter diuersas familias,ac ciuitates orirentur,cœpta est ars *militaris*, in qua distincta fuerunt officia designanda,eò quòd necesse esset,non omnes milites æquales esse,aut proprio capite gubernari;sed certos habere capitaneos, quibus obedirent:sicut & hi vnum Generalem,cui subijcerentur. Ex quo orti sunt Status Imperatorum, Regum,& Principum:& officia Ducum, Comitum, & Marchionum,& aliorum Reipubl. Magnatum,quæ omnia sunt à diuina prouidentia constituta, iuxta illud Apostoli:a *Omnis anima potestatibus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Nam *Princeps, minister Dei est,* b *in laudem bonorum, & vindictam malefactorum,* b *non enim sine causa gladium portat*, instrumentum scilicet ad puniendum malum.

Milites.

a *Rom.13.1.*

b *1.Pet.2.14.*

Post peccatum etiam ortæ sunt & auctæ corporales hominum necessitates, quoad habitationem,domum,indumentum,cibum,& aliæ innumeræ: ad quarum subsidium diuina prouidentia inspirauit diuersa artificia, & opificia,ita vt aliqui essent fabri, lignarij, & ferarij; alij sartores, alij agricolæ,& hortorum cultores:quia his omnibus Respubl.indigebat.Et quoniam possibile non erat, vt singuli omnes artes discerent: quia non sunt ad omnes exercendas apti; nec se potuissent tot curis onerare, quot tum instrumenta, tum varia media ad eorum vsum requirebantur: voluit prouidentia diuina pluribus ea distribuere, dans aliquibus propensionem, & aptitudinem ad aliquas; alijs verò ad alias, prospiciendo suauiter & efficaciter omnium necessitatibus. Alius enim vestes alijs parat, à quibus frumentum; alius frumentum præbet, & calceos accipit, & alij instrumenta conficiunt, quibus alij in suis artibus vtantur. Et sic splendet Sapientia diuina, quæ(vt Sapiens dixit:) c *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, ita vt nunquam desint homines, qui hæc officia suauiter, & non inuiti exerceant:vt hominum Respub.conseruetur.Perpendit hoc mirificè Sapiens referens continuos Agricultorum labores,& aliorum,dicēs: d *Qui tenet aratrum,& qui gloriatur in iaculo,stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum,& enarratio eius in filiis taurorum,cor suum dabit ad versandos sulcos,& vigilia eius in sagina vaccarum. Sic omnis Faber & Architectus, qui nocte tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam; cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri: Vapor ignis vret carnes eius,& in calore fornacis cōcertatur. Vox mallei innouat aurem eius,& contra similitudinem vasis oculus eius, cor suū dabit in consummationē*

Mechanicæ artes.

Propensio varia a Deo

c *Sap.8.1.*

d *Eccl.33.26 vsque ad finem cap.*

operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. Sic Figulus sedens ad opus suum, cõuertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio eius. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam. Cor suum dabit, vt consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem, omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisq; in arte sua sapiens est. Sine his omnibus non ædificatur ciuitas, & tamen in Ecclesiam non transilient. Super sellam Iudicis non sedebunt, testamentum iudicii non intelligent, quia ad hæc officia & dignitates in Ecclesia, aut Rep. apti non sunt, sed *creaturam sui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis,* ad eam *accommodantes animam suam,* quia ad eam exercendam talentum & aptitudinem à Deo acceperunt. Hæc Sapiens.

Paupertas inuenit artes.

HINC etiam orta est post peccatum diuitum & pauperum varietas, quam ob varios fines prouidentia diuina constituit: & vnus ex præcipuis est, vt prædicta necessaria varietas in Republ. conseruetur, nisi enim in diuitijs & paupertate hæc varietas esset, vix possent huiusmodi variæ artes, & mechanica artificia exerceri. *Paupertas* enim efficit, vt pauperes ad eam artem & officium animum applicent, in quo possint necessariam sibi ac familiæ suæ sustentationem acquirere: diuitiæ verò etiam sunt necessariæ, vt possint diuites alijs maioris momenti officijs attendere, & pauperibus præbere, quæ ad artes suas exercendas sunt necessaria. Nec est quòd propterea diuites sese erigant, nam magis ipsi pauperibus indigent, quàm ipsis indigeant pauperes: exiguum enim fructum illis adferrent agri multi, vineæ, & pecora, & armenta: nisi essent aliqui pauperes, qui proprii commodi causa, & agros colerent, & pecora custodirent. Et quid illis argentum & aurum profuisset, nisi essent qui & cibum ipsis præpararent, & vestes conficerent, ac domos ædificarent? & quomodo aurum & argentum in ipsorum potestatem venisset, nisi fuissent pauperes, qui ex terræ fodinis illa extraherent, & alii Artifices, qui ea purgarent, elaborarent, ac denique pecuniam cuderent? pauperes item quomodo potuissent aliquibus horum frui, nisi diuites essent, qui maria nauigarent, & efferrent adferrentque ea in nauibus quę in diuersis sunt regionibus? & quomodo nauis dominus potuisset illam gubenare, ac nauigare, nisi multi pauperes adessent, qui mercedis causa illum iuuarent? disposuit itaq; prouidentia diuina hanc in diuitiis & paupertate imparitatem, vt omnes possent quantum opus esset, rebus omnibus vti, seque mutuò iuuare, hic pecuniâ, ille industriâ, alius labore.

Diuites pauperibus plus indigẽt.

EX HVIVSMODI imparitate & inæqualitate hominum orta est etiam illa, vt aliqui sint Domini, aliqui mancipia; alij heri, alii famuli: vt alii sint qui præscribant præcipiantq; facienda, alii qui illis obsequantur. quod eadem prouidẽtia diuina ita disposuit, vt onera curarum & laborum cor-

poralium in varios homines distribueret, ita vt vnam partem domini, aliam famuli sustinerent. & quamuis corporalium laborum onus ipsi corpori sit molestius, at solicitudines & curæ non sunt spiritui minus molestæ: Domino enim incumbit cura toti familiæ de rebus necessarijs prouidendi, de vestitu, cibo, & multis alijs quibus illa indiget: cùm tamen famulus ab huiusmodi cura sit liber, solumque corporalem laborem iuxtà præscriptum subeat; aut partem etiam aliquam solicitudinis, quæ illi committitur.

Hinc denique disparitas orta est familiarum quo ad genus & prosapiam, vt alij nobiles sint, alij plebeij; alij liberi & generosi, alii vectigalia & tributa pendentes: & huiusmodi aliæ sunt differentiæ ex nationum & familiarum origine ortæ. Quamuis enim Deus Dominus noster e *fecerit ex vno omne genus hominũ*, vt in hoc omnes essent æquales, sicut sunt in conceptione & natiuitate; in morte & corruptione corporis: at posteà necessaria fuit huiusmodi *familiarum distinctio*, vt alia esset alia nobilior, orta ex heroicis aliquorum hominum factis, & ex enormibus aliorum peccatis. Ex qua causa linea ex f *Adam* per *Seth* prælata est generationi ductæ per Cain, quæ tota periit in diluuio. Et quamuis noluerit Deus in Arcam Noë mancipia vlla aut famulos ingredi, sed tres tantum eius filios cum suis vxoribus, ex quibus reliqui propagarentur, vt æqualitas in omnibus seruaretur: posteà verò linea Noë per Sem fuit ei prælata, quæ fuit per Cham. Et ipse Dominus ex linea illa Sem elegit Abraham, cuius descendentes per Isaac prætulit descendentibus per Ismaëlem: & in filiis Isaac, relicto Esau, elegit Iacob, & duodecim Tribus quæ à duodecim eius filiis fuerunt propagatæ, inter quas tamen prætulit Tribum Leui in spiritualibus, & Tribum Iuda in temporalibus. Ex quo apparet, hanc generis inæqualitatem, sicut aliàs, ordinatam fuisse & approbatam à prouidentia diuina, in eos fines & vtilitates, quas sensim in particulari de singulis dicemus.

e *Act. 17. 26. Familiarũ distinctio necessaria & à Deo.*

f *Gen. 4. 25.* g *& c. 9. 20.*

CAPVT II.

CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM PECVliarem habere curam Statuum & Officiorum corporis sui mystici, hoc est, Ecclesiæ: & ipsummet exemplar esse perfectionis cuius q; illorum; & quænam hæc sit.

Qvemadmodvm Christus Dominus noster verus Deus & homo, author est & institutor Ecclesiæ ac Reipub. Christianæ, & Statuum ac officiorum, quæ eius, quà Christiana est, sunt propria: ita etiam peculiarem habet prouidentiam & curam

conſeruationis incrementi & perfectionis omnium illorum in ipſis Chriſtianis tanquam huius Eccleſiæ & corporis eius myſtici membris. Nam vt anima naturaliter habet prouidẽtiam membrorum ſui corporis naturalis, attendens ad bonum oculorum, manuum & pedum; imò etiam vnguium & capillorum: proſpiciens eis de cibo & potu, quo nutriantur; eaque defendens ab incommodis ac periculis; & rationem habens curationis, cùm infirmantur; & reliqua ſtudioſè conquirens, quæ ad omnium ſpectant augmentum & perfectionem: eò quòd ea tanquàm rem propriam diligat, & naturalis hic amor ad hanc prouidentiam eam vrgeat: ita a *Chriſtus* Dominus noſter, qui (vt ait Apoſtolus) valdè *diligit Eccleſiam, pro qua ſe ipſum tradidit, vt exhiberet ipſe ſibi eam glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*, peculiarem omninò eius prouidentiam gerit, tanquam corporis ſui myſtici; eius tanquàm rei propriæ ita curam gerens, vt (quemadmodum per quendam ſuum Prophetam dixit) b *qui aliquem tetigerit* ex ſuis electis, *tangat pupillam eius oculi*, & quando Saulus perſequebatur eius Eccleſiæ membra, dixit ei: c *cur me perſequeris*? quia ſcil. vnum ſe cum illis eſſe ſignificabat. Hac igitur prouidentiâ de admirando eis proſpexit alimento, de medicamentis efficacibus, & varijs alijs medijs ad propriam conſeruationem & augmentum: præcipuè verò, tanquam ſupremum caput, ſanctitatem, ac virtutum perfectionem membris ſuis influit, coniunctus illis ſtupendo quodam modo, cùm non ſit tantùm homo, ſed Deus etiam immenſus. Et quemadmodum rationalis anima immediatè vnitur omnibus naturalis ſui corporis membris & partibus, duplicem eis vitæ modum communicans, alterum omnibus communem, quo ſuſtentantur, conſeruantur, & augentur; alterum ſpecialem iuxta ſingulorum peculiaria officia, ad quæ in bonum totius corporis deſtinantur. nam oculis dat facultatem videndi; auribus audiendi; pedibus ambulandi; ita etiam diuinum verbum incarnatum vnitum eſt membris huius corporis myſtici, & eiſdem duos alios modos cõmunicat vitæ ſpiritualis: alterum Chriſtianis omnibus communem, influens illis Fidei & Spei virtutes; iuſtis verò etiam charitatis & Religionis cum cæteris virtutibus infuſis: adiuuans eos ad earum actus exercendos, vt Chriſtianiſmi obligationibus ſatisfaciant, & æternam vitam conſequantur: alterum verò infundit ſpecialem modum iuxta particulares Status & Officia, quæ in Eccleſia & Chriſtiana Repub. gerunt: gratiam influens & auxilia neceſſaria ad eandem cum magna perfectione implenda. Pontifices adiuuat, Epiſcopos, Reges, ac Dominos ſæculares in ſua gubernatione; Continentes, Religioſos, & Sacerdores in ſuis Miniſterijs; & reliquos Chriſtianos in ſuis Officijs & exercitijs: vnicuiq; ſuggerens quicquid facere deceat ad gradum perfectionis conſequendum, qui illi

a *Epheſ 5.25*

b *Zach. 2.8.*

c *Act. 9.4.*

Duplex influxus generalis & particularis.

compe-

competat. Omnibus autem tanquam exemplar se ipsum proponit huius perfectionis, habuit enim ipse eminenter totam illam, quæ in omnibus statibus est distributa. Fuit pauper, ad exemplum pauperum; Faber, ad exemplum mechanicorum; Prædicator, Magister, Episcopus, & summus Ecclesiæ Pontifex, ad exemplar eorum, quibus huiusmodi Officia incumberent; fuit Virgo, vt ab eo virgines & continentes discerent; & Matrimonio, quo sibi coniunxit Ecclesiam, docuit perfectionem Coniugum; fuit Religiosus, ad supremum Religiosorum exemplar; fuit Legislator, in eorum exemplū, qui essent leges laturi: & vniuersim fuit omnium benefactor, ad exemplum diuitum & potentum.

Christus exemplar omnis status.

Tract. 2. cap. 2.

HINC fit, quod quemadmodum Christiani omnes vniuersim sunt ad Christi Domini nostri imitationem vocati, sicuti primo Tomo dictum est: ita qui ex vocatione ac dispositione Dei Statuum aliquem, officium, aut ministerium in Ecclesia, & Rep. Christiana habent, vocati sint etiam ad eum perfectionis gradum obtinendum, qui illis competit, imitantes ipsummet Christum, cuius præcellens sanctitas in suis membris proposita est S. Ioanni in hunc modum: d *Vidi*, inquit; quendam *similem Filio hominis, vestitum podere* (veste scilicet Sacerdotali) *& præcinctum ad mammillas Zona aurea: caput autem eius & capilli erāt candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextra sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat: & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*, hoc est in meridie. In qua visione licèt præcipuè exprimantur heroicæ ipsius Christi Domini nostri virtutes; & stupenda, quæ erga homines facit Officia: non est tamen absq; mysterio, quod S. Ioannes non dixerit, se vidisse Filium hominis; sed, similem Filio hominis, Angelum videlicet, qui illum referebat; & simul potestatem nobis faciens non solùm intelligendi in hac visione ipsum Christum, sed etiam congregationem iustorum illi similium in varijs perfectionis Statibus & gradibus, ex quibus corpus eius mysticum componitur: cuius *pedes* similes aurichalco in accenso camino existenti, sunt sæculares & coniugati: *pectus* præcinctum Zona aurea, sunt Continentes & Religiosi: *manus* dextera cum septem Stellis, sunt Episcopi: *os* eius cum gladio vtraque parte acuto, sunt Prædicatores: *oculi* tanquam flamma ignis, sunt Iudices & Gubernatores: *facies* sicut Sol lucens in virtute sua, sunt Sapientes, & contemplationi addicti: *caput* candidum tanquam lana alba & nix, sunt Pontifices summi & mundi Monarchæ. Quibus similitudinibus res duas valdè insignes nobis proponit: altera est peculiaris prouidentia, quam de omnibus fidelibus habet: quis enim est, cui non sit curæ vestis, qua est indutus? & Zona, qua est præ-

d *Apoc. 1. 13.*

Christi mēbra varij status.

Dei cura de singulis.

præcinctus; & gladius quem secum gestat; & annuli ac gemmæ, quibus eius digiti ornantur, ac reliqua ad pulchritudinem & perfectionem omnium membrorum suorum spectantia? altera res, quam nobis proponit, est sanctitas & perfectio vnicuiq; fidelium iuxtà suum Statum accommodata, vt eam imitetur, quæ in ipsomet Christo ad nostrum exemplum resplenduit, quemadmodum iam declarabitur.

Sanctitas Christi imitanda.

§. 1. *Perfectio Statibus omnibus communis.*

SANCTITAS omnibus communis in quocunque Statu quatuor illa complectitur: PVRITATEM à culpis, Passionum MORTIFICATIONEM, Bonorum OPERVM copiam, & in eis vsque ad mortem PERSEVERANTIAM. Hoc verò totum significat S. Ioannes, cùm ait se vidisse Christum Dominum nostrum vestitum *podere*, quæ (vt ait S. Hieronymus) erat a *vestis*, siue tunica *Sacerdotalis* bissina, siue linea subtilissima, longa vsq; ad pedes; adeò verò angusta, vt nullam faceret rugam, ad significandam Sanctitatem & Perfectionem, quæ in diuina ipsius persona eluxit, & quæ merito debet in mystico ipsius corpore, & in omnibus iustis, cuiuscunque Status, splendere: omnes enim esse debent gens sancta, & Sacerdotes spirituales, & sanctitatem ac puritatem induere tanquam talarem vestem, qua totum corpus contegatur, & in omnibus suis operibus prælucere, iuxtà id Ecclesiastici: b *si sequaris iustitiam, apprehendes illam: & indues illam quasi poderem honoris.* Quæ vestis *longa* esse debet, quia (vt ait S. Gregorius) nullam corporis partem nudam, aut peccato discoopertam sinere debet. Descendit autem vsque ad *pedes*, quia perseuerandum est vsque ad finem boni operis, & ipsius vitæ; non permittentes transire vllum diem, quo sanctitatis vestis nos non tegat bonis operibus. Debet tamen esse tunica *stricta*, eò quod oporteat continuam ei mortificationē coniungi, & c *per arctam viā ambulare, & intrare per angustam portam, quæ ducit ad vitam.* Absque mortificatione enim quæ nos stringat, & comprimat, non potest sanctitas cōseruari, Ex quo prouenit, vt vestis hæc nec maculam culpæ aliquā habeat; nec teporis rugā, quæ ad culpam disponit. Quod præclarè S. Augustinus expendit, dicens: quemadmodū linea vestis post lotionem extenditur valdè super aliquod lignum, & crucifigitur, vt rugam non habeat: ita Iustorum vita, postquam à grauioribus culpis est lota, necesse est, extendi & crucifigi, ne leuium culparum aut imperfectionum rugas contrahant. Quemadmodum Apostolus dixit, d *Christum Dominum nostrum ita dilexisse Ecclesiam, vt se ipsum traderet pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro vitæ, vt non haberet maculam vllam aut rugam, sed vt esset sancta & immaculata.*

a *Exod 28. 4. pist. 127. ad Fabiol. de Veste sacerdotali. Vestis 1. Longa 2. Ad pedes 3. stricta.*

b *Eccl. 27. 9 & 19. 14. Lib. 19. Moral c. 16.*

Lib. 1. Moral. c. vlt.

c *Matt. 7. 14.*

In Psalm. 132.

d *Ephes. c. 27.*

Hæc est iustitiæ & sanctitatis vestis, quam iusti omnes conseruare debent, in quocunque sint Statu constituti, ad imitationem eius,

quam

quam ipsemet Saluator habuit in sua vita, de quo ait Isaias, quod semper fuerit e *indumento iustitiæ circundatus & vestimentis salutis indutus*, donec in ligno crucis mortuus est, vt iustitiam cum summa puritate & perfectione conseruaret. Nec sine magno mysterio voluit in morte f *vestes suas militibus* ipsum crucifigentibus, ita relinquere, vt exteriores *in quatuor partes diuiderent*, *& vnusquisq; vnam acciperet*; *tunica vero inconsutilis*, quæ erat interior, *vni soli sorte* contingeret; quia ipse non permisit eam diuidi. quo facto duplicem sanctitatis modum insinuauit, quam hæreditate hominibus reliquit, pro quorum redemptione voluit affigi cruci. Altera sanctitas & iustitia est interior, per hanc tunicam significata, quæ consistit in gratia, & charitate, cum virtutibus moralibus infusis ac donis Spiritus Sancti. Et hæc non potest diuidi; sed integra datur omnibus iustis, qui sunt tanquam vnus ob amoris vnitionem. Et (vt Apostolus dixit) g *sorte* datur, non humana, sed diuina: *vocatione* scilicet *& electione* Dei. Sine hac tunica & veste, quæ est tanquam h *vestis nuptialis*, nullus potest dignè assistere conuiuio Ecclesiæ militantis; ac proinde nec intrare ad ea conuiuia, quæ habentur in triumphante. Altera sanctitas est, quæ licèt ab interiori proficiscatur, exigit tamen externos aliquos actus, ad quos dirigitur. Et in his diuisio esse potest, quam significant exteriores Christi vestes in partes diuisæ. Ad hanc pertinet sanctitas & perfectio specialis Statuum & Officiorum Ecclesiæ, quæ non omnia dantur vni, sed inter diuersos fideles distribuuntur, assignato vnicuique aliquo. Dicuntur autem ipsi eos diuidere inter se, quia vt plurimùm illi eos iuxta suas inclinationes, & ob proprias aliquas rationes & motiua eos eligunt: quamuis non propterea censeatur excludi diuina vocatio. Imò Sanctus Marcus ait: postquam diuisa erant vestimenta, i *misisse milites sortem super eis, quis quid tolleret*, vt ex eo intelligamus, etiam in his diuisionibus locum esse sorti diuinæ vocationis & electionis. Prima tamen & præcipua omnium cura esse debet, vt cuique fœlix ille sors contingat tunicæ inconsutilis, gratiæ scilicet & charitatis, quæ omnibus Dei filijs communis est, & illorum tantùm proprietas: quæ *desuper* erat *contexta*, quia cum singulari excellentia venit è cœlo, vnde k *descendit omne datum optimum*, *& omne donum perfectum*. Et quemadmodum CHRISTVS Dominus noster prius hanc tunicam induit, quam cætera vestimenta: ita iure merito omnes Christiani deberent iustitiam & sanctitatem Christi induere, & super eam speciales addere gradus perfectionis, quæ ad suum cuiusque Statum pertinet.

e *Isai.* 61. 10.

f *Ioan.* 19. 23.

Charitas tunica Christi inconsutilis.

g *Ephe.* 1. 11.

h *Matt.* 22. 11.

Reliquarum virtutum vestes diuiduntur.

i *Marc.* 15. 24.

k *Iacob.* 1. 17.

§. 2. *Specialis variorum Statuum perfectio.*

SPECIALES perfectionis gradus, qui supra omnium communem aliquid addunt, ad septem reduci possunt, qui septem illis partibus significantur, quas refert Sanctus Ioannes de mystico Christi corpore. *Qui erat præcinctus ad mamillas Zona aurea*, quo significatur Status Continentium & Religiosorum, qui locum tenent medium inter Prælatos & coniugatos, sicut *pectus* medium locum tenet inter caput & pedes. Et quoniam pectus est sedes amoris, aptè repræsentat Statum eorum, qui puro Dei sui amori sese addicunt & mancipant, commutantes sponsalia, & sensuum voluptates pro spiritualibus, quæ per coniunctionem amoris erga verum animarum castarum sponsum, obtinentur. Sunt tamen *præcincti*, vt indicetur excessus perfectionis eorum supra reliquos iustos. Qui etsi induantur stricta veste iustitiæ; non tamen ita illam præcingunt & constringunt, vt non simul fruantur licitis matrimonij voluptatibus, diuitijs, & libertate, quam habent in seculo. At Continentes & Religiosi valdè illam præcingunt Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ Votis, ad Christianam sanctitatem maiori cum puritate & excellentia conseruandam, & proximius imitandum ipsum Saluatorem, qui se ita præcinxit. Cuius figura fuit, quòd Sacerdotes antiquæ legis tunicam hanc, vestesque Sacerdotales cingebant a *balteo* quodam mystico: quemadmodum alibi explicuimus. at Christi Domini eiusque filiorum cingulum est aureum: eò quòd exactior hæc præcinctura, & oriatur ab amore, & in amorem tanquam in finem tendat. Castitas enim eorum non est coacta, sed liberè electa; Paupertas non ex necessitate, sed ex voluntate; Obedientia non seruorum, sed filiorum, & cum spiritu b *Charitatis*, quæ *vinculum* est *perfectionis*. Quare hoc cingulum non ad medium corpus applicatur, sicut Angelus ille qui Danieli apparuit c *habebat ad renes*: sed ad ipsum pectus, quia non solùm Religiosi præcingunt opera sua; sed etiam cordis affectus, circumcidendo etiam ipsa desideria inordinata voluptatum, diuitiarum & inanium honorum: & præcingendo quemcunque alium amorem, qui possit aliqua ratione diuinum impedire: ita vt quemadmodum d *lumbare ad lumbos viri adhæret*, sic (apud Ieremiam) *ait Dominus agglutinaui mihi domum Israel & domum Iuda, vt essent mihi in populum.* potiùs eligentes mori, quàm à dulcissima eius societate separari.

1° *Religiosi.*

Præcincti votis,

à Charitate.

a *Exod.* 28. 39. *in Duce spirit. Tract.* 4. *c.* 8. *§.* 1.

b *Col.* 3. 14.

c *Dan.* 10. 5

Ad pectus.

d *Iere.* 13. 1.

2. *Seculares.*

TRANSEAMVS nunc ad Statum Iustorum sæcularium, qui in mundo degunt, seruilibus operibus, negotijs & curis temporalibus occupati: qui tanquam *pedes* sunt huius corporis, eò quòd ambulent magis propè terram, & portent corporalis laboris onus. Cuius sanctitas consi-

Ita exponit Ioachim Abbas apud

stit in

stit in eo, quod Sanctus Ioannes dixit de Christi pedibus, quod essent *similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Nam quemadmodum hoc metallum duritiem habet *ferri*, & splendorem *auri*, in *igne* verò est magis purificatum & splendidius; ita iusti solicitè cauent, ne res terrenæ ipsis adhæresçant; student verò seipsos diuini amoris igne purificare ac perficere; quo amore opera, quæ ex seipsis abiecta erant, fiunt valdè perfecta ipsique redduntur multò fortiores & constantiores in suo labore; & resistunt ictibus ipsius hostis. Quia non sunt e *pedes fictiles*, nec *habent partem testæ figuli* admixtam, quemadmodum habebant pedes statuæ illius, quam vidit Nabuchodonosor: quos *lapis* ille *de monte abscissus, comminuit*: sed sunt ex aurichalco, amoris igne corroborato; cui nec vestigium quidem alicuius læsionis dæmon imprimere potest. Quòd si etiam est verum, quod multi Doctores affirmant, pedes Christi hic comparari *Calcolibano*, quod est genus quoddam thuris, licut æs solidissimum, in fornacem ignis iniectum: etiam in hoc apparet, quàm sit opus iustis sæcularibus huic *thuri* similes effici, coniungentes externæ suæ occupationi feruentem orationem, quæ illam purificet, & perfectissimam reddat. Nam (vt Sanctus Gregorius ait) altera alteram corroborat: & si altera desit, altera quoque periculo exponitur deficiendi. Denique si Deus mittit eos in fornacem tribulationum & afflictionum, quæ in eo Statu valdè sunt frequentes, non tamen propterea animum abijciunt: nam ibi aurichalcum colorem recipit auri splendidioris, & anima purior efficitur, & in oculis Dei pulchrior, magisque similis ipsi Redemptori; qui huiusmodi corporalia exercitia obiuit, duxitque vitam laboribus & doloribus plenam, ad confortandum suo hoc odore eos, qui huiusmodi experirentur.

Viegas in hunc locũ Sect. 11. ad finem. Pedes auri chalci ignitioperis.

e *Daniel.* 2. 34.

Calcolibanus orationis.

Lib. 18. *Moral. c.* 15.

Tribulationibus Seculare, perficiuntur.

Tertivs Status est iustorum, qui in Ecclesia, & Christiana Rep. sunt Iudices & Gubernatores, & qui aliquam dignitatem & præeminentiam in illa habent, cuius causa sunt quasi *oculi* Christi Domini nostri, de quibus dicitur, *oculi eius tanquam flamma ignis.* horum enim iustorum perfectio magnam requirit vigilantiam, ad cognoscendas omnes suas obligationes, tam ad se ipsos, quàm ad subditos; & magnum amoris Dei ignem, vt quicquid ei placet, diligenter præstare studeant; magnum etiam Zeli ignem habere eos oportet contra omnia, quæ displicent Deo: contendendo, omnia peccata, tam propria quàm aliena comburere, & consumere; & inferiores bono exemplo præcedere, vt luce & ardore suo illos illustrent, & in seruitio diuino accendant. Propterea enim Sapiens dixit: f *secundum Iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis Rector est Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Et ipsamet eorum eminentia illos obligat; vt sint vitæ purioris: siquidem

3. *Superiores Oculi.*

f *Eccl.* 10. 2.

illi sunt g *septem oculi*, quos vidit Zacharias *super lapidem vnum*, qui est Christus, à quo & firmitatem & splendorem accipient, si faciant se ipsos instrumenta digna, per quæ Christus Dominus videat, regat, ac perficiat reliquos.

4. *Concionatores.*

Hvic Statui affinis est Status Concionatorum Euangelicorum Magistrorum & Doctorum, qui sunt tanquam *os* Christi Domini nostri, iuxta illud Ieremiæ, h *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*; & ipse S. Ioannes ait: *de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, quem S. Apostolus i *Dei Verbum* & k *Dei sermonem* appellat, *viuum & efficacem, & penetrabiliorem omni gladio ancipiti; & pertingentem vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, & discretorem cogitationum & intentionum cordis.* Perfectio autem eorum, qui in hoc sunt Statu collocati, in eo imprimis cõsistit, vt ancipiti illo gladio separent imprimis in se ipsis, & postea in cæteris *pretiosum à vili*, bellumque inferant peccatis, & inordinatis animi propensionibus, facientes diuisionẽ inter carnem & spiritum, & inter ea, quę sunt Dei, & quæ Dæmonis: non quòd exterius ipsum verbum id efficiat; sed interius Dei verbum, quod externo illo quasi veste indutũ ad audientium aures & cor penetrat: quia est verè ex vtraque parte acutus, ad destructionẽ (vt S. Thomas ait) peccatorum; quæ Apostolus carnis & spiritus maculas, alij verò Sancti carnalia & spiritualia appellãt. Eiusdẽ verbi efficacitas declaratur adhuc magis, adiunctis Euãgelistę verbis: *voxillius, tanquam vox aquarum multarum*, eò quòd magno impetu & strepitu fluat, vt excitet somnolentos; terreat pertinaces; duros emolliat, & aridos irriget. Et per eandem vocem descendunt de cœlo gratiarum cœlestium exundationes quibus animæ viuificantur. Debent tamen Prædicatores ipsi habere in se ipsis, quod alijs communicant: vt iuxta Saluatoris doctrinam, l *exabundantia cordis, os loquatur*: & prius in se ipsis cœlestes aquas suscipiant, quas alijs communicent.

g *Apoc.* 1. 16

h *Iere.* 15. 19

i *Epheſ.* 6. 17

k *Heb.* 4. 12

Ob

In ad Heb. 4.

l *Mat.* 12. 34

5. *Prælati.*

In Eodem Statu eminet magis Episcoporum & Prælatorum Status, de quibus dixit S. Ioannes: *habebat in dextra sua stellas septem*: ad eos enim spectat, esse Ecclesiæ stellas: eò quòd sublimiorem in ea locum habeant, ratione suæ dignitatis: ac proinde debent etiam sublimiores esse in sanctitate; & suam conuersationem per contemplationem habere in supremo cœlo; & magna claritate prælucere, docendo virtutis viam eos, qui in peccati tenebris habitant, & esse valdè constãtes in omni bono, tanquam fixæ firmamenti stellæ, vt posteà m *fulgeant* (vt dixi Daniel) *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et in his omnibus imitari debent ipsum dominum, qui se ipsum appellauit n *stellam splendidam & matutinam*, eò quòd sit primus Dux & antesignatus, quem reliqui sequi debeant: & ipse primus est, qui cordium nostrorum tenebras repellit, & gratiæ diuinæ luci dat initium. Et propterea

Stellæ.

m *Dan.* 12. 3.

n *Apo.* 22. 16

stellæ

stellæ istæ sunt in dextera manu Christi: quia ipse illos confortat, protegit, ac dirigit, datque felices exitus rerum, quas quærunt; habetque illos omnipotentiæ suæ coniunctos, & in o *manibus descriptos* tanquam suos electos, ne eorum obliuiscatur. Sed præterhoc, ipsi quoq; sunt dexteræ eiusdem Domini manus: quia per eos facit ipse multa opera gloriosa, omnia recta & perfecta. Quare ex parte sua meritò dabunt operã, ne in suo spiritu sit res aliqua *sicca*, *mistra*, debilis, aut inordinata; sed omnia recta, firma, & in optimo ordine; habentes etiam suo modo in dextera manu sculptas septem stellas, septẽ scilicet *Spiritus* S. dona, quibus egregia valdè opera aggrediantur, & perficiant.

In sexto loco gradum collocamus virorum contemplationi addictorum, qui optimam partem elegerunt, & ambulant semper in conspectu diuino, ex quo perfectionem omnium virtutum excellentissimè hauriunt. Et hi sunt quasi *facies* corporis huius mystici. Quemadmodum enim homo ex facie cognoscitur: ita ex horum Iustorum virtute, Christi, Domini nostri excellentia cognoscitur. illis enim competit, quod S. Ioannes dixit: *facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*, eò quòd singulares sint & electi in sanctitate tanquam Sol. Nec sunt tãquam Sol matutinus, qui & elucet & calefacit moderatè; sed sicut meridianus, qui omnes suas vires & virtutem intendit, incitq; lucis & caloris radios cũ tanto splendoris excessu, vt aspicientes obumbret: habent enim copiosam valdè lucem & feruorem, ad illuminandos & accendendos omnes, qui præclara ipsorum exempla intuentur. Quam excellentiã consequuntur ipsi oratione & familiaritate cum Deo, quemadmodum ipse Christus p *dum oraret*, q *transfiguratus est, & resplenduit facies eius sicut Sol.* Et cùm Moyses ascendisset in montem, vt cum Deo colloqueretur, tantum splendorem in facie præferebat; vt Israëlitarum oculos obfuscaret. Nec vacat tamen mysterio, quod lux r *faciei Moysis cornuta appareret*, formaretque quasi duo cornua: significabat enim lucem illam esse decrescentis Lunæ, si cum luce ipsius Christi, qui author est nouæ legis, conferatur: eius enim facies splendorem habebat Solis in meridie, & feruore diei existentis. illi enim *non ad mensuram datus est spiritus*: quem ipse suis etiam electis valdè copiosè communicat.

Svpremvs denique gradus est summorum Pontificum, qui sunt caput Ecclesiæ, S. Petri successores, quem ipse Christus appellauit s *Cephas*, quod significat petram & caput; eum enim constituit fundamentalem Ecclesiæ petram, & omnium Christianorum visibile caput: cuius sanctitas exprimitur ab Euangelista, verbis illis: *Caput eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*, ad significandam venerãdam canitiem, de qua Sapiens: t *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus* & mores *hominis*, & *ætas senectutis vita* sancta & *immaculata*.

Christus stella.

o *Isa* 49.

Dextera Christi.

6. *Contemplatiui.*

Facies.

p *Luc.* 9. 26.
q *Mat.* 17. 2

r *Exod.* 34. 10. *Moses luna. Christ. Sol. Ioach. Abb. apud Viegas Sectio.* 6.

7. s *Ioan.* 1. 42. *S. Pontifex.*

Caput.
t *Sapi.* 4. 8.

Puritas & charitas.

Quę significatur per capillos candidos: quorum candor confertur cum *lana* quæ in terra nascitur; & cum *niue*, quæ descendit de cœlo. Hoc nobis significans: quod omnes cogitationes & opera eorum, qui Reipubl. Christianæ sunt capita, debeant esse summa puritate candida, siue de rebus agant *terrenis*, siue de *cœlestibus*: magnamque *coniunctionem* inter se habere, sicut flocci nium & lanæ. Quia omnes eò tendunt, vt supremo capiti Christo, & vltimo suo fini, qui Deus est, coniungantur. Cui adeò placent propter hanc vnionem, vt dicat ipse sponsæ suæ Ecclesiæ: d *vulnerasti cor meum in vno crine colli tui*, quia omnes cogitationes eò tendere debent, vt Deo perfectè obediant; & collum subijciant sanctæ ipsius legis iugo, à qua candor ille, nitor, & coniunctio, quam habent, proueniunt.

d Cant. 4. 9 LXX. vertunt: *in vno ornamento ceruicum tuarum.*

Sed quidnam voluit sibi sponsa, cùm in Canticis dicit de sponso: e *coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ sicut coruus*, non verò dicit: coma eius albam esse, sicut est nix aut lana? hoc tangit profundissimum aliud mysterium, nostroque instituto valdè accommodum. Nam Christus Dominus noster, quia Iudex est vniuersalis viuorum, & mortuorum, debet habere supremam authoritatem, sapientiam, & prudentiam canis & candidis capillis significatam, qui homines indicant senes, sapientes, & prudentes: ideoque Daniel. f *antiquum dierum* eum appellat, quia est æternus: quatenus verò Iudex est, duplices habet cogitationes & iudicia ad ipsius officium pertinentia, in quibus meritò eum imitari debent Pontifices & Reges, omnesque Iudices, Christianæ Reipubl. gubernatores. Alia igitur sunt eius iudicia siue consilia, vt legum ipsius obseruatores remuneret: alia verò, vt puniat transgressores. Prima sunt, *sicut elatæ palmarum*, quæ sursum ascendunt, suntque præmiorum figura: supremus enim noster Iudex ex liberalitatis & misericordiæ suæ magnitudine, ab eo momento, quo peccatores iustificat, incipit *remuneratoris* officium obire, remunerans statim bona eorum opera & merita, bonorum gratiæ & virtutum graduum augmentis, donec in æterna vita (vt Sanctus Ioannes ait) integras g *palmas* tradat *in manibus* omnium, præmia scilicet plenissima. Cogitationes verò ac decreta ipsius ad improbos puniendos, sunt *nigra sicut coruus*, eò quod horrenda sint & stupenda: quia cum ingenti tristitia ac desolatione traduntur in manus hostium eorum crudelium. Nam (vt Sapiens ait) *oculum, qui subsannat Patrem*, æquum est, vt *effodiant eum corui, de torrentibus*, & in hunc modum implet Christus Dominus noster, quod dixit de illo Dauid: i *cum Sancto sanctus eris: & cum viro Innocente innocens eris: & cum Electo electus eris, & cum peruerso peruerteris*: hoc est, pro meritis ages cum illo. Nam erga eos, qui ipsum imitantur in Statibus, in quibus sunt constituti, & eorum proprias leges custodiunt, liberalem se

Palma præmium, Coruus panam denotat.

e Cant. 5. 11.

f Dani. 7. 9.

g Apoc. 7. 9.

Alia interpretatio ponitur in proximo cap.

h Pro. 30. 17.

i Psa. 17. 26.

præ-

præbet in reddendis præmijs; eos verò, qui contra, quam oportebat, se gerunt, punit pro meritis, licèt ipsa punitio sit ipsi grauis: quia optaret potiùs occasionem habere, promissum præmium omnibus reddendi. Ad quod distinctiùs explicandum, cùm de bonis loquitur, ter repetit, quod futurus sit cum ipsis *Sanctus, Innocens, & Electus*: cùm verò loquitur de improbis, semel tantum dicit *peruerteris*, hoc est, eris eis terribilis: qua sententia prouocat nos ad eam sortem eligendam: in qua ipse desiderat liberalitatis & misericordiæ suæ diuitias ostendere; alteram verò fugiendam, in qua ostendet iræ, & seueræ suæ iustitiæ thesauros.

Christus ex suo bonus, ex nostro instus.

CAPVT III.

OCCVLTA DEI PROVIDENTIA IN DISTRIBVENDIS STATIBVS & VITÆ RATIONIBVS: PLVRIMVM REFERRE IN ELECTIONIBVS NOSTRIS, EIVS PRÆSCRIPTVM SEQVI.

DIVINÆ Prouidentiæ consilium in Statuum, Officiorum, vitæque rationum inter homines distributione, adeò est occultum, vt præter ipsum DEVM, nemo possit sufficientem eius rationem inuenire, quemadmodum mirificè perpendit Sanctus Gregorius, dum interpretatur interrogationem ipsius Dei, sancto Iob propositam: a *nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Ordinem cœli ait Sanctus Doctor, esse supremum Dei nostri consilium, ac dispositionem in gubernatione creaturarum, & ordinem quem Spirituale Ecclesiæ cœlum habet in suis Statibus, Officijs, & gradibus, à prouidentia diuina distinctis, ac in varios homines distributis: quia hos vocat ad hunc Statum, illos ad alium; huic tale Officium vitæque rationem tribuit; illi aliud officium valdè diuersum: cuius rei nullus in hac vita rationem reddere potest. Quis enim (ait idem Sanctus Gregorius) intelligat, cur aliquis, qui vacare, & in quiete viuere appetit, innumeris negotijs implicetur; alius negotijs implicari desideret, & coactus vacet; Alius celsitudinem & perfectionem benè viuendi appetere, vult, & valet, alius nec vult, nec valet; alius vult, & non valet; alius valet, & non vult? Docet enim experientia, aliquos viros, & mulieres desiderare continentiam seruare, & tamen quasi coactos coniugium inire; alios verò matrimonium inire cupientes, quodammodo cogi vitam continentem ducere. Alios cupientes esse Religiosos, non inuenire viam, qua mundum relinquant: alios cupientes in mundo manere, inueniunt se quodammodo cogi, vt illũ

lib. 29. moral. cap. vlt.

a Iob. 38. 33.

Ordo cæli Vocationũ diuersitas.

" "

" "

" "

deferant,& fiant Religiosi. Aliquem ambire dignitatem, nec tamen consequi:alium verò,qui illam horret,rapi quodammodo ad eam suscipiendam: & ex duobus,qui eandem ambiunt, aut fugiunt, alterum fieri voti compotem,alterum viam non inuenire, qua fiat. Quod totum dubio procul, non casu euenit, sed consilio & ordinatione cœlesti: Cuius rei radius quidam & insinuatio ponitur in sacro Euangelio, in quo legimus: duos homines voluisse sequi Christum,& cum eo semper manere: Christum verò vtrumque dimisisse,dicentem alteri,b *se non habere,vbi caput reclinaret*:alterum verò iubentem,c *redire in domum suam,& narrare,quanta sibi fecisset Deus*:Contrà verò duorum aliorum excusationem, quam prætexebant, ne statim ipsum sequerentur,non admisisse,nec passum alterum illorum d *primum ire, & sepelire Patrem suum*; nec alterum *ire domum*, vt de suis rebus disponeret; sed vtrumque iussisse,statim ipsum sequi.

b *Luc.4.58.*
c *cap.8.39.*
d *Cap 9.60. 62.*

HORVM euentuum ac distributionum, & similium aliarum causam non potest homo plenè assequi, nec expedit temerè illam inquirere: sed satis nobis esse debet nosse, quòd omnia disponantur à prouidentia Patris infinitè sapientis,potentis,ac iusti; attendentisque ad bonum filiorum, vt illis & Statum & vitæ rationem magis ipsis conuenientem tribuat;idque maiori multò amore,quàm Parentes carnales potuissent illis prospicere: ac proinde rectum omninò est,illius bonitati fidere,& humiliter subijcere nos omnibus, quæ in sua Ecclesia, & in membris eius disponit. Et ob hanc causam Scriptura diuina loquens de capillis Dei, qui excelsas eius cogitationes significat(vt supra est dictũ)nunc dicit esse e *nigros quasi coruos*: nunc f *candidos tanquam lanam albam,& tanquam niuem*: ad significandum(vt perpendit Theodoretus) quod ipsius consilia ac dispositiones sint nobis occultæ, & incomprehensibiles; in se ipsis tamen puræ, sanctæ, & optimè ad scopum directæ. Et quamuis causam assequi non possimus, cur disposuerit in corpore suo mystico, hos esse tanquam pedes, illos tanquam oculos, & alios tanquam caput:id tamen certò nouimus,eum in hac distributione sanctum esse,ac sapientem,& rectè rem totam disponere Infinita enim sua sapientia, Status omnes nouit, vitæque rationes, quas ipsius filij habere possint,tam vtiles quàm pernicioſas : & omnipotentia sua eadem facilitate potest hos atque illos dare.Qui,cùm eos diligat tanquam Pater, sperare de infinita ipsius charitate debent,eum ipsis daturum Statum & officium, quod magis illis rompetit:præcipuè si hac confidentia id petant;sintque fideles, & subiecti beneuolæ ipsius prouidentiæ, consilijs ac dispositionibus. Et licèt verum sit, ipsum in hac distributione non solùm ad priuatum cuiusque bonum, sed ad vniuersale totius Ecclesiæ ac Reip. attendere, cùm sit vniuersalis gubernator,& generalis Statuum omnium Officiorũ, ac ministeriorũ

Capilli Dei nigri & Candidi. Cap.2.ad finem.
e *Can.5.12.*
f *Apoc 1.14.*
In cap. 5. Cant.

Iudicia Dei occulta, sed iusta.

pro-

prospector ac distributor; ideoque ad ipsum spectet eligere & vocare homines ad illa aptos: nihilominus adeò est eius prouidentia diuina sublimis, vt nihil communi bono subtrahendo, etiam particulari prospiciat; & sine huius incommodo communi bono prouideat: Et ita vniuersale Ecclesiæ commodum est illi curæ, vt non sit cum particularium detrimento: & contrà ita bonum particularium curat, vt in vniuersalis boni ipsius Ecclesiæ detrimentum non cedat. Ideoque certam licet habere fiduciam, quòd occulta diuinæ prouidentiæ iudicia non solùm *iusta* sint in se ipsis, sed nobis etiam commoda & *vtilia*: modò ei nos subijciamus, ac sinamus duci per viam ab ipso nobis designatam. Nec solùm vtilia erunt, sed *iucunda* etiam, & propensioni ac facultatibus, quibus nos præuenit, valdè accommodata: vt enim chirothecæ fiunt, vt manibus sint accommodatæ, & vaginæ gladio: ita Status & officium, vitæque ratio, quam Deus ipse distribuit, veniunt iustè & aptè ad mensuram recipientis in bonum ipsius animæ, modò prouidentiæ diuinæ cooperetur. Quia enim optimè ipse nouit, quid cuique magis conueniat, id magna liberalitate & misericordia cuique largitur. Et cùm nullum oneret supra vires: tantam omnibus dat gratiæ suæ, ac donorum cœlestium abundantiam, quanta necessaria est, ad integrè explendum quidquid iniunctus Status & Officium requirunt. Quare diuina Scriptura (vt Sanctus Thomas aduertit) multos Sanctos in Statibus & Officijs inæquales, (quales fuerunt Beata Virgo, Sanctus Ioannes Baptista, Sanctus Srephanus, Apostoli, & alij similes) vocat *plenos* gratia, & Spiritu sancto: quia omnes plenitudinem acceperunt gratiæ & auxilij, quam ipsorum Status & Officium requirebat, ad illud, sicut oportebat, obeundum, vt posteà videbimus. Et hoc totum cadit sub diuinam prædestinationem in electis: quæ (vt initio primi Tomi dictum est) est consilium & idea quædam omnium mediorum, per quæ prædestinatus consequitur vitam æternam; quorum vnum ex præcipuis est Status, Officium, & vitæ ratio, quam habere ipsum oportet in Ecclesia & Republ. Christiana. Ac proinde varijs rationibus & vjjs de ea illi prospicitur, vt in multis exemplis, quæ proponentur in horum Tractatuum progressu, apparebit.

Deus publicum curat & priuatum bonum vtrumque sine alterius damno.

Deus se creaturis accommodat.

3.p.q.7.a.10

Sancti pleni gratia pro status exigentia.

§. 1. *Quantùm referat, diuinæ prouidentiæ ordinem sequi.*

EX PROPOSITA hactenùs doctrina deducenda sunt præcipua huius materiæ monita & documenta. Hoc præiacto fundamento, quod inter omnes res humanas, quæ sub nostram electionem, libe-

Electio status maximi momenti, expendenda sedulo diuinæ voluntati conformanda.

ramque voluntatem cadunt, nulla sit, quæ maiori consilio tractari debeat; nulla, circa quam diutiùs oporteat vigilare, quàm circa *electionem Status*, vitæque rationem, quam sequi velimus; omnes vias, modosque quærendo ad cognoscendum, quid Deus velit; eiusque prouidentiæ ordinem amplectendum, in ea vocatione, ad quam nos vocat, voluntatem nostram cum ipsius diuina conformantes; nostrumque iudicium, occultis eis iudicijs subijciendo: licèt eorum finem ac profunditatem non assequamur. Nam si benè attendamus, ex recta electione, magna ex parte dependet lætitia cordis nostri; conscientiæ pax, profectus in spiritu, bona vitæ nostræ directio, & in virtute perseuerantia: & vt omnia semel dicam ipsa nostra saluatio. Contrà verò ex huius electionis errore proueniet, vt tota nostra vita multas patiatur tristitias, turbationes in multis defectibus, & erroribus cum ingenti damnationis nostræ periculo.

1. *Status omnis sine auxilio intolerabilis.*

Dic Enim mihi, an aliquid sit magis periculosum, quàm quod quis grauissimum aliquod onus sibi imponat, non habens vires & sufficientia auxilia ad illud portandum? aut quid sperari possit de ingenti aliqua ædificij mole super leui & falso fundamento exstructi? quæ igitur prudentia est, eum Statum amplecti, qui nec personæ tuæ qualitati, nec viribus & facultatibus tuis conueniat, & respondeat: ex quo non possit aliud sperari, quàm quod ipsum onus à te proijcias, corruatque ædificium cum iactura æternæ vitæ.

2. *Deus non tenetur dare auxilia extra suam vocationē.*

Nam, Si verum est quod dicebamus, Deum Dominum nostrum fideles vocare ad eum Statum & Officium, quod ex paterna prouidentia illis constituit, tanquam medium valdè accommodatum ad ipsorum salutem; offerens simul vires ad talia onera & obligationes ferendas: quod si diuinæ vocationi resistas, aliam teneas viam: tu ipse certè portam cœli tibi occludis, filumq; mediorum abscindis, quæ diuina prouidentia ad te saluandum constituerat. Et si alium amplectaris Statum, quam Deus sua vocatione tibi offert, imponis tibi onus, quod fortè ferre non possis. Quamuis enim verum sit, Deum nulli denegare necessaria ad salutem consequendam auxilia: nostro tamen humano more loquendo liceret dicere: Deum non teneri vires suppeditare ad onus portandum, quod ipse non imposuit; nec subsidia ad eum Statum, ad quem ipse non vocauit. Qua enim fiducia auxilium petes à Deo ad calamitates, & afflictiones occurrentes in eo Statu, quem, vt tuam sequereris voluntatem, contrà ipsius diuinam elegisti? aut quomodo habebis animum ab eo petendi, vt eruat ex periculis, in quæ incideris in Officio, quod sola tua ambitione, nihili faciens vocationem diuinam, obtinuisti? iurè enim respondere tibi poterit, vt pro auxilio recurras ad eum, qui te vocauit; & vt ab angustijs, & anxietatibus liberet,

qui

qui te in illas coniecit. Ita euenit Israelitis, cùm de Deo conquererentur, dicentes a: *Deus meus, cognouimus Sanctum* nomen tuum, cur nos deseruisti in angustijs nostris tempore scilicet nostrarum calamitatum? quibus ipse Dominus per Oseam Prophetam respondit, *proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes exstiterunt, & non cognoui.* quibus verbis conqueritur etiam ipse Dominus de suo populo, quod Reges sibi elegisset, ipso inconsulto: & de ipsis Regibus, quod populi gubernationem per tyrannidem & ambitionem sibi vsurpassent, non vocati, nec electi ipsius nomine. Et hanc adfert causam, cur ipsis afflictis non subueniat, nec eripiat ex periculis, & malis, quibus premebantur. Et quod maiorem adfert admirationem, illud est, quod vnus ex Regibus, de quibus Deus conqueritur, erat Ieroboam, quē *Ahias* Propheta ex parte ipsius Dei, nominauit Regem decem tribuum Israel, relicta vna tantùm filio Salomonis: & nihilominus dicit ipse Dominus, *ipsi regnauerunt, & non ex me.* Nam (vt notat Sanctus Cyrillus) quædam facit Deus, ita diuina sua prouidentia illa constituendo, quia placent illi: sicut elegit Dauid in Regem Israel; & Apostolos vocauit ad Apostolatum. Et qui hoc modo vocantur, non intrant propria sua voluntate, sed ipsius Domini illos eligentis & vocantis: & his subuenit faueṫque prospiciendo de omnibus necessarijs, vt vocationi suæ respondeant. Sed alia quædam facit idem Deus, non nisi ea permittendo in pœnam peccatorum: quemadmodum ad punienda peccata Salomonis, permisit decem tribus Israel eligere sibi in Regem Ieroboam, qui propria sua voluntate in electionem consensit. Quòd verò DEVS illum designauerit in Regem, id fecit acquiescens eius Tyrannidi & superbiæ, in finem prædictum. Hac ratione plurimi intrant in diuersos Status & Officia, tam Ecclesiastica, quàm sæcularia, non electione & vocatione propria ipsius DEI, nec ab ipsius prouidentia eam dirigente; sed merè permittente in pœnam peccatorum propriorum, aut aliorum, annuendo scilicet ipsorum ambitionibus, cupiditatibus, & voluptatibus, quia ipsi eas eligunt, ad propriam suam damnationem. Et qui ita intrant in aliquem Statum, quamuis videantur à DEO eligi, id tamen non ita est: sed ipsi potiùs sese immittunt: propriaque voluntate, consilio & electione, in talem Statum & Officium ingrediuntur: quare sibi imputent, quidquid mali euenerit: quod vt plurimum est valdè magnum. cùm enim non ingrediantur per portam diuinæ vocationis; sed ambitionis, auaritiæ, & voluptatum; quamuis religionis pallio, honestatis, aut necessitatis coopertas, intra breue tamen tempus, laruas hasce, & virtutum speciem deponentes, expansis velis nauigant, ad praua sua desideria explenda, donec impingant in scopulum aliquem infœlicis alicuius euentus, qui fructus est cæcæ eorum electionis. Nolo hic hærere in

2 Osea 8. 2.

Quæ quis intrinsecus hæc exedat.

In Osea 8.

Deus quosdam vocat, quia vult

referendis infœlicibus euentibus matrimoniorum, vel inordinata tantùm affectione initorum; & gubernationum tyrannicè vsurpatarum; & Officiorum exambitione sola quæsitorum: eò quòd Scripturæ tam diuinæ quàm humanæ plenæ sint infortunijs, quibus DEVS huiusmodi electiones punit: & quotidiana experientia ad oculum nobis proponit huiusmodi multa. Et in proximo Tractatu, qui est de Tentationibus, licebit videre innumera damna, quæ in huiusmodi electionibus adfert *ambitio*. Id solùm nunc perpendamus: si verum sit, sicut reuera est, aliquos vocatos & electos à DEO, à cuius manu Statum & Officium acceperunt cum talento & facultatibus sufficientibus ad suas obligationes explendas, tandem sua culpa perijsse (quemadmodum perierunt Saul, Iudas proditor & alij similes:) mirum non esse, quòd pereant illi, qui proprio motu, nullo DEI neque rationis respectu habito ad illa se ingerunt: possumus enim meritò timere ne sententia illa nostri Saluatoris illos comprehendat, quæ dicit: b *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*. Et vt Sapientia diuina dixit, *spuria vitulamina*, siue adulterinæ plantæ, quæ non in veritate, sed in mendacio fundantur, *non dabunt radices altas*; ideoque *& si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, a vento commouebuntur, & eradicabuntur* ex loco, in quo ab adultero suo affectu excitati, sese collocarunt.

Infelix propria electio. Cap. 17.

Vocati pereunt, quid fiet se ingerentibus?

b Mat. 15. 13.

c Sapie. 4. 3.

SCIO DEI misericordiam valdè esse magnam; ac scire ex nostris malis elicere bona; & ex erroribus veritates: & ita crediderim, aliquos non recta via Statum elegisse, & Officium obtinuisse, qui tamen errorem & culpam suam animaduertentes, voluntatem prauam tandem mutarunt; & fuerunt à Deo adiuti, & ab eius misericordia protecti. Sed qui huic misericordiæ innixus, suam electionem clausis (vt dicitur) oculis faceret, non censeretur prudens. Nam id est commune & ordinarium, vt ex vocatis & electis à Deo ad huiusmodi Status & Officia plurimi proficiant: sed ex non ita vocatis, plurimi pereant. Scimus ex d *duodecim Apostolis*, à Christo Domino nostro electis, *Iudam* solùm commutatum in *Diabolum* e *periisse*: at ex duodecim à dæmone electis ad suos Status, vix vnus ad Christum reuertetur: & ex septem *Diaconis*, quos Apostoli nominarũt, solus *Nicolaus* ab accepta veritate apostatauit: at ex septem inaniter à mundo electis ad sua Officia, vix vnus ad bonum finem perueniet. Ex quo concludo, quod initio proposui: in nulla re debere nos maiorem curam ac diligentiam adhibere, quàm in eligendo Statu & vitæ ratione, quam sequi debeamus; vt electio nostra recta sit, diuinæque voluntati ac vocationi, qua ille nos vocat, conformis.

Rarum est vt prava electio bene cedat.

d Ioa. 6. 71. & c. 17. 12.

e Actuum 6. 5

Prudenter elige.

§. 2. *Quid illud sit, in quo censemur Diuinæ prouidentiæ ordinem sequi.*

Tria requisita Electionis.

SVPEREST vt fusiùs explicemus ea, quæ ex nostra parte sint facienda, vt consilium, & ordinem prouidentiæ diuinæ sequamur. Quæ omnia ad tria præcipua capita reuocabimus. *Primum* est, vt pura & recta sit *intentio* in hac Statuum & Officiorum electione, ne scil. tendat in prauum ambitionis, cupiditatis, aut sensualitatis finem; sed bonum aliquem ad Dei gloriam, salutem & vtilitatem nostram, aut proximorum nostrorum. *Secundum* vt *apta* semper *media* applicemus, quæ scil. Dei voluntati, rationi, & prudentiæ sùt conformia: excludantur verò illicita omnia, & quæ à diuinis & humanis legibus sunt prohibita. *Tertium* est, vt in his omnibus non temerè aut ex passione & affectu vehementi, qui turbationem aliquam animæ adferat, procedamus; sed cum animi tranquillitate, prudentia, & maturitate exequendo, quod scriptura diuina monet: a *iustè quod iustum est persequeris, vt viuas* fœliciter vitam hanc temporalem, & gratiæ; & posteà consequaris æternam.

1. *Intentio pura.*

2. *Apta media*

3. *Prudentia.*

a Deut. 16. 20.

QVANDO *tria* hæc in tuis electionibus, & animi votis seruaueris, exitum quem in eis habueris, iudicare poteris signum diuinæ voluntatis, eiusque prouidentiæ erga te consilium: siquidem ipse dixit, b *quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Si enim Statum aliquem, Officium, aut dignitatem in Rep. quæras, aut bona aliqua temporalia ad vitam sustentandam, idque præcipuè dirigas in eum finem, vt DEVS regnet in te per suam gratiam; & tu postea cum illo in eius gloria: &, si media, quæ adhibes, & modus, quo vteris, omnia sunt conformia iustitiæ huius regni, legibus scilicet, præceptis, & consilijs eius, confidere poteris, Deum bonum exitum daturum tuis conatibus, si tibi ad cælum consequendum expediat. Et quamuis totus mundus, & ipse infernus impedire id conentur, non præualebunt, si Deus id tibi concedere statuit: quod si reipsa impediuerint, signum tibi certum esse debet, non placuisse Deo, vt tibi daretur, eò quòd tibi non expediret: ac propterea noluit obicem illum remouere.

b *Matt. 6. 33*

1. *Sic Iacob Liam.*

HANC REM præclaris quibusdam exemplis ex diuina Scriptura petitis illustremus. Cupiebat Iacob ducere Rachelem in coniugem, ad quod obtinendum, media adhibuit vsitata & recepta, dicens Laban eius parenti, c *seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis* Quibus elapsis decepit eum Laban, tradens ei filiam natu maiorem, quæ Lia appellabatur, permittente Deo hanc eius deceptionem, eò quòd hoc ei coniugium magis tunc expediebat, quam cum altera, quàm optabat Qui post seruitium septem

c Gen. 29. 18.

aliorum annorum, tandem voti factus est compos, & accepit etiam Rachel, quia vidit Dominus id tunc fore illi vtile.

2. *Opes accepit.*

ET paulò pòst cupiens idem Iacob aliquas terrenas facultates acquirere, quibus filios & familiam sustentare posset, pactũ iniit cum Laban, quod per annos aliquot vellet illi seruire, sed acciperet pro mercede, d *quicquid ex grege* vnius coloris, siue albi, siue nigri *nasceretur varii coloris.* Quo pacto inito, tollens Iacob virgas quasdam, ex parte decorticatas, posuit coram ouibus tempore conceptús: deditque Deus huic industriæ, vt cùm virgæ ponerentur, semper oues parerent diuerso colore respersas. Et cùm pœniteret ipsum Laban huius pacti aliudque contrarium iniret, vt quidquid, albi coloris nasceretur, acciperet ipse Iacob: tunc non adhibitis virgis decorticatis, totus grex prodibat albus. Et quamuis e *Laban decies* hoc pactum mutasset, toties tamen successit res ex voto ipsi Iacob: & sic f *ditatus est vltra modum.* Ita enim diuina prouidentia disposuerat. Et quoniam diuitias ipse in bonum finem quærebat; mediaque apta adhibebat, totam fiduciam in Deo collocando: habuit eius desiderium fælicem exitum.

d Gen. 30. 32

e Gen. 31. 8.

f cap. 30. 43.

Diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum.

IN His exemplis resplendet quiddam magnæ consolationis pro ipsis iustis, quibus aliena peccata nunquam nocent, nisi eorum sint participes: nec poterunt diuinæ prouidentiæ decreta in suorũ fauorem impedire; nam potiùs solet DEVS prauos peccatorum conatus conuertere in media apta, ad consilia sua in Iustorum fauorem exequenda, quemadmodum vsus hic est fraudibus Laban, vt in ipsius Iacob bonum cederent.

3. *Ioseph resignatus.*

QVOD etiam adhuc clariùs apparebit in stupendo exemplo Patriarchæ Ioseph, quem prouidentia diuina designauerat, vt esset aliquando Vice Rex Aegypti, cui adhuc iuueni id in somnijs reuelauit, quod somnium, cùm suis g *fratribus* aperuisset, acceperunt illi ex eo occasionem, vt ex inuidia conarentur impedire diuinæ prouidentiæ consilia, ideoque illum tanquam mancipium *vendiderunt* in Ægyptum. Sed (vt S. Gregorius expendit) media, quæ illi adhibuerunt, vt fratrem suum *humiliarent*, conuertit Deus in media quibus *exaltaretur*: quare malitia & inuidia fratrum nihil nocuit ipsi Ioseph, sed potius fuit ex vsu prouidentiæ diuinæ, vt fieret quod decreuerat. Quod optimè ipse Ioseph intellexit, & apertè fassus est, cùm fratribus dixit: h *non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* i *Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis.*

g Gen. 37. 9. 28.

Lib. 6. Moral. c. 12.

h Cap. 45. 8.

i cap. 50. 20.

Abstinuit malis rae dijs.

SED vnde tantum bonum huic Patriarchæ, nisi quòd diuinæ prouidentiæ confiderit; & se ab ea duci permiserit? nunquam enim voluit vlla mala media admittere, aut adhibere ad consequendam dignitatem, quam DEVS illi reuelauerat: ideoque Deus ad manus illi obtulit, non cogitanti, ea quæ,

futura

futura erant efficacia, ad illam consequendam: quemadmodum diuina Scriptura insinuat cùm dicit: k *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti*, significans, id totũ ei propterea euenisse, quòd secutus fuerit cum perfectissima obedientia, consilium & dispositionem prouidentiæ diuinæ. k *Mach. 2. 53.*

4. *Dauid confidens Deo.*

IDEM euenit valdè excellenter Dauidi Regi qui etsi nouerat, se à Deo electum in Regẽ post Saulem; experiretur autem ipsius Saulis in se odium, quo vitã illi auferre moliebatur: nihilominùs ipse nunquam voluit mala media adhibere, vt voti compos euaderet. Nam licèt non defuerint occasiones, in quibus potuisset Saulem occidere; & ipsius milites id illi suaderent, noluit tamen id vnquam facere, sed omnia diuinæ prouidentiæ commisit. Et quãtis eius æmuli in persecutionibus eum tentarent, ac dicerent: *vade, serui Diis alienis*: nunquam illis annuit; sed fideliter in obsequio Dei perseuerauit, donec Deus regnũ in manibus eius posuit, per ea media, quæ ipse minus cogitabat, nihil interim prætermittens eorum, quæ facere debebat. l *1. Reg. 26. 20.*

5. *Patientia est necessaria.*

OPERÆPRETIVM tamen est aduertere, duobus his clarissimis viris *Iosepho & Dauid* magna patientia & longanimitate opus fuisse, eò quòd prouidentia diuina soleat interdum moras trahere, & postquam Officium aut dignitatem promittit, differre diutiùs executionem: permittens aliquoties ex eadem promissione accipi occasionem differendi executionem, propter impedimenta, quæ eius causâ exoriuntur. Et qui cum Deo Domino nostro agit, & aliquid ab eo obtinere desiderat: non debet multùm festinare; sed resignare se ipsum, ac subijcere, vt moras patienter sustineat, memor sentẽtiæ Prophetę dicentis: m *si moram fecerit, expecta eũ, quia veniens veniet, & non tardabit*, tẽpore scil. opportuno, & Isaiæ dicentis: n *qui crediderit, non festinet*: & Sapiẽtis: o *qui festinus est pedibus, offendet*: & ita offendẽdo cursũ ipsũ interrũpit, & solet perdere brauiũ. Præterea tempus ipsum magnus est magister; & multa media manifestat, quæ antea erant occulta, aut ipse Deus potius tẽporis decursu, ea sensim ostẽdit, & indicat: vult enim ipse omnia fieri cũ quiete: & propterea dixit Ecclesiastes: p *omni negotio tempus est, & opportunitas*, sed *multa* tamen *est hominis afflictio*, volentis res extrahere, & habere extra suum tempus & opportunitatem; & præcidens fructum immaturum, non capiet ex eo vtilitatem, sed acerbitatem, qua dentes ipsius ligentur. Nam quemadmodum diuina prouidentia certa tempora constituit, in quibus arborum fructus maturescant: ita etiam constituit ad expedienda & perficienda negotia, ad suam gloriam suorumque electorum destinata. m *Hab. 2. 3.* n *Isai. 28. 16* o *Prou. 19. 2* p *Eccles. 8. 6. Tempus est magnus magister.*

DENIQVE ex his quæ diximus, constat etiam eos diuinæ ordinationi ac prouidentiæ resistere, qui rem aliquam negligunt, earum, quæ nos cum illa conformant, siue quòd in obliquum & malum *finem* tendamus,

siue

Finis, media & modus attendenda

siue quòd *media* adhibeamus illicita & prohibita; aut denique malus adsit *modus*, eò quòd patiamur, nos à passione & inordinata affectione raptari, neglectis interim circumstantijs, quæ deberent opera nostra comitari. Et qui hanc tenent viam, impediunt (quòd in se est) bonũ, quod prouidentia diuina ipsis volebat tribuere; faciuntq; iacturam magnã, quam eadem prouidentia diuina permittit in pœnam peccatorum ipsorum. Quemadmodum facilè videri potest in euentis infælicibus studiorum & conatuum Saulis: eò quòd mala media adhibuerit ad regni sui conseruationem, neglectis Dei consilijs & mandatis, vt iudicium proprium sequeretur. Nam cùm Samuel Propheta ex parte Dei illum monuisset, vt expectaret in Galgala cum populo per septem dies, vbi essent oblaturi holocausta, antequam Samuel perueniret in die septimo, videns Saul, quòd populus dilaberetur, ipsemet obtulit suum holocaustum. q *Cumq; complesset offerens holocaustum: ecce Samuel veniebat, qui sciens, quid Saul fecisset, dixit illi; Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses tam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset Dux super populum suum, eò quòd non seruaueris, quæ præcepit Dominus.* quare, si Saul secutus fuisset diuinæ prouidentiæ consilia, regnum eius confirmatum fuisset in perpetuum, sicut facere decreuerat: sed quoniam, illis neglectis secutus est proprium iudicium, deditque locum humano timori, quòd populus eum esset deserturus, fuit verè à Deo reiectus, & à populo desertus, & in idem damnum *incidit*, quod *timebat*: quod Deus intercidisset, si Saul ipsius dispositionem ac directionem fuisset secutus. Et qui septem constitutos dies ferè expectauerat, voluit tempus à Deo pro holocausto præscriptum, præuenire, & per se ipsum, Samuele non expectato, offerre. Et quia *festinauit, offendit*, ex quo ita est lapsus, vt nunquam amplius caput erexerit. Et idem dixerat prius Deus Heli Sacerdoti tremendis his verbis: r *loquens locutus sum* & statueram *vt domus tua, & domus Patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nũc autem absit hoc à me: sed quicunque glorificabit me, glorificabo eum: qui autẽ contemnent me, erũt ignobiles. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animã meã faciet, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Quæ sententia apertè indicat, pertinaciam nostrã & inobedientiam in caussã esse, cur Deus decreta & consilia sua immutet: non quòd in ipso sit reuera aliqua mutatio, sed in nobis. Eius enim decretum fuit, statum nobis, & honoratum officium cõferre, & nos in eo conseruare; ita tamen, vt nos ipsius directioni subijciamus, & exequamur voluntatem. Quando autem ex malitia & ambitione nostra eius directioni nos subducimus, decretum illlud suum mutat in

q 1. Reg. 13. v. 13.

Saul inobedientia incurrit quod timebat.

r 1. Reg. 2. 30.

Sic & Heli.

pœnam

pœnam nostræ culpæ: nam vt honorat, ipsum honorantes; ita iustissimè deserit, ipsum deserentes. Si igitur Deus absolutus est omnium Statuum, Officiorum, ac dignitatum Reip. Dominus, multò magis quàm omnes Reges, & mundi Monarchæ; & in manu sua habet, distribuere Statum altiorem & demissiorem; Officium honoratum, & abiectum; & fœlicem aut infœlicem editum per media à se constituta: quæ maior amentia esse potest, quàm resistere voluntati Dei adeò potentis; eiusque constituta media conculcare? num existimas, te scire, aut posse plus quàm ipse Deus? aut persuades tibi, consilia tua ipsius consilijs præstare? aut posse te contra illa præualere? *Quis* (ait Iob) *restitit ei, & pacem habuit*? & quis poterit diuinam eius prouidentiam effugere? si enim eam fugias, quà bonos prosequitur: comprehendet te, quà punit improbos. Et nisi te ei directioni subijcias, quam exhibet tanquam *Pater*: incides inuitus in eam, quam gerit, vt iustus *Iudex*, qua vltionem sumet de pertinacia & proteruia tua.

Voluntati Dei quis resistit!

[Iob. 9. 4.

Deus pater aut Iudex.

CAPVT IV.

DEI PROVIDENTIA CIRCA VARIAS INclinationes, talenta, & vocationem ad varios Status.

MIRABILIS omninò est prouidentia diuina in adhibendis *mediis*, quibus varios Status, Officia, vitæq; rationes, quæ sunt in Ecclesia, & Rep. Christiana hominibus distribuit. Horum mediorum quædam sunt *naturalia*, ad ipsum corpus vel animam pertinentia; alia *supernaturalia* addita ipsi naturæ à misericordia diuina: & similiter quædam *dependent* à libero nostro arbitrio & industria; alia verò illam *præcedunt*: quia diuina prouidentia solet multò antè de ijs prospicere; & ab ipsa *nativitate* eis distribuere ea res, quæ disponant ad Satus & Officia, quæ illis tribuere cogitat. Quarum rerum *duæ* sunt magis insignes, & vniuersales: *propensio* scilicet & *talentum*; applicatio & ingenium ad Statum & Officium accommodatum, a *disponens* (vt Sapiens dixit) *omnia suauiter*, propter propensionem; & *fortiter*, propter talentum. Quare vt Author est naturæ, distribuit hominibus varias inclinationes & talenta naturalia, vt applicent sese, & addicant diuersis Reip. Statibus & Officijs; eaque præstent, hinc cum *delectatione*, quia ipsorum propensioni sunt conformia; inde verò sufficienter ac *perfectè*, propter talentum, quod ad ea præstanda habent. Et quamuis sint gemelli fratres, sicut b *Esau & Iacob*: variæ tamen erunt

Mediæ varia vocationum.

Propensio & talentum.

a *Sapi. 8. 1.*

b *Gen. 25. 27*

eorum propensiones & ingenia, quibus se ad exercitia diuersa applicent: alij quidem ad altiora, magisque ingenua; alij ad abiectiora & humiliora. Nulla est enim ars mechanica, aut Officium vilissimum, & maximè laboriosum, ad quod sapientissimus gubernator, & vniuersalis mundi Paterfamilias non prospexerit de personis, quæ suauiter & industriè illud exerceant. Id quod adeò est solius Dei proprium, vt nullus terrenus Princeps id efficere possit. Nam Reges, licèt cogere possint, vt quis Statum aliquem, aut Officium in Rep. sua necessarium subeat: non tamen possunt naturales hominum *propensiones* mutare; neque *ingenium* & industriam, quam natura illis denegauit, tribuere. Solus DEVS est, qui infinita sua sapientia a *attingit à fine vsque ad finem*, ita vt nihil ab vno polo (vt dicitur) ad alterum effugere eum possit; sed ipse *fortiter suauiterq;*, siue (vt Græca lectio habet) *vtiliter omnia disponat*. & (vt S Iob dixit) b Qui *fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura; ponit pluuiis legem, & viam procellis* maris *sonantibus*: vt res omnes creatæ naturales suas inclinationes, pondus scilicet, mensuram, legem, & propriam viam sequentes, accurrerent ad omnia, quæ sunt ad mundi conseruationem necessaria. Ideoq; quibusdam hominibus ingenuas dedit inclinationes, magnaque talenta, ad sublimia & excelsa Reipubl. exercitia: qui *ventorū* instar & nubium adspirant, vt sese è terra eleuent; videnturque ad id nati, vt sint domini, & alios gubernent, aut doctissimi sint, & aliorum magistri. Alijs verò inclinationes dedit ac talenta vilora, qui instar *aquarum* fluminum & maris ad res abiectiores propendent: & videntur nati, vt mechanici sint, operarij, & vt alijs famulentur. Et quoniam propensiones suas sequuntur, omnes viuunt contenti, & gloriantur in suis officijs, in quibus studeant excellere. Hinc prouênit, vt (quemadmodum Scriptura Sacra refert) alij vnam artem inuenerint, alij aliam, ad eam perfectionem illam perducentes, quæ tunc obtineri poterat.

Deus solus dat propensionem & talentum.

a *Sapi. 8. 1.*

b *Iob. 28, 25.*

Variæ inclinationes. Gen 4, 20.

§. 1. *Vocationis & Electionis diuinæ vestigia sunt Inclinatio & Talentum ad vitæ status eorumq; Ministeria.*

ASCENDENTES autem ab his naturalibus ad supernaturalia, inueniemus, eundem Dominum nostrum, quà author est gratiæ, vt Statibus & Officijs Ecclesiæ, ac Reipubl. Ecclesiasticæ, & Religiosæ benè esset prospectum, tribuere hominibus duas alias res similes, quæ tanquam vestigia quædam sunt Vocationis & Electionis diuinæ, *inclinationem* scilicet & *talentum*, alacritatem, oblectationem, & fortitudinem ad Statum, Officium, & ministerium, ad quæ illos vocat. Idque facit duplici via. Inprimis enim, quoniam idem ipse DEVS author est naturæ & gratiæ, solet iacere naturæ fundamenta, ædificio proportionata gratiæ, quod constituit super illa erigere, vt vtraque se mutuò iuuent, & inter se benè

Duplex vocatio.

I. *Naturalis inclinatio.*

coniun-

coniuncta, suauius & efficacius ad perfectionem perueniant. Hunc ordinem seruasse Deum cum Angelis ait S. Thomas, maiori gratiæ dona ijs communicando, qui erant in natura perfectiores. Et quamuis cum hominibus non semper hunc ordinem seruet, (vt idem S. Thomas probat, ipsaque experientia docet:) non potest tamen negari, aliqua supernaturalia dona optimè quadrare & collocari super ea naturalia, quæ similitudinem & proportionem cum ijs habent. Quamobrem ipse Dominus noster comparauit se ipsum cuidam homini, qui seruis suis talenta trâdidit, a *vnicuique secundum propriam virtutẽ*; cuius sententiæ primus sensus est: quòd fidelibus distribuat Status, & Officia Ecclesiæ, & reliquas gratias gratis datas, quas ibi *talenta* appellat, accommodata virtuti, inclinationi, & viribus cuiusque naturalibus: vt maiori cum suauitate, perseuerantia, ac firmitate illa exerceant. Coniugatis dat *vnicum* talentum, & virtutem ad *præcepta* diuina seruanda, & Status sui portanda onera; Continentibus & Religiosis *duo* distribuit talenta; & virtutem, vt vlteriùs progrediantur, & non solùm præcepta, sed etiam perfectionis *consilia* seruent. Prælatis & Operarijs Euangelicis *tria* alia addit, *scientiam* scilicet, quam tanquam Magistri docere debent; & *prudentiam* gubernandi, tanquam Pastores; donumq. *loquendi* ac persuadendi, vt audientium corda permoueant, sicut Concionatores. Quæ talenta, vt plurimùm bonis illorum propensionibus accommodat: ne gementes, & cõtra earum profluentem, cùm malæ non sunt, onus portent: siquidem nihil volentum est perpetuum. Quare cùm Status & Officium sunt perpetua, solet DEVS vocationem suam collocare supra naturale fundamentum, illis proportionatum, vt ea sit diuturnior. Eos qui sunt naturâ magnanimi, & *generosi* cordis, adhibet ipse tanquam instrumenta ad egregia & ardua facinora, sicut Moysen & Saulum adhibuit. Timidos verò & pusillanimes, non vocat ad bellum, sed facit in domo sua virtutũ opera exercere. Eos, qui naturâ sunt *inquieti*, non vocat ad exercitia vitæ contemplatiuæ: quia talis quies esset illis instar mortis; sed ad *actiua* ministeria, vt quietè viuant: quemadmodum contra, eos qui naturâ suâ *quieti* sunt & sedati, vocat ad opera *contemplationis*, quibus possint proficere. Denique quemadmodum Christus Dominus noster dixit, nullum prudentem *vinum nouum mittere in vtres veteres, alioquin rumpi vtres, & vinum effundi. Sed vinum nouum in vtres nouos immittere*, & vinũ vetus in vtres veteres, *vt vtraq; conseruentur*: ita etiã Dominus noster Status, & ministeria inclinationi & talento accõmodat, eorũ, quos ad illa vocat: alioqui peribit officiũ, eò q nõ benè geretur, & dãnabitur, qui illud agit, quia nõ satisfaciet suæ obligationi. Et vero dic mihi: quid est Status *Prælati*, & Officiũ *Iudicis* in homine naturâ suâ valdè timido, breuis iudicij, ignauo & negligente? aut Status

1 p. q. 62. a. 6. 2. 2. q. 24. a. 3.

Talenta viribus naturæ commensurata.

a *Mat. 25. 15*

Varia talenta.

Varia inclinationes.

sacerdotii & continentiæ, in eo qui ob naturæ suę constitutionem vritur, nec potest carnis impulsibus resistere; nisi vinum nouum in vtre antiquo, quod rumpit recipientem, estque condemnationis eius occasio? quòd si ex indicijs tantùm naturalibus progrediamur (omissis superioribus alijs inspirationibus) existimare omninò licet, Deum non vocaturum tales ad Statum, talento & viribus adeò imparem; sed ad aliquem alium, qui non exigat tantum feruorem & perfectionem: in quo & ipsum Officium, & qui illud gerit, melius habebunt: quia & Officium geretur benè, & qui illud gerit, in eo saluabitur.

Officia inclinationi attemperanda.

§. 2. *Naturalis Talenti ad Status & Ministeria Ecclesiæ exiguitas.*

SED quoniam omne talentum solius naturæ est valdè exiguum ad hos Status, & ministeria Ecclesiæ, ac Reip. Christianæ; nec Deus vult se his naturæ legibus alligare: hinc est, quòd quà idem Dominus author est gratiæ, excellentiorem aliam & sublimiorem viam habeat, cum mira suauitate, qua communicat supernaturaliter inclinationem & talentum per cælestes suas illustrationes & inspirationes, aliaque subsidia & auxilia, quibus præuenit adiuuatque, quos ad Statum aliquem, Officium aut ministerium vocat. Ita vt, si naturalem illi propensionem, & aptitudinem ad ea habeant, valdè eam gratiâ suâ perficiat: quòd si desit, ipse eadem sua vocatione, aptitudinem illis tribuat. Nam diuinæ vocationis gratia adfert secum talia auxilia, vt propensinem vires que præbeat ad ea opera præstanda, ad quæ propensio illa dirigatur; vincitque naturæ repugnantiam, & facit ad id inclinare, quod antea auersabatur; ac præstare, quod per se solã non poterat. Quãobrem Sanctus Thomas dixit: vocatum à Deo ad Statum religiosum, non posse dubitare de facultatibus & viribus ad vitam in ea ducendam: quia DEVS eas præbet à se vocatis. Nam a *qui sperant in Domino* (ait Isaias) *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Et in hunc sensum distribuit CHRISTVS Dominus noster horum Statuum & Officiorum talenta, b *vnicuique secundum propriam virtutem*: non *naturalem*, quam ex se habebat; sed *communicatam* ab ipso Domino: qua etiam præuenit eundem; nec plus oneris imponit, quàm possit his viribus & virtute ferre. Et qui accepit quinque talenta, & qui duo aut vnum (nisi ipsi sibi desint) semper habebunt auxilium necessarium ad negotiandum fideliter cum eis: gratia enim supplebit naturæ defectum; & inspiratio diuina inclinationem addit supernaturalem, vbi naturalis defecerit, & vires diuinas; quas qui habet, non indiget humanis. Quamobrem DEVS DOMINVS noster ad ostendendas inæstimabiles gratiæ suæ diuitias, solet hisce suis inspiratio-

Propria virtus duplex, Naturalis & communicata.

2. 2. q. vlt. a. vlt.

a *Isaiæ 40. 31.*

b *Matt. 25. 15.*

Ex S. Thom. 2. 2. q. 24 a 3. ad prim.

2. Inspiratio cælestis.

nibus

nibus ad egregia aliqua facinora aliquos vocare, qui naturalibus facultatibus ad ea præstanda carent; datque magnanimitatem ijs, qui natura sunt timidi; & tranquillitatem inquietis; castitatem ijs, qui ex cõstitutione sua sunt lasciui. Et quemadmodum olim ad insignes victorias obtinendas insignes & strenuos Duces, & animosos milites elegit: aliquando tamen etiam debiles fœminas, qualis c *Debora* fuit, *Iudith*; & milites tyrones ac timidos, quales esse solent famuli e *pedissequi* in exercitu eligebat: ita nunc ad fundandas ac reformandas Religiones & alia huiusmodi egregia facinora elegit aliquando viros magnos, magni ingenij, iudicij, nobiles, & qui alia multa habent talenta naturalia: sed aliquando tamen etiam eligit debiles mulieres, & homines idiotas, & qui exiguas habent facultates: iuxta illud Apostoli: f *videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt cõfundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia, & ignobilia mundi, & cõtemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hoc autẽ, quod Apostoli à natura non habuerũt, consecuti sunt gratia diuini Spiritus, qui, cùm eos elegit, transmutauit, & ad sublime adeò officium euexit, vt suam omnipotentiam manifestaret; quod Amos Propheta plausibili quadam comparatione ex pressit, dicens: g *qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus* h *Deus omnipotens nomen est eius*; indicat enim quod quemadmodum Deus, quà est naturæ author, omnipotentiam suam manifestat, & ducens aquas dulces, non ex fluminibus tantum, sed etiam ex salsis maris aquis, quas Solis radijs calefaciens, conuertit in subtilissimos aquę vapores, qui in altum ascendentes, condensantur in nubes; à ventis verò pelluntur per totam terram, quam irrigant & fœcundant. Et hoc opus apellatur *vocatio aquarum maris*, quia obediunt voci Creatoris: ita etiam (ait S. Hieronymus) idem Deus, quà est author gratiæ, omnipotentiam suam manifestat, mutando ipsam naturam pro libitu suo, ex vno contrario, alterum deducendo, vocando & extrahendo ex mari huius mundi homines natura sua crassos, rudes, inquietos, quos cœlestis suæ lucis radijs mutat in alios viros; & exaltat ad sublimem quandam vitam, plus quàm humanam: vt Spiritus S. vento tanquam nubes impellantur, suaque doctrina irrigent corda terrena, & ita ea fœcundent, vt Sanctorum operum fructus producant.

Deus nunc magnos eligit nunc paruos.

c *Iudic.3.9. & 4.9.* d *Iud.16.30. & 3. Reg.20. 14.*

f *1.Cor.1.26*

g *Amos.5.8* h *LXX.*

Vocatio aquarum maris.

Cvm igitur tanta sit Dei nostri potentia, adeoque miranda eius gratiæ efficacitas, quicunque certa habebit indicia, quod vocetur à Deo speciali vocatione ad aliquem Statum, Officium, aut egregium aliquod facinus, etiamsi defectum in se aduertat talentorum & facultatum naturalium, non debet hærere, aut dubitare, quin diuinæ vocationi obediat: confidens in

Vocationi diuinæ parendum.

domino vocante, quòd ostensurus sit suam Omnipotentiam, ac suppleturus, quod ipsius naturæ deest. Hoc enim valdè est conforme omnibus
h Luc. 14. 28 *prudentiæ* Christianæ regulis. Nam si prudens aliquis velit turrim sibi valdè vtilem ædificare; cùm cogitat de facultatibus ad eam ædificandum, (neh *fortè, si cœperit ædificare, & non potuerit consummare*, illudatur) non solùm computat sumptus, quos ex proprio *patrimonio* habere possit; sed etiam quos speret, se, aut ab amicis titulo *donationis*, aut ab alijs *eleemosyna* posse comparare. qui sumptus, si essent valdè copiosi, etiamsi patrimonium sit alias exiguum, poterit prudenter ædificium aggredi: ita etiam quiarduam & perfectam aliquam vitæ rationem inire cupit: non solùm respicere debet *naturale* talentum quod habet, inclinationes scilicet & ingenium, aliasque naturales dotes: quia hi sumptus, qui sunt tanquam patrimonium proprium, licèt aliquid valeant, non tamen sufficiunt ad Christianæ perfectionis turrim consummandam. Sed quamuis videat, sibi ad rem tam arduam multa deesse: si tamen *pignus*, quoddam internum habeat, quòd Deus sit illi adeò copiosa gratiæ auxilia suppeditaturus, vt naturalem ipsius defectum suppleat, benè poterit animosè aggredi ædificium. Hoc autem pignus, & spem habet, quem Deus vocat, & efficacibus suis inspirationibus, & pulsibus cælestibus præuenit: gratia enim diuinæ vocationis secum adfert huiusmodi auxilia. Et ipsa experientia (ait S. Gregorius) docet, quod ijs, qui natura sunt sedati, quietisque amantes, soleat Deus Dominus noster Spiritum infundere amoris & zeli, qui illos impellit, vt magna sua voluptate angulum & locum quietis suæ deserant, vt possint suos proximos iuuare: alijs verò natura inquietis solet vehementis adeò timoris Spiritum infundere, vt tanquam anchoram, faciat alicui angulo fixos inhærere. Propter eandem etiam causam non debent animum abijcere, qui hæreditate aut successione tenent aliquam dignitatem aut officium in Republ. quod talentum suum, dotesque naturales à Deo sibi datas excedit. nam, cùm huiusmodi successio à diuina prouidentia prouenerit: ad eandem spectat prospicere eis in tali necessitate constitutis, ne talem Statum deserant, non habentes naturales ad eum dotes. Et ita disponit Deus alterâ ex duabus vijs, vel propter *orationes* concedendo *talentum* & facultatem,
i 3. Reg. 3. 7. quæ deest, quemadmodum dedit i *Regi Salomoni sapientiam*, ad suum regnum gubernandum: vel dando eis *cor* docile & propensum ad consulendum alios, maius ad id talentum habentes; & prospiciendo illis de bonis consiliarijs, qui sua industria suppleant, quod illis ex sua natura deest,
k 4. Reg. 12. 2 Quemadmodum summus Sacerdos k *Ioiadas* adiuuabat Regem *Ioas*, qui ob suam infantiam non erat gubernationis capax: ac propterea quam diu Rex

Deus supra naturam.

Deus regas natos iuuat sua gratia.

tam

tam boni consiliarij secutus est iudicium & consilium, optimè illi omnia eueniebant.

CAPVT V.

TRIA SPECIALIA MEDIA, QVIBVS DEVS voluntatem & electionem suam æternam ad aliquos Status manifestat: præcipuè ad gubernationem.

PRÆMISSO *fundamento*, quod iacit Deus Dominus noster, quà naturæ & gratiæ est author: operæ pretium erit *media* illa indicare, quibus diuina eius prouidentia vtitur ad reipsa distribuendos hominibus Status & Officia Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ, aperiendo per ea electionem, quam ipse in sua æternitate fecit, vt eam fideles sequantur, seque illi conforment, eum in modum, quo dixit populo suo Hebræo, cùm constituere vellet super se Regem, sicut omnes per circuitum nationes habebant. *Eum* (inquit) *constitue, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* quasi ei dixerit: non pro tuo libitu Regem eliges; sed operam da, vt meam intelligas voluntatem, & quam ego in mea æternitate electionem decreui, vt eam tu sequaris. Et quando Apostoli eligere voluerunt vnum, qui in locum proditoris Iudæ succederet, duos nominarunt, Deumque orarunt dicentes: *ostende quem elegeris ex his duobus.* qua oratione (vt Sanctus Chrysostomus perpendit) significare volebant, Deum Dominum nostrum in sua æternitate iam eam electionem fecisse: se verò cupere, ipsius voluntatem nosse, vt eam sequerentur. Et quoniam voluntas hæc in diuino suo pectore latet: varijs eam medijs manifestat, quorum *tria* hic indicabimus, quæ præcipuè locum habent in Statibus & Officijs sublimioribus, in quibus Electio nostra magis anceps ac difficilior esset: eò quòd talentum & facultas sit magis dubia; & propensio eligentis possit esse valdè suspecta: nam etsi existimari posset, eam prouenire ab ipso naturæ & gratiæ authore: fieri tamen posset, vt à nostra potiùs ambitione & cupiditate procederet; & quòd Officium & Status non tam quæreretur ob animæ aut Reipubl. bonum, quàm ob honorem ipsum, aut lucrum quod est officio coniunctum.

Deut. 17. 15. Saul Matthias a Deo electi, Act. 1. 24. Homil. in Act. Apost.

Propensio gubernandi suspecta.

§. 1. *Electio ex reuelatione, aut præcepto.*

I. *Reuelatio,*

PRIMVM horum *trium* mediorum, quibus Deus ſuam voluntatem manifeſtat, eſt prodigioſum & extraordinarium: cùm ſcilicet expreſsè eam reuelat, quemadmodum *a* MOYSI manifeſtauit, ſe eum eligere, ac deſignare Ducem populi ſui; poſteà eidem reuelauit, *b* IOSVE futurum eius in eodem munere ſucceſſorem. Et olim per ſuos Angelos manifeſtabat electionem aliquorum Iudicum populi Iſrael: vt conſtat de *c* GEDEONE, & aliàs Prophetis ſuis reuelabat, quos ipſe eligeret in Reges, quemadmodum reuelauit *d* SAMVELI electionem SAVLIS & DAVIDIS. Et in lege Euangelica ipſemet Chriſtus Dominus noſter manifeſtauit *e* S. PETRO, quod ipſum eligeret in vniuerſalem Eccleſiæ paſtorem; & Ananiæ reuelauit *f* S. PAVLVM eſſe *vas electionis, vt portaret eius nomen coram gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael.*

a *Exod.* 3. 10

b *Num.* 27 8.

c *Iud.* 6. 14. 1. *Reg.* 9 17. & c. 16.

d *Ioa.* 21. 17.

e *Actor.* 9. 15. & c. 22. 5. 21.

I. *Moyſes rubus incombuſtus.*

HANC reuelationem faciebat idem Dominus aliquando per aliqua prodigioſa ſigna, quæ perſonam indicabant, quam ad tale Officium vel dignitatem eligebat; aut ipſum electum animabat, vt eam dignitatem acceptaret: aperiendo ſimul talentum, quod illi tunc conferebat, aut iam contuliſſet: vt Officium perfectè obiret. Hac ratione manifeſtauit Moyſi ipſius electionē, vt g *populum Hebræum ex Ægypto educeret*; eſſetque eiuſdem Dux & gubernator per deſertum: loquebatur autem ei Deus, cùm eſſet *in Rubo, qui ardebat & non comburebatur*, vt ex hoc ſigno diſceret Moyſes, quamuis ex ſeipſo debilis eſſet tanquam *Rubus*, non tamen fore propterea conſumendum ab igne defatigationum & laborum, quos in commiſſo ſibi officio eſſet ſubiturus; ſed potiùs maiorem in medijs laboribus ſplendorem oſtenſurū. Eodem modo elegit etiam AARON, eiusque Succeſſores ad dignitatem antiqui Sacerdotij, adhibito tanquam ſigno huius electionis ſolenni illo prodigio, quo eius h *virga* arida *floruit*, & protulit fructus, in ſignum, quod vocati & electi à Deo ad huiuſmodi officia & miniſteria, licèt ex ſe ipſis tanquam virgæ *aridæ* ſint, ex diuina tamen vocatione, virtutem & facultatem accipient, excellentium operum *fructus* proferendi: vt ſuis poſſint obligationibus ſatisfacere. Ex quo Apoſtolus occaſionem ſumpſit dicendi, i *neminem* iure *ſumere ſibi honorem, niſi vocetur à Deo tanquam Aaron.* In quæ verba ait S. Thomas: ſolenne fuiſſe in primæua Eccleſia, Deū Dominum noſtrū huiuſmodi vocationē & electionē prodigioſo aliquo ſigno aperire, miſſo aliquo *lucis* radio è cœlo, aut *columna* ignea, aut *colūba*, aut ſimili re alia. Sed hæc prodigia iā ceſſarunt, nec ea exigit ibi Apoſtolus, vt de vocatione diuina nobis cōſtet; ſed id vult tantùm, vt nemo dignitatem adeat, niſi vocatus tanquam Aaron.

g *Exod.* 3. 10

h *Num.* 18. 8. *Aaron virga florens.*

i *Heb.* 5. 4.

SED

SED in hoc elucet admirabilis Dei prouidentia erga huiusmodi Sanctos viros: qui, quod essent valdè humiles, huiusmodi officia & dignitates fugiebant, iudicantes se indignos & non pares ad illas obeundas; propriumque periculum timentes, si deessent obligationi, quam sublimis adeo Status imponebat. Idem verò Deus *hinc* fugam ipsam illis suggerebat, & approbabat, eaque delectabatur, vt illi in humilitate conseruarentur, & non sponte sua sese in officia intromitterent: *inde* verò, quod nota sibi haberet talenta, & dotes, quæ in illis latebant, & quas adhuc illis conferre statuebat: hisce signis eos, & manifestabat: vt alij ipsos eligerent, & ipsi acceptarent. Quemadmodum in electione Moysis fecit, iubens k *proiicere virgam, quam, in manu habebat, in terram, qui cùm proiecisset, versa illa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses*: cumque eiusdem Domini iussu *caudam eius apprehendisset, versa est in virgam*; qua posteà plurima stupenda fecit in Aegypto. Vt ex hoc signo intelligeretur, virgam gubernationis speciem habere serpentis, ob occasiones & pericula peccandi, si adsit inordinata aliqua ad res terrenas affectio. Quamobrem viri Sancti eam declinant, quemadmodum fecit Moyses dicens: l *obsecro, Domine, non sum eloquens* ad hoc officium præstandum, nam etiam *impeditioris & tardioris linguæ sum: mitte, obsecro, quem missurus es.* Saul quoque fugit, & m *abscondit se in domo sua*, quando cum in Regem elegerũt: quia tunc humilis erat; ac verebatur, ne illa virga sibi conuerteretur in colubrum: sicut posteà eius culpa illi euenit. At si ex Dei electione officium acceptetur, & in manu positum adiunctam habeat vigilantiam ac diligentiam, speciem illam *colubri* exuit, manetque verè diuinæ Omnipotentiæ *virga*, ad egregia opera per eam præstanda.

k Exod. 4. 3. *Gubernationis virga est serpens.*

l Exod. 4. 10

m 1. Reg. 10. 22.

SED quoniam via hæc per reuelationem, extraordinaria valdè est, raroque vsurpata, transeamus ad secundam viam siue medium valdè certum ac securum, *præceptum* scilicet ipsius Dei per suos Vicarios, & Superiores, quos in sua Ecclesia & Republica habet. Qui iubendo obligare possunt, vt aliquod gubernationis officium suscipiatur in vtilitatem Reipublicæ ciuilis, aut Ecclesiasticæ, aut Religiosæ: de omnibus siquidem intelligitur, quod Christus Dominus noster dixit: n *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et in tali casu crimen esset, diuinæ vocationi resistere: non enim possunt *humilitas* & *obedientia* sibi esse contrariæ. Et quemadmodum ait Sanctus Gregorius: iusti, etiamsi talenta donaque à Deo habeant ad alios gubernandos, debent demissè talia officia declinare: sed, si ea obire iubeantur, non debent esse pertinaces, vt superioris voluntati resistant: sed obedire, & subdere se illi, etiam contra propriam voluntatem. Nam (vt benè Sanctus Thomas aduertit) humilitas, quæ priùs ad honoratum officium fugiendum propendebat, nunc inclinat ad proprium iu-

2. *Præceptum.*

n Luc. 10. 16

1. Parte Pastoral c. 16.

22. q. 185. a. 2.

dicium abnegandum, & alterius iudicio subijciendũ. Et charitas ipsa, quæ proprij sui boni spiritualis intuitu talia officia reijciebat: eadem posteà acceptat illa propter bonum proximorum: confidens de bonitate imperantis, quod non propterea propriam vtilitatem amittet, quòd studeat alienæ: nec particulare ipsius bonum propterea ipsi minuetur, quòd consulat vniuersali.

Superbia est resistere imperanti.

VERVM quidem est, quòd perfecta obedientia non solùm inclinet ad sequendam voluntatem superiorum, quando aliquid illi præcipiunt & mandant; sed etiam cùm indicia præbent, quòd aliquid velint, aut cupiant fieri. Sed hoc (vt ait Sanctus Gregorius) intelligitur habere locum, cùm ea, quæ sunt facienda, humilia sunt, aut laborem & pœnam adferunt contrà nostræ carnis propensionem. At si ea, quæ sunt facienda, possunt conscientiam onerare, & aliàs sunt honorifica, & aliquas temporales commoditates adiunctas habent, non est contrà perfectionem eis resistere, donec expresso mandato ad id obligemur. Quemadmodum fecerunt Sanctus Malachias, & Sanctus Antoninus Florentinus, & alij Sancti, qui restiterũt, donec præceptum imponeretur; imò & excommunicatio, nisi Episcopatum acceptarent. Et in nostra Societate omnes professi speciale votum edunt, non prætendendi has dignitates, nec admittendi, etiam si ad illas eligerentur: nisi eius obedientia eos compulerit, qui id possit sub pœna peccati mandare. Quod votum (vt ait Sanctus Thomas) est valdè laudabile: nam in eo promittitur, quod vnicuique expedit facere, ne sponte sua ad similes dignitates aspiret. Sed quoniam non semper est necessarium præceptum adeò seuerum: etiam potest haberi pro electione Dei illa, quam supremi Prælati faciunt, benè conscij talentorum & qualitatum eorum, quos eligunt: qui propterea possunt benè acquiescere tam probis superioribus. Quemadmodum Deus Dominus noster iussit o *Moysen eligere septuaginta viros*, quos ipse aptos esse nouerat. Qui, quàm primùm fuerunt electi, venerunt ad tabernaculum Domini, & statim ipsemet Deus descendit in nube, & infudit partem spiritus, quem ipsi Moysi communicauerat, vt ipse intelligeretur eam electionem approbare; & sufficientia talenta ad illud officium exequendum dare. In cuius signum, cœperunt illi mox prophetare. Adfertque maiorem admirationem: quòd duo ex nominatis ab ipso Moyse, qui in castris manserant absconditi, indignos se iudicantes adeò sublimi officio, iidem inquam cœperint prophetare, in signum quod etiam Deus eorum electionem approbasset: eoque digniores eos iudicabat, quò illi in suis oculis erant minores, & ex humilitate officia illa declinabant.

Lib. 35. Moral. c. 3. In plausibilibus obedientia potest differri.

Constit. par. 10. §. 6.

2. 2. q. 85. a 2. ad 3. Votum contra honores.

o Num. 11. 16-25.

Sufficit prudens prælati voluntas.

§. 2. *Vocatio ex electione aliorum.*

3. *Electio.*

TERTIA via, qua DEVS Dominus noster voluntatem suam in ijs electionibus manifestat, est, inspirando & permouendo efficaciter cor Electorum, ad quos spectabat prospicere de hominibus, ad huiusmodi dignitates & officia: vt eos eligant, quos ipse Dominus eligi decreuit: ipsis eligendis nihil tale ambientibus, sed potius eas fugientibus. Admiranda itaque prouidentia, hinc electis suis inspirat, vt officia talia fugiant: inde verò inspirat Electoribus, vt ea illis tradant: ita rem totam dirigendo, vt fiat, quod DEVS vult, per ea media, quæ homines minime cogitant.

Omnia fiunt dirigente Deo.

QVOD supremum DEI consilium fusius statui declarandum, ad consolationem aliquorum in sæculo viuentium, aut in Religione, qui conqueruntur, quod videant, se quasi in angulo aliquo relictos, & quorum non esset memoria: cùm videant alios ad has dignitates & officia promoueri per media, ambitione & astuti ipsorum adhibita. Et quamuis hæ querelæ solent esse indicium exiguæ humilitatis, & animi demissionis: sed ex ea etiam parte, qua sunt modicæ fidei & fiduciæ de diuina prouidentia, absque dubio cessarent, si seriò intelligerent, omnes huiusmodi electiones non casu aliquo; sed consilio ac directione magni nostri Dei euenire: in cuius a *manibus* (sicut dixit Dauid) *sunt sortes nostræ*, hoc est prosperi & aduersi vitæ nostræ euentus. Ita vt ex diuina ordinatione & dispositione eueniat nobis sors prospera & aduersa; status sublimis, & humilis; Officiu honoratum, & abiectum. Quod adeò certum est: vt, licet huiusmodi dignitates & officia, tam Ecclesiastica quàm sæcularia, sorte prouiderentur: (qua re nihil est in mundo magis casuale & incertum) in ordine tamen ad prouidentiã diuinam non euenirent casu, sed certo consilio. Nam (vt Salomon ait) b *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*: & in eum sors incidit, cui Deus vult euenire. Cuius rei sufficientia sunt in sacra Scriptura testimonia: nam secretam Saulis in Regem Israel electionem, quam ipse fecerat, voluit c *sortibus* manifestari, & in eum incidere: & idem euenit in electione S. Matthiæ, in Apostolatum, quia d *cecidit sors* super illum: quod non propterea refero, quòd existimem licitum esse sortibus vti, nisi in casibus, quos S. Thomas, & alij Doctores exprimunt: sed vt intelligatur, quando illæ in aliquorum Officiorum Reipubl. electione mittuntur, Deum esse, qui illas dirigat. Ac propterea in eius manibus esse huiusmodi electiones, & a sua prouidentia semper euenire. Præterea in manibus Dei sunt omnium hominum voluntates, quoru est, hæc officia distribuere: & licet sint horrendæ & pertinaces, potest tamen illas impellere, & ad id, quod ipse voluerit, inclinare: efficiens, vt suffragium suum ei dent, quem ipse in æterna sua dispositione elegit. Hoc voluit significare Sapiens cùm

Sortes a Deo temperantur.

a *Psa.30.16.*

b *Prou.17.33.*

c *1.Reg.10. 20.*

d *Act.1.26.*

2.2 q 95. a.8.

 dixit:

: Prou. 21. 1.

dixit: e *cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*: hoc est, quemadmodum in manu Dei sunt diuisiones aquarum terræ & cœli, vt quocunque voluerit, eas distribuat, efficiendo per suam prouidentiam, vt *flumina* ad hanc vel ad alteram partem fluant; & *nubes* in hoc vel illo loco pluant: ita etiam in manu & potestate Dei est cor & voluntas Regis, quæ est tanquam fluuius aut nubes, in qua collectæ sunt gratiæ, fauores, dignitates, & officia, quæ subditis suis pro libitu distribuit: & quamuis pro libitu suo ea distribuat, quia est Dominus suę voluntatis, tamẽ voluntas hæc est in manibus Dei, & eius prouidentia mouetur, vt velit in hac distributione, quod Deus ipse vult. Et quando permittit eum errare, maleque distribuere huiusmodi res, etiam hæc est prouidentia Dei qua punit peccata. Et quando aliud vult, statim hoc impedit, & vertit in bonum suorum electorum. Si igitur cor Regum, qui solent esse aliàs voluntati suæ valdè addicti, est in manibus Dei, & ipsius dispositione mouetur, vt dictum est, ad officia sui regni distribuenda: etiam erunt in benedictis eius manibus corda Pontificum & Prælatorum, quando beneficia distribuunt; & studiosorum, quando suffragia sua ferunt ad cathedras; & collegialium ac communitatum, cùm agunt de electione aliquarum personarum: & Deus poterit illos inclinare, quocunque voluerit, ita suauiter & efficaciter, vt sequentes illi propriam inclinationem, deseruiant æternæ eius dispositioni. Quis non admiretur id, quod in electione S. Ambrosij in Episcopum Mediolanensem euenit? accepit enim Deus vocem vnius pueruli dicẽtis, *Ambrosius Episcopus*, vt sic innumeræ voluntates, valdè discordes in illum conuenirent: permouit enim populi in factiones diuisi, corda, vt omnes vnà peterent Ambrosium Episcopum, quia Deus decreuerat illum esse.

Flumina & nubes regit Deus.

Error electionis ob peccata nostra.

1. *Cor omnis hominis in manu Dei. S. Ambrosius.*

2. SED admirabilius adhuc est, quod sacra Scriptura refert, de Duce illo Iehu, qui erat in campo cum alijs ducibus, & militibus, & ministris iniqui Regis Ioram. Eodem enim tempore vocauit eum vnus de filijs Prophetarũ missus ab Eliseo, qui eum seorsim vocans, *vnxit in Regem*. Redeuntem autem Iehu ad socios, interrogarunt illi, *quid venit insanus iste ad te? qui ait eis, nostis hominem, & quid locutus est? at illi responderunt, falsum est, sed magis narra nobis: qui ait eis, hæc hæc locutus est mihi, dicit Dominus: vnxi te Regem super Israel.* & in eodem momento permouit Deus, & mutauit voluntates omnium ducum & militum: *& festinauerunt, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: regnauit Iehu.* O incomprehensibilia diuinæ prouidentiæ consilia! ô ineffabilem cœlestis inspirationis efficacitatem! quis alius nisi ipse Deus, efficere potuisset, vt integer exercitus ducum & militum, qui legitimum Regem habebant, fidem adhiberent vni duci & militi, ipsis aliàs pari, & absque

4 *Reg.* 9. 16. *Iehu.*

alte-

alteriùs testimonio, & ex solo ipsius verbo, quo dicebat, se fuisse electum Regem in Israel? quis eorum intelligentias mutare potuisset, vt crederent, eum esse Prophetam, quem paulò antè *insanum* appellauerant; & verum iudicarent, quòd paulò ante tanquam *falsum* damnauerant? quis illis persuaserat, quòd Iehu illos non deciperet, & quod ipsius verba non essent ab ambitione excogitata, vt regnaret super illos? quis nouum illum *thronum* regium exstruendi modum, ita extempore illos docuit, vt pallia omnes deponerent, & ad pedes eius subijcerent, qui ipsis erat aliàs æqualis, & socius? hæc omnia sunt diuinæ Sapientiæ inuenta, eiusque omnipotentiæ manifesta testimonia, vt persuadeant nobis omnium hominum corda in ipsius esse manu; & regnorum, dignitatum, & Officiorum distributionem: vt cui voluerit, ea tradat per quamcunque viam.

3. *Ioseph.*

SED ADHVC vlterius progreditur hæc suprema Dei prouidentia, qui adeò sapiens & potens est, vt etiam in despectum ipsorum hominum huiusmodi officia & dignitates prò libitu suo tradat cui voluerit: nam ipsamet illorum consilia, quæ ipsi adhibuerunt, vt ordinationi diuinæ resisterent, dirigit ipse ad sua exequenda: vt ex ijs, quæ suprà diximus de electione *Ioseph*, in vice-Regem Ægypti, constat. nam stratagemata & inuidia fraterna, via fuit & medium, quo diuina ordinatio vsa est, vt id sequeretur, quod ipse volebat: & cùm homines improba sua vota sequerentur, id præstabant, quod Deo esset vsui, vt eueniret quod volebat. Nam (vt S. Gregorius ait) ita DEVS Dominus noster res hominum disponit, vt quasdam *propitius* concedat, alias permittat *iratus*. Ita tamen eas permittit, vt eisdem vtatur ad consilia sua exequenda. Et miro quodam modo fit, vt quædam absque ipsius Dei approbatione fiant, quæ tamen non sint eiusdem consilio & intentioni contraria: nam conuertens malum in bonum facit, vt, quod ipsius diuino consilio repugnabat, ex vsu sit, vt executioni mandetur. quamobrè dixit Sapiens, *non esse sapientiam, non esse prudentiam, non esse consilium contra Dominum*, vt scilicet impediri possit, quod ipse faciendum decreuerit. Ex quo etiam fit, quod si verè humiles, ad maiorem suam securitatem, huiusmodi officia refugiant, debeant meriti diuinæ prouidentiæ fidere: quod, si ita illis expediat, sciet ac poterit ipse ea illis procurare per media, quæ illi minus cogitant. Quod si non faciat, signum erit, id illis non expedire, & sic optimè contenti esse possunt in inferiori loco, quem sibi eligunt, donec dicat illis Deus; *ascende superius*.

Cap. 3.

Lib. 6. Moral. c. 12.

Prou. 21. 30.

SED quia non omnes hanc doctrinam assequuntur, nec ad occulta diuinæ prouidentiæ pertingunt, magna hinc dubia accipiunt, & incidunt in perplexitatem: nam primùm, humiles & timentes Deum, etiamsi videant se electos, cùm nihil tale quæsierint: timent Officia illa acceptare, dubi-

Alij anxie fugiunt.

tantes, an electio fuerit ex Dei inspiratione, qui ipsos voluerit eligi; an ex humana aliqua persuasione, quæ in electionem se immiscuit. Et esto inspiratio fuerit Dei: non sciunt, an sit consilium eius misericordiæ, ad vtilitatem animarum ipsorum; an permissio irati Dei ad occulta ipsorum peccata punienda, aut ad remuneranda in hac vita aliqua obsequia ab ipsis præstita, qui postea sint ob suas alias culpas ab æterna gloria excludendi. Dubitant quoque an dotes habeant ad Officia illa sufficientes; & an Electores non sint decepti, existimantes eos esse sufficientes: quod si forte sufficientes dotes habeant; dubitant adhuc an fideliter sint illis vsuri, constituti in occasione Status & Officij honorati. Ideoque sicut Christus D. N. cùm cognouisset, quia ventura esset turba, vt *raperet eum, & faceret Regem, fugit in montē ipse solus*: ita ipsi, cùm has electiones præuident, fugiunt & abscondunt sese, ne illas acceptent. Ex altera etiam parte exsurgunt dubia non leuia in ijs, qui non volunt esse tam perfecti, vt huiusmodi studia ac desideria fugiant; sed potiùs Officia ipsa per media apta & licita procurare volunt; cernentes videlicet ipsis oculis, homines vt plurimùm talia procurare, & compotes voti fieri: alios quidem in fines & per media valdè obliqua; alios verò per licita & iusta. Et qui nullam operam ponunt, vt ea assequantur, præcipuè in Rep. sæculari, imò & in Ecclesiastica: eos remanere vacuos. Cùm igitur prouidentia diuina industriam nostram non excludat, non volunt in ipsum Deum hanc curam conjcere, vt electorum voluntates permoueat; sed adhibere ipsi volunt media ad eas permouendas: quia eadem prouidentia diuina hac ipsorū opera & industria vtetur, vt fiat quod ipse vult. Hæc sunt dubia hominum timoratorum, à quibus se facilè expedient, si in ijs, quæ obtinere procurant, aut acceptant, studuerint diuinam voluntatem cognoscere per media ordinaria, & quæ apta habentur ad eam cognoscendam, & vsui sunt ad omnes Status: ea verò in proximo capite indicabuntur.

Ioan. 6. 15.

Alij timida quærunt honesta.

CAPVT VI.

CONSVLTATIONES INFVNDAE AD COOPErandum prouidentiæ Dei, eiusque voluntatem cognoscendam in electionibus Statuum & Officiorum.

TRIA illa media in proximo capite indicata, ad voluntatem diuinam, eiusque prouidentiæ consilia cognoscenda, etsi certa sint eius indicia, non tamen ex vsu esse possunt ad omnes Status & Officia Christianæ Reipubl. esset enim temerarium, hu-

iusmodi

iusmodi *reuelationes* & prodigiosa indicia desiderare, ad securitatem nostrarum electionum; nec semper est necessarium, imò ad statum aliquem suscipiendum non expedit, adesse *præceptum*: nam cuiuis liberum est Statum eligere matrimonij aut continentiæ, aut religionis; aut officium magis sibi commodum, nisi particulari aliqua causa esset illi prohibitum: nec semper expedit *electionem* huiusmodi omninò remittere aliorum voluntati, ea scilicet spe, quòd Deus sit illis inspiraturus, quod nobis magis expediat. Quia noluit in huiusmodi re nos alienæ voluntati alligare; sed vt nostra quoque liberè vteremur. Sed cùm diuina prouidentia nunquam desit in necessarijs, loco illorum mediorum *tria* alia solet adhibere, quibus Sanctissimam suam voluntatem nobis aperiat, adiuuantibus se mutuò ad maiorem certitudinem & claritatem.

1. *Inspiratio.*

PRIMVM ergò medium sunt illustrationes & *inspirationes* valdè feruentes & efficaces, quæ intellectui manifestant, Statum & Officium illud valdè nobis expedire; & simul alliciunt vehementer ipsam voluntatem, ad illud eligendum. Et hæc sensa præueniunt ordinarias nostras ratiocinationes. Hoc tamen medium non est vniuersale: ordinariè enim DEVS DOMINVS noster non mittit vehementes huiusmodi inspirationes, nisi ad Statum religiosum aut continentiæ amplectendum; aut ad Officia humilia & laboriosa obeunda; ferè verò nunquam ad Status Prælationum, ac dignitatum Ecclesiasticarum; multò verò minùs ad sæculares: imò potiùs (vt dictum est) inspirat fugam illarum. neque est moris diuinæ prouidentiæ, per huiusmodi impulsus dirigere electionem Matrimonij, aut sæcularium Officiorum: nisi fortè aliquando, cùm secundum medium est adhibitum, quod consistit in ratiocinatione intellectus nostri, illustrati naturali lumine, & fidei in rebus reuelatis, ita tamen, vt communibus gratiæ Dei auxilijs ad hoc præueniatur & adiuuetur. Horum enim duorum luminum, *Rationis* & *Fidei*, dictamen, quando Officio suo diligenter funguntur, censendum est dictamen Dei, eiusque vocatio. ideoque tanquam tale meritò est admittendum, eique parendum. Et qui manum admouet ad voluntatem diuinam, per hæc duo lumina quærendam, solet tertium accipere *illustrationis* diuinæ, quæ fulguris instar eis venit in subsidium; & tanquam suauis & iucunda vox sonat in auribus animæ, & sic concludit; & satis apertè manifestat, quid DEVS de illa velit, & ab ea requirat. Quæ tamen manifestatio interdum fit immediatè ipsimet, qui de Statu eligendo deliberat; interdum verò fit Consiliario spirituali prudenti & sancto, quem in ea re consulit.

Duo oculi rationis, & Fides.

AD HOC summè refert, omnia impedimenta remouere, quæ diuinæ

volun-

Munditia & Indifferentia quærenda.

voluntaris manifestationem impedirent. Hæc autem sunt inprimis peccata, & passiones, & inordinatæ ad res huius vitæ, affectiones: ac propterea procuranda est summa cordis mundities, & perfectissima voluntatis nostræ indifferentia ad res, quarum est futura electio, ita vt non plus ad vnam earum, quàm ad alteram propendeamus: sed id conemur, vt solùm velimus quod voluntatis Dei esse intellexerimus: resignantes omninò, & subijcientes voluntatem nostram diuinæ, cum firmo certoque decreto eam amplectendi, statim atque cognouerimus: etiamsi nostræ sit contraria. Hæc indifferentia valdè est necessaria, quando electio versatur circa Statum aliquem, Officium, aut Ministerium, in quo sit *honor*, *commodum*, aut *voluptas*: quæ facilè cor nostrum ad se trahunt; aut contra cùm electio versatur circa rem *arduam* & difficilem, quæ nostræ carni horrorem adfert. Nam in *prima* electione necessè est voluntatem nostram ita se resignare, vt se offerat ad relinquendum & renuntiandum ei, quod nobis valdè arridet, si non placeat Deo: in *secunda* verò vt se offerat ad amplectendum, quod horrorem adfert, si Dei voluntati ita placeat. Hoc documentum, & bonos eius euentus tradit S. Ioannes Climacus his verbis: Quidam fuerunt, qui desiderantes Dei voluntatem cognoscere, cogitationem suam ab omni affectione remouerunt, & in vtrisque consilijs, ac voluntatibus animæ se collocauerunt, videlicet in annuente & contradicente, quasi in medio mentem suam, omni voluntate propria mundatam, per ardentissimam orationem Domino sistentes, ad certum diem agnitione voluntate illius potiti sunt: siue per occultam aliquam inspirationem; qua Deus illos illustrauit; siue per perfectã ab eorum anima subtractionẽ alterius opinionis & iudicij, quo perplexi tenebantur; aut eximpedimentis & cõtradictionibus eos retardãtibus, ne voti cõpotes fierent, intellexerunt, eam non fuisse Dei volũtatem; aut contrà flante prospero vento, & superueniente ex tempore, non expectato subsidio, cõiecerunt, hanc fuisse DEI Domini nostri voluntatem; memores hunc esse solennem eius morem: adiuuare, & cooperari simul cum ijs, qui sese disponunt, ad faciendum quod debent secundùm diuinam eius voluntatem. Hæc Sanctus Climacus. quibus etiam nobis aperit vias & modos, quibus Deus voluntatem suam nobis aperit; ac dispositionem, qua facit nos dignos, qui eam cognoscamus: prædictam scilicet *resignationem*, qua omnia propria desideria mortificemus, & corrigamus: quæ possunt nos ab eo, quod vult DEVS, retrahere. Quemadmodum enim tabula, siue scripta, siue depicta, non potest nouam aliam figuram admittere, nisi prior deleatur: ita voluntas nostra, cùm proprijs affectionibus ac desiderijs est plena, nisi ea benè mortificet, ac reformet, non erit benè disposita, vt impressiones & splendores cœlestes recipiat: qui cognitionem & amo-

Gradu. 26.

Modi exquirendi volũtatem Dei.

Voluntas sit tabula rasa.

rem

rem diuinæ voluntatis ei imprimunt. Quare qui hanc cognitionem absque resignatione obtinere contendit, imo in alteram potiùs partem inclinat, facilè decipietur; existimans esse Dei inspirationem, cum potiùs sit instinctus proprij spiritus, ad id quod ipsi arridet propendentis. Quemadmodum S. Augustinus de matre sua Monica refert, quòd cum vehementer optaret filij sui matrimonium, occurrebant illi visiones & reuelationes circa illud, ortas ex ipsius desiderio, & non à diuino spiritu, quemadmodum alio loco est dictum.

Amãtes sibi somnia fingunt.

Lib 6. Confess. c. 13.

Ducis Spiri. Tract. 2. c. 24.

His IMPEDIMENTIS remotis, aptissimum medium ad diuinam voluntatem cognoscendam, est ORATIO *humilis, importuna, & confidens*; qua agnoscamus ratiocinationum nostrarũ exilitatem, defectumq; cęlestis luminis, quod nos ex his dubiis solet expedire; & speremus, Dominum illum, qui a *sapientiam affluenter* tribuit, eam cum hac confidentia *petentibus*, nobis etiam daturum. Ad quod idem Dominus per Prophetam suum hortatur nos dicens: b *clama ad me, & exaudiam te: & annunciabo tibi grandia, & firma, quæ nescis*: & ob eandem causãm Rex Ezechias ei dixit: c *cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Et quamuis medium hoc Orationis ad omnia valeat, præcipuè tamen ad hoc de quo nunc agimus. Sæpè enim (vt S. Gregorius insinuat) diuina prouidentia constituit nobis dare Statum & Officium, quod nobis expedit, per ipsas orationes proprias, aut aliorum: vult enim orationibus solicitari, vt sua consilia executioni mandentur: quemadmodum propter orationem reliquorum Apostolorum, manifestauit electionem d *Matthiæ*, & S. Franciscus vi multarum orationum obtinuit cognitionem eius, quod Deus de illo statuisset, tam quo ad fundationem & Statum suæ Religionis; quàm quo ad officium concionandi & agendi cum proximis.

2. *Oratio.*

a *Iacob. 1. 5.*

b. *Iere 33. 2.*

c *2. Par. 20 12.*

Lib. 1. Dial. c. 8.

d *Actu. 1. 24*

§. 1. *Quæ sint consideranda, vt bona sequatur electio.*

VT ORATIO optatum obtineat effectum, plurimùm refert, considerationem illi & meditationem adiungere aliquarum veritatum, quæ disponunt ad certam cognitionem habendam diuinæ voluntatis: accepto interim tempore & loco quieto, vt magna attentione ad id solum attendatur. Ita Sanctus Bernardus consuluit cuidam de eligendo Statu cogitanti. si cupis, inquit, cæli vocem audire, dulciorem melle & fauo; & si vis benè præparare interiorem auditum, fuge exteriorem strepitum, vt possis dicere cum Samuele, a *loquere Domine: quia audit seruus tuus*: attende, quòd hæc vox non sonet in plateis, nec auditur in publico: quia consilium secretum audientiam requirit secretam: quam si (vt oportet) audieueris, b *auditui tuo dabit gaudiũ & lætitiam.* Hoc modo se præparabat Dauid, cùm dixit: c *audiam quid loquatur in me Deus, quia loquetur pacem in plebem suam, &*

2. *Meditatio*

Epist. 107.

a *1. Reg. 3.*

super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad eor: id significans, quod DEVS non loquatur ijs, qui extra cor sunt in res externas effusi; sed ijs, qui se recipiunt ad interna cogitanda

IN HAC igitur recollectione poteris considerare duo genera rerum ad statum illum pertinentium: quasdam *communes* & generales, alias verò *speciales*. Generalium illa est præcipua, vt verus omnium electionum nostrarum *finis*, & omnium Statuum, & Officiorum huius vitæ benè perpendatur: in quem omnia *media*, & consilia quæ acceperis, sunt dirigenda: qui finis est, *maior Dei gloria, propria salus tua, & spiritualis profectus*; *& vniuersale Ecclesiæ bonum ac proximorum, qua parte illi adire spectant*. Ita tamen, vt cùm de salute agitur, bonum proprium præferatur alieno, nam d *quid prodesset tibi totum mundum lucrari, si animæ tuæ detrimentum patiaris*? non vult enim ipse Dominus, te animæ tuæ iacturam facere, vt alios salues: quamuis, si vtrumque bonum assequi possis, finis erit excellentior. Ex quo efficitur, te illum Statum & Officium eligere debere, quod, omnibus circumstantijs tuæ personæ attentis, magis te poterit iuuare ad eum finem consequendum, tuamque salutem reddendam securiorem.

Finis electionum.

d *Matt.* 16. 20.

1. *Memorare nouissima. Tract.* 1. 15.

NE AVTEM huius vitæ bona te excæcent, aptissimum est consilium eodem tempore tibi ante oculos proponere, ipsam *mortis* horam; & exactam rationem quam DEVS à te exiget, cum veneris ad *iudicium*, quemadmodum in primo Tomo est declaratum. Et, cùm hoc benè perpenderis, dabis operam diligentem, vt superfluas omnes *temporalium* rerum affectiones ita exuas, atque si mox esses illas relicturus. Et quemadmodum velles ab eis esse expeditus in hora illa adeo acerba. In hac igitur nuditate & indifferentia, perpendes, quodnam consilium, ac iudicium in illa hora constitutus, velles te fuisse secutum; quem Statum, quodnam Officium te velles elegisse? & persuadeas tibi, iudicium illius horæ esse rectissimum, & expedire tibi eam vitæ rationem nunc eligere, in qua velles te à morte deprehendi. Et cùm fortè illa ipsa dies, in qua Status electionem feceris, futura sit vitæ tuæ vltima: rectissimum est, talem nunc facere, qualem tunc fecisse velles. Quòd si lustrare velis iudicia & sensa eorum, qui sunt in illo transitu, deprehendes multos coniugatos, qui optarent fuisse se Religiosos; multos Principes, qui magnæ suæ fælicitati tribuerent, quod fuissent vnusquisque ex plebeijs; & multos Prælatos, qui meliùs sibi fuisse existiment, si fuissent subditi: contrà verò multi Religiosi, & Continentes, & alij, qui in humili Statu vixerunt, valdè erunt sua sorte contenti, in qua vtiliter vixerunt, & cum lætitia moriuntur. Ex quibus exemplis fructum & vtilitatem accipiens, magnæ erit prudentiæ, talem vitæ rationem

Morituri Iudicium syncerum.

nunc

nunc eligere, vt tunc non te pœniteat, illam elegisse: sed exultes potius, Deumque glorifices, quòd te ad eam vocauerit. His considerationibus Sanctus Gregorius cuidam nobili Viro, optanti vt Cæsar eius operâ in publicis aliquibus Officijs vteretur, suadebat vt diligenter attenderet, quid eligeret, & illud postea eligeret, quòd ad suam salutem esset tutissimum: sic ergò ait: cur magnifice fili non consideras, quia mundus in fine est? omnia vrgentur quotidie. ad reddendas rationes æterno & tremendo Iudici ducimur: quid ergò aliud, nisi de aduentu illius cogitare debemus? vita enim nostra nauiganti est similis: is namque qui nauigat, siue stat, sedet, aut iacet, semper vadit, quia impulsu nauis ducitur. Ita ergò & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, volentes & nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis nostri dies aduenerit, vbi nobis erit omne quod modò cum tanta cura quæritur, & cum solicitudine congregatur? quare si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus: si autè mala pertimescimus, illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur. Hoc ipsum verò, quod sis in obsequio pijssimi Principis, quanta est mentis occupatio cum desiderio terrenæ gratiæ obtinendæ? & quantus timor, ne hæc eadem gratia perdatur, si adepta fuerit? perpende ergò, quæ pœna sit, aut prosperitatis desiderio fatigari, aut aduersitatis timore pauescere. vnde magis suadeo, vt in hoc breui peregrinationis tempore studeas, quietam ac tranquillam vitam ducere, sacris Lectionibus vacare, cœlestia verba meditari, in æternitatis amore te accendere, de terrenis rebus secundùm vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. sic autem viuere, iam in æternitatis vita partem habere est. Hæc fili loquor, quia multum te diligo, & quia in procellas & fluctus cordis tendis, verborum meorum funibus te ad littus reuoco: & si trahentem sequi volueris, quæ pericula euaseris, quæ gaudia inueneris, in ipso quietis tuæ littore positus, agnosces. Hæc omnia S. Gregorius.

Lib. 6. Regist. c. 190.

SED QVONIAM omnes hæ rationes valdè sunt generales, operæpretium erit, signa etiam *particularia* attendere, quæ vsui esse possint ad diuinam vocationem & voluntatem agnoscendam circa rem eligendam. Hæc autem & multa sunt, & varia. alia enim fundamentum suum habent in conditione, & naturali constitutione; alia in educatione ab ipsa infantia; alia in varijs necessitatibus occurrentibus, & in particularibus gratijs, talentis, & propensionibus naturalibus, aut supernaturalibus, quas DEVS Dominus noster impertiuit: quemadmodum in præcedentibus capitibus est indicatum. Et hinc fit, vt si ratiocinatione agatur, censendum

2. *Particularia signa diuinæ vocationis varia.*

Propensio & talentum spectanda.

sit bonum indicium, quòd Deus ad eum Statum & Officium non vocet, à quo homo naturalem habet auersionem & horrorem; deestque illi talentum & facultas ad præstandum, quod talis Status requirit, maximè si sit perpetuus: & quando reuera non est talis facultas & aptitudo, nec pignus aliquod aut spes est eam habendi, certum indicium est, nolle Deum vt illum eligas. Et propterea declarauit Ecclesia, non esse matrimonij capaces eos, qui natura sunt impotentes ad generationem, quæ finis est proprius illius Status. Et Spiritus Sanctus monet, e *noli quarere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate*, & anima *tua*. Contra verò, si adsit propensio & talentum, siue facultas (vt dictum est, bona est inter alias coniectura, quod DEVS ad id vocet, ad quod bona hominis inclinatio illum ducit.

e *Eccl.* 7. 6

Lib. 1. *Offic. c.* 44.

PRAECLARE hoc expendit S. Ambrosius his verbis: vnusquisque suum ingenium nouerit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur, prius consideret. Non solùm nouerit bona sua, sed etiam vitia cognoscat: æqualemque se iudicem sui præbeat, vt bonis intendat, vitia declinet. Alius distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius sacrario oportunior habetur: Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique congruat, id officij deputet. Quo etenim vnumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia. Hæc S. Ambrosius, quæ fundamentum habent in consilio Ecclesiastici dicentis: f *Fili in vita tua tenta animam tuam: & si fuerit nequam, non des illi potestatem*, aut (alia Lectio habet) *attende, quid sit malum; & ne illi illud des: non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet*: quasi diceret: experire & examina varijs probationibus & experimentis propensionem, talentum, & vires animæ tuæ: quod si videris illam ad malum propendere, non des illi libertatem, sed da illi Statum & occupationem qua refrenetur: attende diligenter, quid illi noceat, & ne illi des illud, neque decipiaris specie aliqua bonitatis. licèt enim multi Status & occupationes sint bonæ, g *non* tamen *omnes omnibus conueniunt*. tua autem plurimùm refert eam eligere, quæ tibi sit futura maximè commoda.

f *Eccl.* 37. 30.

g 1. *Cor.* 6. 12.

3. *Suprà.*

EX Hoc iacto principio colligit S. Ambrosius *duo* monita contrà duplicem abusum in his electionibns. *Primum* est: nullum hominem prudentem debere eligere Statum aut Officium, eo solo nomine, quod Parentes aut maiores ipsius illud habuerint: nam non semper filij eadem habent propensiones, & talenta, quæ habuerunt Parentes; & sæpè, quod expedit Patri, nocebit filio; & quod vni fratri est commodum, alteri est incommodum, etiamsi sint gemelli ex eodem partu, quemadmodum Esau & Iacob. Et quamuis negari non possit, educationem filiorũ, moresq; quos

docent

docent eos Parentes ab infantia, & bonum exemplum, quod in eis vident, illos allicere, vt sequantur: quando tamen non inclinant ad Statum & Officium parentum; sed potiùs ad alia, quia talenta & dotes habent ad illa: non debent cogi, vt faciant contrà suam bonam inclinationem, sed iuuari potiùs, vt illam sequantur. si enim cogantur Statum suscipere contrà suam inclinationem, etiamsi alioquin Sanctum, qualis est Religionis aut Sacerdotij: timendus est infœlix euentus. Quamobrem Concilium Tridentinum pœnam statuit excommunicationis in eos, qui filios aliásue virgines aut viduas cogunt religionem intrare; aut sine iusta causa bonum illorum ad id desiderium impediunt. Eandem quoque pœnam infert illis, qui suos subditos aliásue personas cogunt matrimonia inire contra suam voluntatem: quia eadem incommoda sunt timenda.

Excommunicati cogentes ad statum alterutrum. Sess. 25. de Regular. & Monial. c. 18 Sess. 24. de Matrim. c. 9

SECVNDVM documentum est, quòd ad huiusmodi electiones faciendas non sint oculi præcipuè conijciendi in applausum & opinionem hominũ, nec in delectationem sensuum: sed in maximam conuenientiam Status aut Officij cum nostra salute: etiamsi parui illud fiat, aut aliàs non arrideat. Multi (ait hic Sanctus Doctor) fugiũt aliqua officia Ecclesiæ, siue quòd grauitas, & pondus exercitiorũ eos terreat; siue quòd in iuuentute sit difficilis temperantia; aut quòd dedignantur rationem vitæ sequi, quam iudicant esse abiectam; inclinant verò ad studia & exercitia, quæ in mundo pluris fiunt, & sunt in honore, & præponunt præsentia futuris. Nos autem valdè aliam viam incedimus, dedicamus enim nos futuris, non tanti facientes præsentia; & quo maius est nostrum negotium, eò maior debet esse solicitudo nostra. Hæc S. Ambrosius, quæ confirmantur sententia illa Saluatoris, h *melius est ad vitã ingredi cum vno oculo, quàm duos oculos habentes, mitti in gehennã ignis:* significans melius tibi esse, animã tuam in humili Statu & laborioso saluare; quàm in honorato, tuo quoque palato valdè arridente damnari. Perpende itaque, omnes Status & Officia huius vitæ cum morte finiri, post quam alios duos incipere Status æternos: alterum infinitis bonis in *cœlo*, alterum infinitis malis in *inferno* refertum. Illa autem optima erit electio, qua eũ Statum & Officium temporale in hac vita eliges, quod magis te iuuet ad impetrandum felicissimum Statum æternum, & euadendum eius contrarium. Quod tamen non impedit, quo minus in secundo loco possis, ac debeas cõmoda temporalia fortunarum, honoris, & quietis perpendere, in eo gradu, qui expedit ad vitam transigendam iuxta tuæ personæ qualitatem.

Futura præsentibus præponenda.

" "
" "
" "
" "
" "
" "
" "

h *Matt. 18. 9*

4.

DENIQVE, vt electionem tuam hac via concludas, postquam benè perpenderis dotes tuas, quoad propensionem, complexionem, vires & talenta naturalia, vel acquisita; commoda item, damnaque spiritualia, ac temporalia, in ordine ad finem tuæ salutis præcipuum: oportet in vna bilance com-

Commoda & damna consideranda.

moda, in alia verò dãna & pericula ponere; & attẽdere, quò inclinet momẽtũ rationis fide illustratæ: & quod hæc iudicauerit, maximè esse diuinæ voluntati conforme, tuæq; saluti magis expediens: illud scies tibi esse eligendũ.

Considerandi effectus inspirationum.

Ad idem etiam iuuerit, vt, dum consideras rationes & conuenientiam, aut damnum Status & Officij, de quo agitur; simul obserues sensa & affectus, quos illæ efficiunt in corde tuo: idque propter vim, quam habent rationes apud hominem, non subiectum alicui passioni, & resignatum ad permouendam, & post se trahendam voluntatem, recurrendo simul ad gratiam diuinam, quæ sanctis suis inspirationibus in tali occasione solet illam mouere. Illæ verò rationes meritò sunt præferendæ, quæ producunt effectus diuinæ inspirationis proprios, qualis est *pax* conscientiæ, lætitia spiritualis, cordis impulsus, fiducia in Deum, quod in tali Statu & Officio cum maiori fructu viues: sequens in hoc, & seruans documenta, quæ in Duce spirituali sunt posita. Hoc solũ nuncaddo: quando Status & officiũ pericula habent, & occasiones annexas ad lapsum in peccata, fortioribus rationibus opus esse, & clarioribus indicijs voluntatis Dei ad illud eligendum: Contrà verò, quando Status perfectus est & securus, pauciores rationes sufficiunt. Ac proinde (quemadmodum S. noster Pater Ignatius dicere solebat) multò pluribus rationibus opus esse ad persuadendum nobis, esse Dei voluntatem, vt maneamus in mundo cum diuitijs, delicijs, & honoribus, obseruantes solùm diuina præcepta: quàm ad deserendum mundum, & nos ipsos ad consilia etiam seruanda offerendos: nam ad hoc secundum habemus multa generalia testimonia, & signa voluntatis Christi Domini nostri, quibus in suo Euangelio nos ad id hortatur. Quare nullus, qui in his dubijs versatur, debet absque grauium rationum fundamento credere, sibi in particulari magis expedire, in mundo remanere; & voluntatem Dei esse, vt Statum ex se magis periculosum eligat.

Tract. 1. c. 4.

Tutiora sectanda.

§. 2. *Quodnam consilium & à quibus accipiendum.*

3. *Consiliarij.*

PRÆDICATÆ omnes diligentiæ non sunt adeò sufficientes ad rectam electionem faciendam, vt non opus habeant auxilijs, ac directione Sanctorum, prudentum, & benè expertorum *consiliariorum*: & illi sunt *tertium* medium, ac instrumentum prouidentiæ diuinæ, ad voluntatem Dei nobis manifestandam, circa illud punctum, de quo illos consulimus. Placetque ipsi Deo, quod in rebus adeò grauibus, tantique momenti non ducamur à nostro solo iudicio; sed eorum potiùs, quos ipse in sua Ecclesia posuit, ad ducendos ac dirigendos alios: si enim olim iubebat Deus Israelitas, a *si difficile & ambiguũ apud ipsos esset iudicium, ascendere, & venire ad Sacerdotes*, certosque illos faciebat se per eos *indicaturum iudicii veritatem*, quam scire cupiebant: multò certius est, ipsum per sacerdotes & minis-

a Deut. 17. 8. Labia Sacerdotis

stros Euangelij, qui maioris sunt excellentiæ, voluntatem suam manifestaturum: siquidem distributæ inter illos sunt gratiæ, quas Apostolus b *manifestationem Spiritus*, ad communem Ecclesiæ vtilitatem appellat; & inter eas numerat *discretionem Spirituum*, cuius finis est manifestare Spiritum, qui nos mouet ad id, quod desideramus, & quærimus.

custodiunt scientiam. b 1. Co. 12.7

ET HIS præmissis, quæ dicta sunt supra de confessarijs eligendis, sapientibus, ac Sanctis, addemus quod ad idem propositum dicit Sapiens: c *Omnis Consiliarius prodit*, & extollit *consilium*; *sed est consiliarius in semetipso*, & *in rem suam*: *A consiliario, qui operam suam tibi offert, serua animam tuam. Prius scito, quæ sit illius necessitas*, & quò tendat: *& ipse enim animo suo cogitabit*, sibique consulet, potiùs quàm tibi: *ne forte mittat sudem in terram*, & sorti ac periculo te committat, *& dicat tibi: bona est via tua*; *& stet è contrario videre, quid tibi eueniat*, quasi non satis sciret, quid consuleret. *Cum viro irreligioso*, & profano, ne *tracta de sanctitate, neque cum iniusto de iustitia, cum timido de bello: cũ viro liuido de gratijs agendis: cum impio de pietate: cum inhoneste de honestate: cum seruo pigro, de multa operatione. Non attendas his in omni consilio*, quia sibi potiùs, quàm tibi consulent. *Sed cũ viro Sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei, cuius anima est secundum animam tuam, & vitam, quam tecum ducis, vel ducere cupis: & qui, cùm titubaueris in tenebris*, aut lapsus fueris, non ridebit, sed *condolebit tibi: cor boni consilii, statuet tecum*; *non est enim tibi a- qua pluris illo*: & certò statue, quòd *anima viri Sancti enunciat aliquando vera*, potiùs *quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* Hæc ferè omnia Spiritus S. per os huius Sapientis. Ex quibus satis apparet quantum referat, *Consiliarium* eligere, hominem Sapientem, & Sanctum, qui non passione aliqua ducatur; nec propria cõmoda aut honorem quærat, sed puram ipsam veritatem & bonum animarum, ipsum consulentium: Deique honorem & gloriam, certamque notitiam & cognitionem diuinæ voluntatis, vt executioni mandetur; & qui eandem colat virtutem, quam nos colimus, aut colere cupimus, aut etiam multò maiorem. Talem (inquit S. Ambro.) decet esse eum, qui alijs consulit, vt etiam sit exemplum sanctorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate; cuius verbum sit salutare, & irreprehensibile; vita honesta, & sententia suauis & humana. Nam, cùm agitur de Spiritu & religione, cõsulere homines mundanos, esset (vt S. Greg. ait) de causa vitæ consilium à fautoribus mortis quærere. Hi. n. quoniam nihil æstimãt, nisi res temporales, consulent, suadebunt, vt illas secteris, licèt cum periculo veram vitam amittendi, & in mortem incidendi. Non negamus in matrimonijs & officijs temporalibus opportunum esse, parentes, cognatos, & amicos consulere, aliosque sęculi huius sapientes & prudentes viros: at in

Tomi. Tract. 1. c. 8. c Eccl. 37. 8. in Lansenio

His est duplex lectio.

Consiliarius pius & prudens.

Lib. 2. Offic. c. 7.

,,

,,

Lib. 1. Epist. 33. 22. q. 189. 6. 10. Mundani de religione non consulendi.

causa Status,& rationis vitæ ad perfectionem spectantis, non debent hi esse præcipui consultores,(vt in Tractatu de Statu religioso dicemus) sed viri spirituales,qui id consulant, quod sciunt esse magni faciendum:ita tamen vt & ipsi *cor* habeant *boni consilij*,quibus Deus consilij donum communicasse credatur;& in quibus vterque oculus eluceat, diuinæ scilicet & humanæ scientiæ,cum sanctitate vitæ : qui enim talis est, plus videt quàm septem, imò mille mundi Sapientes. Si igitur talem aliquem inueneris, tanquam rem preciosam magni facies, reddesque illi claram ac distinctam (vt S. Ambrosius dixit) desideriorum tuorum rationem,& aperies propensiones,dotesq; tuas ad ea amplectenda, seruata interim indifferentia & resignatione, de qua supra est dictum. Neque enim, dum illum consulis, optare debes,vt consulat,quod tu velles,quasi ab eo tuæ voluntatis & propensionis approbationem potiùs quàm directionem velle extorquere: & multò minus ea voluntate & animi decreto accedere debes,vt, nisi consulat, quod tibi arridet, consilium eius negligas. Tunc enim (vt perpendit S. Dorotheus) permittet Deus, te decipi, & consiliarium non rectè attingere veritatem, in pœnam praui animi tui, quo ad consulendum accedis. Quemadmodum minatus est Deus per Ezechielem Prophetam dicens: d *si quis homo ex Israel* malo animo *venerit ad Prophetam,vt interroget per eum me : ego Dominus respondebo ei* per os Prophetæ *iuxta deprauatum cor eius, vt iuxta iniquitatem interrogantis, sic sit iniquitas respondentis.* Hoc autem *quatuor* modis euenire potest. *primum* quia Deus permittit consiliarium illum ex proprio capite respondere, annuentem scilicet interrogantis voluntati *deinde* vt non plenè intelligat omnia, quæ necessaria erant ad respondendum, quod ere fuisset: *tertiò*, vt responsum det verbis ambiguis, quæ non satis aperiant, quod ipse sentit : *denique* ipsum interrogantem excæcando, ne fidem adhibeat cõsultori,nec eius consiliũ sequatur. Quemadmodum euenit impio Regi Achab,qui consulens Micheam Prophetam,de ineundo quodam prælio statuerat apud se omninò illud inire, ideoque cupiebat sibi responderi iuxta votũ suum : quod cùm intellexisset Micheas, respondit paucis verbis & ambiguis:e *ascende*,inquit,*in Ramoth Galaad,& vade prosperè,& tradet Dominus eam in manus Regis*: quasi diceret,vtinam ascendas prosperè,tradatque tibi Dominus hostes tuos iuxta votum tuum! Sed ostendit bene Rex, quo animo illum consuluisset: cùm enim eum adiurasset, vt clarè ipsi responderet, quod verum esset in nomine Domini; Propheta verò distinctè satis quod verum erat, respondisset : Rex noluit illi credere, sed falsis potiùs Prophetis,qui mendaci dæmonis spiritu impulsi, ei dixerunt eadem verba, quæ primum Micheas dixerat: *ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis*: quibus adhibuit fidem, & ascendit ad prælium : cuius exitus multò aliter

euenit

Lib. 1. Offic. c. 44.

Sermo.

d *Eze. 14. 7.*

Consiliarij error multiplex.

e *3. Reg. 22. 15.*

Vitio consulentis.

euenit, nam grauissimè læsus *sagitta in incertum directa, mortuus est illo vespere.* Vt ex hoc exemplo intelligas plurimùm referre, in huiusmodi consultationibus, veram *indifferentiam* habere; solumq; statuere, facere quod Propheta Dei ipsius nomine tibi dixerit: quemadmodum optimè perpendit S. Ioannes Climacus dicens: Qui verè desiderant *Dei* veritatem cognoscere, dent primùm diligentem operam, vt *suam* mortificent: & oratione cum fide & candore præmissa, interrogent cum summa humilitate Patrum iudicium, & sine hæsitatione accipiant tanquam ex ore Dei, quod illi sanctè consulent, quamuis illud sit contrà ipsius interrogantis intentionem & expectationē, etiamsi Patres ipsi consulti non adeò sint spirituales & perfecti. Non enim est Deus *iniustus*, vt permittat decipi illas animas, quæ bona fide, syncerè, ac demissè eius iudicio & consilio se subiecerunt, qui ipsis est loco Dei: nam *humilitas* plurimum valet; & obstringit quodammodo eum Dominum, qui est Magister humilium; datque sapientiam paruulis, ne aberrent. Hæc Sanctus Climacus.

Humilis & indifferens auditur à Deo. Gradu. 26.

IMPONAMVS capiti huic finem, monendo Confessarios & Prælatos, ad quod spectat consilium alijs dare, aut varia officia subditis distribuere: vt in suis consilijs aut distributionibus huiusmodi attendant (quemadmodum S. Ambrosius dixit) ad *inclinationes* & *talenta* eorum, qui ipsis sunt commissi: consulendo illis, aut vnicuique ordinariè dando, quod bonæ ipsorum propensioni & talento est magis conforme. Quemadmodum enim necessè est non annuere *prauis* propensionibus, sed eas mortificare & abnegare: ita expedit fauere & fouere *bonas*, quemadmodum Christus Dominus noster cùm vocauit sanctos, Petrum & Andream, filiosque Zebedæi, quos ad piscationem propensos videbat, dixit eis f*faciam vos fieri piscatores hominum*: quasi eis diceret, non omninò vos ab hoc officio remouebo, ad quod ita propensos video; sed in eodem perficiam, faciens piscatores non piscium sed hominum. Huc spectat, quod S. noster Pater Ignatius, tanquam valdè à Deo illustratus in suauitate & efficacitate suæ gubernationis, dicere solebat; quod suppositâ ex parte subditi obedientia, & integra resignatione ad amplectendum, quod Prælati iniungerent, experientia didicisset, vtilissimum esse, annuere bonis ipsorum *propensionibus*, si etiam habeant *talenta* ad id præstandum, ad quod inclinant. Et ita cum hæc officia distribuere volebat, & grauiores alias occupationes, studebat intelligere vniuscuiusque propensionem, siue per aliquem sibi familiarem, qui quasi alio nomine eam cognosceret, siue eidem ipsi suadendo, vt in oratione & meditatione hæc tria puncta diligenter perpenderet. *Primum*: an paratus esset ire, quò eum obedientia mitteret: *secundum*, an propenderet, vt iret: *tertium*, quidnam eligeret, si liberum ei relinqueretur. Et hac via cognoscebat ipse bonam dispo-

Propensio & talenta.

Lib. 1. Offic. c. 44.

f *Matt. 4. 19*

S. Ignatij prudentia.

Obedientia suauis.

sitionem & inclinationem subditorum, vt *efficaciter & suauiter* eorum gubernatio succederet. Denique quidquid hactenùs est dictum ad eligendum Statum & Officium per viam ratiocinationum & rationum, non debet præiudicare vocationi diuinæ, quæ fit per vehementes inspirationes, & obedientiam superiorum. Nemo enim tantum tribuere debet propriæ naturali *inclinationi*, etiamsi aliàs bonæ, vt si vehementem *inspirationem*. Deiq; impulsum sentiat ad alterum Statum & Officium contrarium, negligat illùm sequi, præmissa tamen debita consultatione, vt certò Dei voluntatem cognoscat. Et idem omninò est, cùm *superior* aliquod officium huic propensioni contrarium iniungit: cùm enim Dei prouidentia adeò sit suauis, nec onus imponat supra vires, nec iubeat aliqua impossibilia: si ipse talibus inspirationibus vocet: dabit quoque supernaturalem aliam *gratiæ* inclinationem, quæ vincat *naturalem*; & similiter talenta dotesque dabit necessarias, quemadmodum supra est dictum.

Grtia superat naturam.

CAPVT VII.

OMNES DEBERE ESSE CONTENTOS eo Statu, quem prouidentia diuina illis dederit: & in eo posse illos perfectionem obtinere, si suis dotibus benè vtantur.

Quisq; sua sorte contentus sit.

POST factam electionem Status & Officij iuxta Dei voluntatem eiusq; prouidentiæ ordinem, quisque valdè contentus esse debet *sorte*, quæ illi cõtigerit; & *talentis*, quæ Deus concesserit, procurando cum eis omnem perfectionẽ negotiari, quæ in eo Statu illis fuerit possibilis, iuxta dotes & facultatem ad id acceptã, vtrumq; commendauit Apostolus, cùm dixit Corinthijs: a *vnusquisque proprium donũ habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic: vnusquisque autem sicut eum vocauit Deus, ita ambulet: sicut in omnibus Ecclesiis doceo. vnusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis vtere*, vt seruias; *qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum*, praua scilicet seruitute. *Vnusquisq; in quo vocatus est, Fratres, in hoc permaneat apud Deum.* Hucusque Apostolus, qui his verbis docet, vocatos à Deo ad fidem eius Sanctam recipiendam, perseuerare in Statu quem habent, modò non sit contra eandem Fidem. *Coniugatos* monet manere in Statu matrimonij: quia etiã est donum Dei, sicut Status continẽtiæ; *seruos* & reliquos, qui in inferiori Statu & Officio sunt, monet, vt non

a 1. Cor. 7. 7. 7.

Coniuges. Serui.

sint

sint soliciti de illo pro alio altiori commutando, sed vt in sua humilitate se conseruent, & in ea studeant consequi libertatem spiritus, & altitudinem spiritualem, quæ illis non denegabitur. *Liberos* verò & habentes Statum & Officium honoratum, monet, ne euanescant, & alios contemnant; sed humilient sese, & viuant tanquam fideles Christi serui, non abijciendo se vt fiant serui peccati, & mundi honorisque sui, & inanis pompæ mancipia.

Liberi.

1.

Omnis status donum Dei.

SED NOMINATIM perpendæ sunt *duæ* rationes, quas Sanctus Apostolus tangit: *altera* est ex parte ipsiusmet *Dei*, cuius est quilibet Status, & vitæ sors, quæ ab eius prouidentia prouenit, siue altior sit, siue demissior: & hoc satis est, vt libenter accipiatur: nam cui nihil debetur, quodcunque donum sufficit; nec habet quod conqueratur, quasi sit exiguum. b *Nunquid* (ait Apostolus) *dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? annon habet potestatem Figulus luti ex eadem massa facere; aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* quantò igitur facilius poterit Deus ex humani generis massa facere alium diuitem & dominum, & in omnibus magnum; alium verò pauperem operarium, seruum, & in omnibus paruum? nunquid poteris de Deo conqueri ac dicere: cur me sic fecisti? si enim potuit te non creare, sed quasi oblitum relinquere in abysso nihili: satis magnum fuit beneficium, creare te quocunque modo, pro libitu suo: ac propterea æquum est, vt ijs, quæ tibi data sunt, sis contentus, præferendo æternam creatoris tui dispositionem voluntati ac desiderio tuo.

b *Rom. 9. 20 Eccl. 33. 13. Sapien. 15. 7*

Deus tibi nil debebat.

2.

Omnes serui Iesu Christi.

NEC minoris momenti est *secunda* Apostoli ratio, quia omnes (inquit) empti estis pretio sanguinis Iesu Christi veri Dei & hominis, cuius estis serui *duplici* nomine: *creationis & redemptionis.* Quis ergò est dominus qui non habeat potestatem seruum suum pro suo libitu occupandi? nunquid seruus conqueri potest de suo domino, quòd illius opera in hoc officio vtatur, & non in altero: cùm igitur simus serui Dei & Christi, existimemus nos fœlices ea sorte, quam nobis in domo sua dederit, & cum ea simus contenti, libenter ei seruientes in quacunq; re nobis ab eo designata: quemadmodum enim seruus non placet Domino suo propterea quòd faciat, quæ sibi placent, etiamsi optima illa sint; sed quòd exequatur id, quod Dominus iubet, quidquid illud sit: ideoque communi prouerbio dicitur: *fac quod tuus Dominus iubet, & comedes ad eius mensam*: ita etiam nulla alia re Deo magis placere poteris, quàm si contentus sis loco, in quo ille te collocauit, ibique exequi quod ipse iubet: sic enim eius voluntatem tibi comparabis, & sedebis cum eo ad mensam in cœlo: sic enim ipse dixit, eos qui ipsi ministrassent, c *manducaturos & bibituros super ipsius mensam in regno eius.*

Seruus facit voluntatem Domini.

c *Luc. 22. 27. & c. 22. 30.*

§. 1. *Confirmatur exemplo Angelorum quemlibet suo statu contentum esse oportere.*

5. *Angelorum indifferētia.*

QVOD SI oculos conijcias in hierarchias & choros angelorum, qui benè nouerunt, quam subiectionem debeant suo creatori, inuenies omnes esse loco, gradu, & officio à Deo ipsis commisso, contentissimos: quod, qua possunt altissima perfectione, exercent. magnæ enim fœlicitati sibi ducunt, quòd velit Deus in quacunque re, etiam abiecta, illorum opera vti, quamuis nulla sit censenda abiecta, sed sublimis & valdè gloriosa, quam Deus vult & imperat: ac propterea nec maiores contemnunt minores; nec minores inuident maioribus, nec alter vult alterius officium vsurpare: quia quisque suo valdè est contentus. Quare S. Angelus a *Raphael*, etiamsi esset *vnus ex septem* præcipuis, *qui assistunt ante Deum*, eadē tamen animi voluptate, qua erat in cœlo, descendit, vt ministraret Tobiæ in officijs humilioribus, quæ famuli & serui faciunt cum suis dominis; non propterea dedignatus: quin potiùs summo honori sibi ducēs, quod Deus id ipsi imperaret. Et eadem animi tranquillitate custodiunt Aethiopem, qua Principem alicuius terræ; & priuatum aliquem hominem, sicut integrum regnum: quia suam voluptatem in eo ponunt, quod illis Deus imperat.

a *Tob.* 12. 18.

4. *Christi obedientia.*

IPSEMET verò Deus homo factus ad omnium hominum exemplum, adeò erat contentus artem *fabrilem* exercendo, atque cum exerceret munus prædicatoris & magistri: quia vtrumq; faciebat, vt æterni sui Patris voluntatem impleret, in qua exequenda totam suam delectationem collocauerat. Si igitur his oculis respicias Status & officia, vitæque rationem, quæ tibi ex consilio diuinæ prouidentiæ obtigit, omninò eris contentus, & operam diligentem pones, vt in ea salutem consequaris, propter quam à Deo illam accepisti.

5. *Membra sua sorte contenta.*

EODEM tendit præclara illa similitudo, qua vtitur Apostolus, cùm ait: b *omnes nos esse vnius corporis membra*; significans quòd quemadmodum *pedes* contenti sunt infimo loco, quem habent, suoque officio strenuè funguntur, neque inuident *oculis*, neque indignantur, aut contrà illos insurgunt: neque hi (licet in altiori loco positi) pedes contemnunt; sed potiùs attenti valdè sunt, vt & illis & toti corpori prospiciatur: & hūc in modum reliqua membra quieta sunt in suis stationibus, attendentia suis officijs in vtilitatem reliquorum. Sic igitur *fideles*, qui sunt vnius Ecclesiæ membra; & *Religiosi*, qui sunt partes eiusdem Religionis; & *Ciues*, qui vnius ciuitatis siue regni, meritò debent omnes esse contenti in eo Statu, officio & ministerio, ac vitæ sorte, quam Deus illis dedit: studentes vnusquisque excelleire in eo, quod ipsis incumbit: ita vt neque minor maiori inuideat, aut ambitiosè altiorem locum ad quem non est vocatus concupiscat; nec maior insolenter se

b 1. Cor. 12. 14

erigat,

erigat, & contra sui Status grauitatem & moderationem debitam, minorem contemnat.

ET si memor esses, quod propter tua peccata feceris te filium Dæmonis, & Sathanæ membrum: ac proinde dignum, qui adnumerareris Reib. infernali, cuius caput est Lucifer; indignum verò, qui membrum sis mystici corporis Ecclesiæ, cuius caput est Christus: fælicem te reputare, quòd sis vel pes huius corporis. siquidem veniet tempus, in quo totum, & pedes & oculi tanquam partes congregationis iustorum transferantur in cælum: vbi erit vnum corpus mysticum, & glorioſum cum Repub. Hierarchiarum cœlestium, in qua vel ipsi pedes multò plus splendebunt, quàm stellæ; omnesque pacatissimi & contentissimi erunt sorte illa, quæ consilio ac dispositione eius, qui illos elegit, vt eius regni partes essent, eis obtigerit. Cùm igitur non expediat, vt in Ecclesia & Rep. terrena omnes sint oculi, aut manus: lauda & glorifica Deum, qui corporis sui te partem fecit; pignusque dedit, quod sis etiam futurus in cœlo: & cum gaudio amplectere consilia æternæ dispositionis & voluntatis, quam meritò diligere, & præferre debes cuicuque honori & vtilitati, quæ potuisset ex altiori aliquo Statu tibi prouenire.

6. *Recogita indignitatem tuam.*

PRAEDICTIS hactenùs addendum est, quod non solùm ad priuatum cuiusque bonum, sed etiam ad vniuersale totius Ecclesiæ, ac Reip. & cuiusuis Communitatis tranquillitatem, sit valdè necessarium, vt omnes in Statu & Officio suo pacati sint & contenti, eiusque perfectioni studeant: sic enim pax & vnio corporis mystici conseruatur, sine qua nec particularium bonum diuturnum esse poterit: sicut pax & salus totius corporis naturalis pendet ex coniunctione membrorum inter se, & ex eo quod vnumquodque sibi constitutum locum occupet. Hoc voluit Apostolus significare cum dixit: c *Obsecro vos, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Quibus verbis docet Apostolus plurimum referre ad perfectã pacem & vnionem Christianorum seruandam, quòd quilq; viuat dignè vocatione sua, dando operam diligentem, vt ipsa vita talis sit, qualem exigit ipsa vocatio, ita vt Ecclesiastici, & Religiosi, & Seculares impleant exacte Statuum & Officiorum suorum obligationes; amplectentes integram & perfectam humilitatem, quam exprimit Apostolus verbo illo: *cum omni humilitate*: cuius munus est conseruare vnumquemq; in pace & tranquillitate, in loco à Deo sibi cõstituto. Nam si est *inferior*: ille est naturali eius inclinationi cõformis, quæ semper tendit ad vltimum sicut terra ad centrum. Quod si locus sit *excelsus*, nunquam appetit

7.

c *Ephes. 4.*

Pax priuata bono publico necessaria.

altiorem

altiorem: quia potiùs se reputat illo indignum. & hac ratione cum omnibus seruat pacem & vnionem, quia neminem ex loco suo deturbat, nisi fortè meliori oblato spontè ille acquiescat.

Morborum spiritualium origo.

ET HINC est, quod quemadmodum omnes morbi & naturalis corporis dolores oriuntur ex aliqua membrorum disiunctione, eò quòd non sint in suis locis; aut humores redundent: ita etiam omnes ferè *trium* Rerumpublicarum Christianarum miseriæ oriuntur ex defectu *coniunctionis* partium earum; aut quòd illæ non faciant aliàs rectè *officium* suum iuxtà vocationem propriam; aut quòd eâ non contentæ ad, id quod aliorum est proprium, etiam cum eorum detrimento *adspirent*. Quomodo enim non sequatur turbatio, si minor *contendat* esse maiori æqualis? aut si maior velit minorem *opprimere*? aut si quisq; velit sibi *vsurpare* sortem, quæ alteri obtigit, aut suam *accrescere*, cum alienæ detrimento?

9.

d *Cant.* 6.9 & c.2.1

DENIQVE si Reib. cuius es membrum, conseruationem desideras, recordare quod Ecclesia (vt suprà dicebamus) sit d *terribilis vt castrorum acies ordinata*. Quemadmodum enim exercitus robur in eo consistit, vt singuli milites suam seruent *stationem*, pugnando in ea ita strenuè, vt vitam potiùs amittant, quam eam deserant: ita Ecclesia & eius Rerumpub. fortitudo in eo consistit, vt omnes fideles valdè sint charitate coniuncti, nullo (vt suadet Ecclesiastes) e *locum suũ dimittente*, sed quicquid ille iure suo requirit, cum summa perfectione, faciente. Ex hoc enim oritur cælestis quædam *harmonia*, quasi multarum vocum valdè concinnarum musica: idque tantâ fortitudine & perseuerantia, vt dixerit DEVS S. Iob: f *quis enarrabit cælorum rationem? aut concentum cæli quis dormire faciet?* Sic ut ergò nullus in terra est qui hoc præstare possit: ita nullus est, qui perfectè assequatur admirandum illum ordinem, quem DEVS in hoc Ecclesiæ suæ cælo constituit, etiam in Statibus, Officijs, ac Ministerijs, quæ illa ad sui conseruationem & augmentum complectitur: nec omnis potestas huius mundi, aut inferni sufficere poterit, ad impediendum hunc ordinem, & harmoniam turbandam, quam habet in successione, qua alij fideles alijs succedunt in his Statibus & Officijs, vsque ad mundi finem. Quamuis enim hic ordo in aliqua Prouincia aut Regno, propter eorum peccata deficiat: in alijs tamen multis regnis non deficiet. Et licet Antichristus excludere ex mundo conetur g *mulierem illam amictam sole, quæ in capite habet coronam stellarum duodicim, & sub cuius pedibus* est posita *luna* (quæ mulier figura erat Ecclesiæ, illa tamẽ abibit *in locum suum*, à Deo sibi præparatũ, ita vt sit impossibile eam ornatu hoc cælesti spoliare, nec facere dormire concentum hunc & modum, quo Deus illam conseruat & mouet. Quod cùm ita sit, æquum est, vt ex parte tua tanquam huius Ecclesiæ membrum non

e *Eccl.* 10.4

f *Iob.* 8.37. *Exercitus stationes: Musica cõseruatur harmonia.*

g *Apoc.* 12. 6.14. *Portæ inferi non præualebunt.*

turbes

turbes hunc ordinem; nec dormire facias, nec cessare cælestem hanc musicã & harmoniam, si locum *deseras*, in quo te Deus collocauit; aut aliũ ex suo *extrudas*; aut obligationes tui officij non *præstes*. Nam supremus cęlestis huius machinæ gubernator vindictã sumet de illa *inordinatione*, quam induxeris; cedetq; in tuum proprium damnũ, si tuam *deseras* stationem; nec tamen deerit ipsi Deo *alius*, quem in tuo loco constituat, propterea enim in Apocalypsi te monuit: h *tene quod, habes vt nemo accipiat coronam tuam.*

h *Apoc.* 3. 11

§. 2. *in omni Statu acquiri posse perfectionem.*

Gratia & diligentia sæpe supplet statum.

AD vltimam consolationem eorum, qui sunt in inferiori Statu, stabiliamus hanc veritatẽ: quòd in Statu imperfecto possit esse vita *perfecta*; & in officio humili, vita *sublimis*; & in gradu demisso, vita *excellens*. Quamuis enim Status perfectionis, & Officium spiritualis ministerij plurimũ *iuuent* ad magnã sanctitatẽ consequendam: *sæpè* tamen harum rerum defectus suppletur à copiosa *gratia* & fauore Dei, ac magnâ *diligentia* ipsiusmet hominis, eadẽ gratia adiuti: ita vt existens in statu minus perfecto ascendat ad excellentiorem sanctitatẽ, quam qui sunt in Statu maioris perfectionis. Nam vt S. Petrus dixit, a *in veritate comperi, quia non est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Quare si paruulus in humili suo statu plus Deum timuerit, & diligentiùs, quod iustum est, fecerit: erit magis acceptus, quàm magnus in sublimiori statu. Quare nec debes animũ abijcere propter paruas dotes; nec te erigere, etiamsi habeas magnas. Nam vel cum paruis poteris esse valdè Sanctus, si diuinæ gratiæ fidas: & cum multis eris valdè imperfectus, si tibi ipsi innitaris. Sed vtrumque erit tibi vtile, si cum eò, quòd Deus constituit, te conformes; & illi fueris cooperatus.

a *Act.* 10. 34.

Non status sed virtus saluat.

Hoc præclarè declarauit S. Gregorius ea similitudine, quâ vsus est Sapiens, cùm dixit: b *Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regis.* Nã sæpè (inquit) euenit, vt aues, quæ alas habent ad volandum & in altũ ascendendum, volent tamen valdè demissè suosque nidos in paruis arbusculis ponant, dormiantq; in cauernis terræ: contra verò lacertæ & stelliones non habentes alas, sed manibus innitentes repunt per muros, & ascẽdunt ad tecta regalium palatiorum; quò aues non perueniunt. Hunc in modum, qui magnas dotes habent, *alas* scil. ingenij, iudicij, eruditionis & ingenuitatis, aliaque talenta præclara, quibus facilè possent volare, & ad perfectionem peruenire, egregiaq; facinora edere: illa tamen non faciunt; sed negligentia & tepiditate iua (ita Deo in pœnam occultæ alicuius *superbiæ* permittente) vitam ducunt valdè imperfectam, occupando se rebus vanis; & nidos suos inter spinas curarũ terrenarũ collocãdo sepulti in abysso cupiditatũ & ambitionũ humanarũ. Contrà verò *lacertæ* homines sc. humilis cõditionis,

Lib. 6. Moral. c. 5.

b *Prou.* 30. 26.

Ob superbiã permittit Deus aliquos sua talenta negligere.

etiamsi

etiamsi idiotæ,& rudes,& qui huiusmodi alis careant;innitentes tamen suis manibus,operibus scilicet officiorum suorum humilium, animum habent rependi,& contra impetum suarum inclinationum ascendendi: & sic perueniunt ad altitudinem Christianæ perfectionis; suumque nidum & habitationem in eius culmine ponunt, magnam cum cælesti rege familiaritatem obtinentes. Quia enim non est acceptor personarum Deus, repellit *superbum*, etiamsi plurimas habeat dotes & talenta, sicut primus angelus; admittit verò ad se *humilem*, cui huiusmodi talenta tanquam vili alicui mancipio desunt. Quod si benè perpenderetur: neque is qui *auis* est, ob suas alas euanesceret; neque *stellio* propter earum defectum animum abijceret: sed vterque studeret diuinam prouidentiam venerari in eo loco & sorte, sibi ab ipso Deo designatis: darentque operam diligentem, vt facultatibus & talentis; quæ habent, vitam æternam sibi comparent; & perfectionem, ad quam sunt vocati, ita vt qui habet *alas*, volet; qui non habet, *manibus* innitatur & repat.

Hic volet ille repat.

DENIQVE adeò sunt heroici & vtiles virtutis actus, qui occasione Status & Officij humilioris exercentur, vt prouidētia diuina cōstituerit in distributione donorum & talentorum naturalium & supernaturalium, nullum hominem *magnum* & excellentem in omnibus facere, nisi in re aliqua sit *paruus* & humilis: vt huiusmodi actus exercendi occasionem habeat. Quorum actuum dux est FIDES, quæ facit firmiter credere: eandem bonitatem & charitatem Dei, quæ res magnas distribuit, etiam paruas dare: & eodem amore vtrasque largiri. Cum hac fide subijcere debes tuum iudicium, & intellectū captiuare in obsequium Christi, cum talento tibi concesso etiamsi paruo.

Nemo per omnia magnus.

1. *Fides.*

MOX sequitur virtus SPEI, quæ sperat à diuina prouidentia quod per statum & sortem vitæ tibi datam ducet te ad portum perfectionis & salutis æternæ. Quamuis enim non assequaris *consilium* eius: debes tamen diuinæ ipsius sapientiæ & potentiæ fidere: quemadmodum de Abraham dicitur quod c *crediderit in spem contra spem*: hoc est suprà id quod ratio humana poterat sperare. Et hinc ascendes ad actus CHARITATIS, quibus Deum eiusque æternam ordinationem plus diligas, quàm vlla dona, quæ in tuam cedunt vtilitatem: vt potius eligas esse paruus: quia id illi placet; quàm omnes mundi huius excellentias habere: qui enim habet quod plus est; nō curat quod est minus. cùm igitur Deus infinitè plus valeat quàm reliqua dona creata, esto tu contentus quod Deum tecum habeas: quem, si diligas, iam habes: &, si habes, quid tibi deest? Si autem aliquid deest, ipse vult, deesse: & hoc tibi sufficit ad consolationem; siquidem is ita statuit, qui te valdè diligit. Hinc orientur actus GRATITVDINIS, quibus continuas ei gratias agas pro magno, siue paruo, quod tibi dedit; & pro eo quod non dedit:

2. *Spes.*

c *Rom. 4. 18.*

3. *Charitas.*

4. *Gratitudo.*

siquidem

siquidem in vtroque procedit tanquam *pater*, qui bonum filij intendit: ac propterea debet pro omnibus laudari & glorificari, potiùs respiciendo ad eius *amorem*, quàm ad ipsum donum. præcipuè cùm magnum sit beneficiũ, vel aliquid dare ei, qui nihil est promeritus, potiùs indignus erat omnibus, quæ illi sunt data. Hinc transeundum tibi est ad actus HVMILITATIS, agnoscendo propriam tuam indignitatem; & quòd non sis promeritus id, quod habes; & gaudendo in paucis & exiguis, vt occasionẽ habeas teipsum humiliãdi. Si enim fuisset multum, fortè factus fuisses superbus: vellesque reliquos præcedere: cùm etiam in hac paruitate, quæ tibi obtigit, difficilè alteri cedas.

5. *Humilitas.*

DENIQVE oportet heroicos RESIGNATIONIS & OBEDIENTIÆ actus efficere, cum magna tuæ voluntatis cum diuina conformitate: offerendo teipsum non solùm, vt sorte paruâ sis contentus; sed etiam, vt priueris omnibus, quæ habes, si ipsi Domino placebit ea auferre. Et super hanc conformitatem extruenda est pura & excelsa *intentio* ei seruiendi, propter se ipsum, quia dignus est, cui ita purè seruiatur: non aspiciendo ad præmia vel supplicia, nec aliorum beneficiorum interesse, nisi hos eosdem fines ad præcipuum illum eleues *gloriæ* ipsiusmet DEI: cuius bonitas & sanctitas per seipsam digna est, quæ ametur, & cui obediatur. summæ fælicitati ducendo, ei obedire in omnibus quæ iusserit, siue magna illa sint, siue paruæ; & eo solo nomine, quòd ille ita velit; dignusque sit cui exactè obediatur. Si hosce *sex* actus feruenter exercueris, sufficient, vt te faciant perfectum: eruntque tanquam d *sex alæ*, quæ in spiritu te eleuent ad gradum *Seraphinorum*, etiamsi in statu sis paruus.

6. *Obedientia, & Pura intentio.*

d *Isaiæ.6.2*

NEC repugnat his, quæ iam diximus, parabola illa de talentis, quæ habet, quòd, qui e *accepit quinque, negotiatus sit alia quinque*; & qui duo, *lucratus sit alia duo; qui autem vnum acceperat, abscondit illud in terra*: quasi tota huius differentiæ causa fuisset diuersitas talentorum. Potiùs Catholica veritas nos docet, Prælatos & magnos viros, qui multa talenta acceperunt, posse ex torpore & negligentia, illa sepelire, nec cum eis negotiari, sicut fecit, qui vel vnum acceperat. Et tunc æquè atque ille damnabuntur: imò pœna maiori punientur: quia f *cui multum datum est, multum quæretur abeo, & quò dona sunt maiora*: eò ampliùs (ait S. Gregorius) obligatio crescit donorum, & reddendi exactam de eis rationem. Et contrà qui vnum tantùm accepit talentum, & exiguas facultates, potest si velit eas non sepelire, sed cum ijsdem æquè diligenter negotiari, atque illi qui multa acceperant. Et quemadmodum multi sunt valdè industrij mercatores, vt, cum paruis facultatibus inceperint negotiari, ita breui tempore illas augeant, vt alijs ditiores euadant, qui pluribus diuitijs negotiationem fuerant aggressi. ita in-

1. e *Matt.25.15. Talenta inæqualia.*

f *Luc.19.48. Homil 9. in Euangel.*

quam euenire potest, vt qui vel vnicum accepit talentum, ita properet in sua negotiatione, diuina gratia adiutus, vt tanta lucretur, atque illi, qui quinque acceperant, imò vt eosdem etiam retrò relinquat, sortibus mutatis, ob diuersam in eis cooperationem: iuxtà illud Annæ matris Samuelis in suam æmulam. g *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Nam in æternæ vitæ & perfectionis Christianæ negotiatione non tam respicit Dominus pauca vel multa *talenta*, quæ ex pura sua misericordia diuidit, quàm maiorem aut minorem *diligentiam* à nobis positam in cooperatione suæ gratiæ. Quod si diligentia & feruor par sit, etiamsi talenta & officia sint imparia, præmium erit par. nam meritum non consistit in acceptione talentorum, sed in bono eorum vsu. Hoc ipsum confirmat quod ei, qui duobus talentis acceptis lucratus fuit alia duo, idem præmium sit redditum, quod lucrati quinque cum quinque, acceptis: eò quòd par fuerit illius diligentia, charitas, & feruor, quem in sua industria & negotiatione adhibuit: & quemadmodum duo lucratus est, ita lucratus fuisset quinque, si quinque accepisset. Quare eisdem verbis Dominus vtrumque est allocutus: h *Euge, serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

g 1. Reg. 2. 4.

Non gratiã, sed cooperationem respicit Deus.

h Matt. 25. 21.

2. *Mnæ æquales.*

H o c totum adhuc clariùs nobis significat altera illa parabola de decem mnis, quas homo quidam nobilis, dedit decem seruis, vnicuique vnam fuit tamen lucrum valdè inæquale: quia industria & diligentia non fuit omnium eadem; & ideò neque præmium. Vnus enim seruorum dixit: i *Domine, mna tua decem mnas acquisiuit*: cui in præmium industriæ suæ dedit Dominus *decem ciuitates*: alter venit & dixit: *Domine mna tua fecit quinque mnas*: & huic datæ sunt à Domino quinque ciuitates. Tertius verò veniens dixit: *Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario*: & ita nihil est lucratus, quia à sua pigritia victus, noluit negotiari: quæ propterea mna fuit illi ablata. Vbi licet aduertere admirabilẽ Christi Domini nostri sapientiã in *duabus* his parabolis proponendis. Nã in prima de talentis docuit, q̃ meritò fieri debuit per bonos & fideles seruos, vt scil. diligentia cõformis sit numero talentorũ: & si illa crescant, etiã hæc crescat: nec qui accepit quinq; talenta, sit contentus negotiari cũ solis quatuor: sed omnia quinq; ad negotiationem applicet; & qui altiorem Statum & præclariora acceperunt dona, sint magis soliciti in bono illorum vsu; vt & lucrum, & præmium eius augeatur.

i Luc. 19. 12.

Parabolarũ diuersitas.

S e d ne animum abijciant, qui minus acceperunt: docet in secunda parabola: posse in eodem Statu & Officio, & cum eisdem gratijs gratis datis, alios plus alijs promereri; & alios lucrari decem cum eo, quo

alij

alij quinque tantùm lucrantur; & quosdam ad culmen perfectionis, per numerum denarium significatæ, peruenire; alios verò in eius medio per numerum quinarium significato consistere. sicut etiam aliqui k *operarij* possunt *vna hora* tantùm lucrari: quantùm alij *tota die*: modò spiritus feruor, ac diligentia crescat; innitendo tamen præcipuè diuinæ *gratiæ*, sine qua nihil possumus negotiari, & quæ nemini denegatur. Quamobrem dixit Apostolus: l *abundantius omnibus laborauí*, *non ego*, *sed gratia Dei mecum*: ego enim fui velut instrumentum; Deus verò gratia sua præcipuus fuit author operum, quæ per me fecit. Ideoque fideles serui dixerunt Domino suo, *mna tua fecit quinque* vel *decem mnas*; non dicunt *nos* lucrati sumus, ne sibi attribuerent fructum huius negotiationis; sed mna & talentum, quod nobis dedisti, fecit hoc lucrum: quia cum illo venit gratia vocationis, & auxilia necessaria ad hanc negotiationem, præueniente illos diuina misericordia, & concomitante in suo labore, vt exitum haberent prosperum ac felicem.

k *Matt.* 20 9.

l *1. Cor.* 15 10

Non ego sed gratia Dei mecum.

§. 3. *In sepelientes talenta.*

SED ne silentio inuoluamus seueram pigrorum pœnam, nolentium negotiari, sed talentum, & mnam, quæ illis sorte obtigit, abscondentium: quia hoc ipsum nos animabit ad benè nostris vtendum. Sed primùm *culpæ* grauitatem examinemus, & ex ea apparebit horribilitas *pœnæ*. Siquidem miseri illi non satis habuerunt talentum quomodocunque occultare, sed *sepelierunt* sub terra. Nam sunt quædam culpæ ex *ignorantia* vel inaduertentia, aut ex aliqua tentatione, aut subita passione, qua non satis fit obligationi Status: & hi, quamuis tunc talentum abscondant, non tamen sepeliunt: nam potiùs ad manum habent, vt vtantur cessante illa tempestate. Sed aliæ sunt culpæ ex *malitia* & consuetudine valdè radicatæ, cum animi duritie, & pertinaci voluntate in eis perseuerandi: & hi sepeliunt talentum, adeò horrentes laborem, vt neque aspicere eum possint. Quod si talentum sepeliunt: qui ferali amictu illud inouoluunt? Ille de mna sua dixit, quod *reposuit in sudario*. Sudarium ait Theodoretus, esse linteum, quo mortuorum facies cooperiuntur, cùm mandantur sepulturæ: cui mnam inuoluere est, eam mortificare & extinguere, ita Statum & Officium tractando atque si res aliqua mortua esset; nec illis vtendo ad vina opera seruitii diuini. Inuolutum habere censeberis ac sepultum Prælati aut subditi talentum; si nihil eorum facias, quæ Officium à te exigit, & gubernationem, aut subiectionem tuam ita negligas, quasi nihil ad te pertineret aut eam præstare non teneris. Sed adhuc aliud mysterium continet hoc *sudarium*. nam etiã est linteũ, quo sudor tergitur faciei, & tanqua

Culpæ duplices.

Sepelire talentum. Allegat S. Thom. in Catena.

aliqua *vitta*, qua operarij, cùm multùm sudant, caput operiunt. Quid autem mirum est, quòd minam sepeliat in sudario, qui eo non indiget, eò quòd decreuerit nunquam laborare, nec *sudare* in officio suo? tales sunt pigri, qui subesse nolunt legi, quam Deus imposuit Adamo, cùm illi dixit: a *in sudore vultus tui vescéris pane.* Sed dic ô piger, vnde cogitas viuere? & quomodo cibum animæ comparare? nam hic non obtinetur, nisi cum *talento*, quod DEVS tibi dedit, labores. Fortè dices, te *mendicando* obtenturum, quod fuisses laborando acquisiturus: eò quòd DEVS sit valdè misericors, & liberales faciat eleemosynas: & quacunque hora eleemosyna petatur ab eo, eam largitur liberaliter. Sed ô miser! cur non attendis quòd qui talentum sepeliuerunt, audientes reprehensionem Domini sui, eiusque sententiam, ita *obmutuerint*, vt nec os aperire fuerint ausi, vt misericordiam peterent, & culpæ remissionem? nam qui in vita non vult laborare: nec in morte scit orare, nec, qui sua semper habet talenta defossa, dignus erit, cuius preces DEVS exaudiat; id enim voluit Sapiens, cùm dixit: b *propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Non dixit, noluisse arare, eò quòd non esset officio agricola, aut quòd aratrum non haberet; sed, quòd adeò *frigus* horruerit, vt sepium in lecto suæ pigritiæ sepeliuerit; & aratrum reconderit, ne illud videret: horrens crucem & mortificationem, ob timorem, quem illa incutit. Æquùm itaque erit; vt, cùm peruenerit hora mortis, & *æstas* diuini iudicij, etiamsi mendicet, & eleemosynam petat, sicut fatuæ illæ virgines, non inueniat, qui illi det. Et si quidem talentum ipse posuit sub *terra*, sepeliatur & ipse in æterno *carcere*, qui est sub illa in perpetuis tenebris exterioribus; vbi, deficiente luce, non amplius poterit laborare, nec mereri, aut consolationem vllam habere; sed æternus c *erit fletus & stridor dentium*, cum *æterni* frigoris tremore; eò quòd adeò horruerit frigus *temporale*. Et præterea auferetur ab eo talentum, quod adeò sepultum habuit; dabiturque habenti alia quinque, & benè illis vtenti. Nam *iusti* feruentes, particulari honore & gloria afficiuntur, quando cum *tepidis* comparantur: eoque amplius glorificantur, quò minùs voluerunt sequi ignauiam & pigritiam, quam eorum socij secuti fuerunt.

a Gen. 3. 18. *Qui non vult laborare, non poterit orare*

b Prou. 20. 4

Imo nec exaudietur.

c Matt. 25. 9

Qui sepelisuit, sepelietur.

CAPVT VIII.

DEI PROVIDENTIA IN DISTRIBVENDIS corporis dotibus, familiarum, Nationum aliarumq; sortium varietatibus: & omnes debere sua sorte contentos esse.

QVEMADMODVM Prouidentia diuina elucet in *Statuum & Officiorum* Reipubl. Christianæ, & *propensionum* ac *talentorum* ad ea distributione: ita eminet valdè in distributione variorum *donorum, & bonorum naturalium & supernaturalium*, quæ ad eorundem Statuum & Officiorum electionem, aut ad vitam in eis perfectius ducendam, disponũt. *Quinque bona.*

Hæc bona ad *quinque* magis præcipua genera possunt reuocari: quædam enim sunt tanquam dotes ipsius *corporis* ab eius natiuitate, qualis est sanitas, pulchritudo, fortitudo: alia sunt *externa* bona ex *hæreditate* habita, qualis est Nobilitas; aut propria *industria* comparata, quales sunt diuitiæ: alia pertinẽt ad perfectionem *intellectus*, quale est bonum ingenium, & scientiæ: quarto loco sunt gratiæ, quas *gratis datas* appellant, in gratiam totius Reip. Christianæ & vtilitatẽ ipsorũ fideliũ: vltimo loco sunt *virtutes* ad varia exercitia, quæ inter multos distribuuntur, ad ipsorũ recipientium perfectionem. In quinq; horum talentorũ adeò diuersorum distributione valdè admirabilẽ se prodit diuina prouidentia, à qua tanquã à sua origine proueniũt, vt clariùs apparet in duobus primis, de quibus Sapiens: a *bona, & mala: vita, & mors; paupertas, & honestas à Deo sunt*, b *in cuius manibus* dicit Dauid, *esse sortes nostras*: & ipse distribuit animæ & corporis bona, & quæ fortunæ appellantur; & mala miseriæ & pœnæ, quæ absq; culpa eueniunt: cuiq; enim dat, quod vult, iuxta cõsilium ac decretũ infinitæ suæ sapientiæ. c *Ego* (ait per Isaiam) *Dominus & non est alter formans lucẽ, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Nec vacat mysterio, quod vtatur *vocabulo creandi* cùm ait: creans tenebras aduersitatum, & mala quæ non sunt culpæ: vt intelligamus, quòd licèt ipse sæpè talia mittat in pœnã peccatorum non rarò tamen illa *creat* ex nihilo, & mittit, etiamsi ex parte iustorum nihil præcesserit, cur ea sint promeriti: eò enim tendit, vt per ea purificet iustos, reddatque sanctiores: sicut etiam mittit lucem prosperitatum, pacemque temporalis serenitatis aliquando propter merita, aliquando sine illis: incipiens exequi consilium ac decretum suum in suis electis, ab ipsa natiuitate, qui ex hac eius prouidentia aut sani nascuntur, aut infirmi; & in Statu vili, aut Nobili; in paupertate, & subiectione, aut in opulentia, & dominio: idque totum à parentibus hæreditate accipiunt.

a Eccl. 11. 14
b Ps. 30. 16
c Isai. 45. 7

Deus creat bonum & malum.

cipiunt: quemadmodum dixit Apostolus, mentionem faciens electionis Iacob, vt in paterna domo ius primogeniti haberet, reiecto Esau, natu maiori. d *Cùm nondum* (inquit) *nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori.* Et idem Patriarcha Iacob, cùm esset senex, velletque benedicere filijs Ioseph; haberet verò Manassem, qui erat maior natu, ad dextram; Ephraim verò ad sinistram, e *extendens manum dextram, posuit super caput Ephraim* minoris fratris: *sinistram autem super caput Manasse, commutans manus.* idque spiritu diuino, prophetans, illum futurum maiorem: vt intelligamus, non *casu* aliquo euenire; sed æterna Dei dispositione distribui temporales huiusmodi sortes. ita vt huic seruiendi, alteri dominandi sors contingat: vnus manum dextram habeat in hoc mundo, alter sinistram: vnus succedat in hæreditate & diuitijs paternis, alter eisdem careat. Et quamvis in hominum potestate sit benè aut malè huiusmodi sortibus vti, quæ propterea vtrisque sunt communes: mens tamen & finis Dei nostri in hac distributione non est, nisi vt omnes benè eis vtantur ad æternam vitam consequendam, quam reipsa electi per has vias, etsi adeò diversas consequentur.

d *Rom. 9. 11.*

e *Gen. 48. 14.*

Deus regit sortes.

§. 1. *De bonis & dotibus corporis.*

Corporis bona solus distribuit Deus.

INCIPIAMVS igitur à bonis & dotibus *corporis*, de quibus dubium non est, quin Deus Dominus noster particulari sua prouidentia cuique distribuat, vt quædam corpora sancta sint, beneque constituta, aut infirma, & valetudinaria; fortia & robusta, aut imbecilla & valdè debilia; pulchra & elegantia, aut turpia; integra in omnibus suis partibus, aut in aliquo mutila & manca; bonæ aut malæ constitutionis: vt sanguineæ, aut melancolicæ, phlegmaticæ, aut colericæ, cum voce clara, aut rauca; bono aut malo auditu; perspicacibus, aut obtusis oculis; aut mille alijs in bonum, aut malum, differentijs: ex quibus variæ solent prouenire inclinationes, quæ sequuntur ipsius corporis varias constitutiones ac dispositiones; & variæ diuersorum Statuum & Officiorum electiones, propter aptitudinem aut ineptitudinem ipsorum corporum, quæ animæ sunt instrumenta ad eorum actus exercendos: quemadmodum apparet manifestè in aliquibus morbis, quibus homines redduntur incapaces aliquorum Statuum & Officiorum: aut efficiunt, vt electiones, quæ non sunt rerum perpetuarum, mutentur. Quæ omnia non casu aliquo eueniunt in mundo, nec voluntate parentum filios generantium; sed consilio & voluntate supremi gubernatoris, qui animam creat; & corpus format cum ea dispositione, quam ipse vult; & quæ apta sit ad finem, quem in bonum electorum suorum intendit. Et hoc sufficere deberet, vt omnes contenti & pacati essent sorte ab ipso illis oblata. Non enim sine causa, an-

tequam

tequam ipse Dominus diceret *formans lucem & creans tenebras*: præmisit, *ego Dominus, & non est alter*: vt intelligeremus, satis nobis esse debere, quòd ipse sit Deus, & vniuersalis omnium Dominus, vt veneremur quidquid ipse facit; & sortem acceptemus, quam in rebus corporalibus nobis distribuit. Vt fusiùs actum est, dum egimus de infirmitatibus: nam rationes ibi allatæ valent etiam ad nos consolandos in quacunque sorte, quæ nobis contigerit, pulchritudinis, aut deformitatis; paruitatis, aut magnitudinis corporis: ita vt omnia Domini ipsi attribuamus, qui ita singulorũ cubitos metitur, vt, quemadmodum ipse Saluator dixit, nullus possit *adiicere ad staturam suam cubitum vnum*: & in paruo corpore potest ponere magnum cor, & sanctitatem maiorem: & nihili facit proceritatem: quia alios habet oculos quam nos, quemadmodũ significauit ipse Prophetæ Samueli, cùm in eius conspectũ venisset Eliab filius natu maior Isai: existimanti enim eum esse, quem Deus in Regem Israel loco Saulis elegisset: b *ne respicias* (inquit) *vultũ eius, nec altitudinem staturæ eius: quoniã abieci eum, nec iuxta intuitum hominum ego iudico: homo enim videt ea quæ patent: Dominus autem intuetur cor*: quasi dixerit, ne de eius proceritate & pulchritudine, iudices, sicut homines, ex ijs, quæ habet in corpore; sed ex magnitudine & pulchritudine, quæ in anima latet. Recordare, quòd elegerim Saulem in Regem c *qui erat altior vniuerso, ab humero & sursum*: nunc verò adeò sese extulit, vt contempserit mandata mea. Alia igitur via electionem faciamus, & eligamus Dauidem natu, & Statura minorem: hic enim placebit mihi, eritque in meis oculis magnus.

NON NEGATVR, donum Dei esse, *venerandam externam præsentiam*; siquidem idem ipse Dominus minatus est ciuitati Hierusalem, quod in pœnam peccati eius auferre vellet ex ea d *honorabilem vultu*. Sed, quoniã homines ex huiusmodi externa specie facilè euanescunt, solet Deus eam auferre suis electis, vt in humilitate securiores viuant: propterea enim dixit Apostolus: elegisse Dominum in Apostolos e *ignobiles & contemptibiles* huius mundi: *vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*, si homines præstantiam & excellentiam suorum operum tribuerent naturalibus dotibus, quas in se viderent. Si tristitia te inuadat, quod videas te paruulum ac deformem, respondeas: f *Deus fecit me, & non ipse me* feci: quod si ego me ipsum facturus fuissem, sciens, quæ Deus nouit, non aliter me feciſſem, quàm ipse fecerit: de eius enim misericordia ita spero, quod talem me fecerit in corpore, qualem esse expediebat ad bonũ animæ. Adde & illud sponsæ: g *nolite me considerare, quòd fusca sim; quia decoloravit me Sol*. quasi diceret, non tanti facio q̃ in corpore sim nigra, aut deformis: quia Sol iustitiæ albedinem & pulchritudinẽ corporis mihi abstulit, vt cõmunicaret Spiritus: ne fortè hęc mihi defuisset,

si ha-

1

Omnia Dei nutu regũtur.

Tomo 1. Tract. 5.

a *Matt. 6. 27.*

Deus paruos eligit.

b *1. Reg. 16. 6.*

c *1. Reg. 10. 23.*

Vultus decorus.

d *Isai. 3. 3.*

e *1. Cor. 1. 28.*

Solatium deformiũ.

1.

f *Psal. 99. 3.*

2.

g *Cant. 1. 7.*

si habuissem alteram. Præfero enim pulchram animam in corpore turpi,
h 2. Reg. 14. 5. & 18. 9. eleganti corpori cum anima deformi. Pulcherrimus erat h *Absolon* in corpore: sed hæc pulchritudo in tantam eum superbiam & insolentiam præcipitauit, vt *pendens ex quercu vitam finierit*. Pulcherrima erat *Iezabel*, sed moribus adeò turpibus, vt propter illos pulcherrimum eius corpus i *comederint canes*. Attende, quòd Sathanas ex ipsa pulchritudine laqueum faciat ad ve-
i 3. Reg. 9. 36
3.
k Gen. 39. 6.
l Dani. 13. 6. hementer tentandos iustos ea præditos. Propter eam enim k *Iosephum* aggressa est, *Domina* eius, Et l *Susannam duo* illi *senes*. Et quamuis hi sancti in eo
4. conflictu victi non fuerint: præuidit fortè Deus, te superandum: ac propterea hanc tibi abstulit occasionem impingendi. Præstat castitatem & animæ pulchritudinem, & æternam elegantiam, qua frueris in gloria, tutam seruare, quàm ob temporalem pulchritudinem periculo eam exponere: quæ (vt
m Pro. 31. 30 Sapiens ait) m *fallax* est *& vana*: quia infirmitate obscuratur, tempore marcescit, morte denique perit omninò, & conuertitur in horrendam fœditatem. Erige etiam oculos ad Iesum Christum Dominum nostrum, qui fuit n
5.
n Psal. 44. 3 *speciosus præ Filiis hominum*: sed elegantem illam speciem ita contempsit, vt in
o Isa. 53. 2. hora suæ passionis in extremam conuerterit deformitatem. de quo Isaias ait: o *nõ erat species ei, neque decor, nec aspectus: vnde nec reputauimus eum*. Quòd si quis ex eo consolationem hauriat quòd sua pulchritudine similis sit Christo specioso: etiam se potest consolari, qui deformis est: quia Christo est similis etiam deformi. Vtramque enim speciem assumpsit Saluator, vt &
6. speciosi, & turpes consolationem in eo inuenirent. Cogita etiam incredibilem pulchritudinem, quæ glorificato corpori dabitur, quatuor illis gloriæ dotibus, quibus illud induetur. Hac enim cogitatione & memoria, nec pul-
7. chritudinem tuam curabis, quæ eius comparatione est deformitas, nec propter deformitatem tristaberis, quę in tantam pulchritudinem conuertetur, si animæ speciem illi coniunxeris. Denique illam formam & speciem magni facere debes, tibiqne eam procurare, quæ non est bonis & improbis cõmunis, sed propria iustorum: propter quam Deo ipsi eiusque Angelis placebis: quam & procurare & obtinere in tua est potestate, cum auxilio diuino; nullsque eam tibi auferre poterit, nisi tu eam velis obfuscare. Solam etiam illã fœditatem horrere debes, quam admittere in tua est potestate: teque carbonibus nigriorem & ipso dæmone turpiorem redder. Quòd si velles elegantiæ tuæ rotam dissoluere: aspice quemadmodum pauo tuos pedes, cõsiderans prauos tuos affectus, & peiores gressus, quorũ finis mors est amara: & tunc dicere poteris cũ Noëmi: p *nolite* me *vocare pulchram: sed amaram: quia amaritudine repleuit me Dominus*: considera acerbum finem, & terminũ huius pulchritudinis; amaritudinem culparum & pœnarum, ad quas illa tẽdit; & quam Saluator tuus in cruce tolerauit, vt ab eis te liberaret.
p Ruth. 1. 20

Hæc

HÆC summa est rationum, quibus innitatur consolatio tua de sorte quæ tibi, quoad corpus contigerit: & propter eandem accipies libenti animo quidquid ex ea sorte necessariò te sequetur. Nam, si Deus te cæcum fecit: etiam voluit, ne *Sacerdotis* dignitatem haberes; & reliqua, quæ ex cæcitate necessario sequuntur. Et, si raucam dedit vocem, voluit te non esse *concionatorem*, siquidem & vocem & pectus abstulit, quæ ad id muneris erant necessaria. Et, si te voluisset eo Officio fungi, non te priuasset instrumentis ad illud necessarijs. Hoc nomine excusabat se S. *Bernardinus*, cùm vrgeretur ad concionadum: donec dedit illi Deus vocem clariorem; quo signo ostendit, se illum ad concionandi munus destinare, cui vocem addidit, quæ prius illi deerat.

§. 2. *Vnde bonorum temporalium sortes commendentur.*

Bona temporalia conferi Deus.

INTER sortes bonorum temporalium valdè eminet varietas nationum, linguarum, & generis, quæ inter homines inuenitur, cuius prima origo est consilium, ac dispositio prouidentiæ diuinæ, quæ mandatur executioni per natiuitatem ac descendentiam à parentibus ad filios. Quod vt melius intelligatur, præmittendum est: quod cùm omnes descendentes à Noë, & tribus eius filijs, qui erant innumeri, a *essent labii vnius, & sermonum eorundem*: quia eodem tono modoque proferendi loquebantur, seseque mutuò intelligebant: Deus Dominus noster singulari sua & prodigiosa prouidentia confudit linguam eorum, dans vnicuiq; familiæ ex præcipuis (quæ iuxta aliquorum Doctorum fuerunt *septuaginta duæ*) specialem linguam & sermonem, ita vt reliquarum sermonem non intelligeret: quare coacti fuerunt ab inuicem in diuersas regiones ac prouincias se separare: à quibus ortæ sunt variæ nationes; quæ sunt in mundo. A quo tempore non sine eiusdem prouidentiæ diuinæ consilio (quod supra insinuauimus) multiplicatæ sunt, in quibus aliæ alias excelluerunt, eò quòd essent potentiores, ditiores, aut prudentiores & sapientiores, & meliorem habuissent gubernationem. Propter quas causas pluris sunt æstimatę & habitæ in mundo. Et propter eandem causam vnaquæque natio habet aliquas familias, & prosapias clariores, eò quòd radix & principium earum fuerint homines valdè insignes. Et hinc ortum habuit imparitas in huiusmodi familijs & specialia priuilegia, quæ habent. aliqui, vt ad quoddam genus dignitatum, & honorifica officia admittantur: à quibus alij quod non sint eius Nobilitatis excluduntur.

a *Gen.* 11. 1. 7

Linguæ. 72.

Vide Pererium in Genesim disp. 6 *Cap.* 1. 3.

Nobilitatis origo.

Hoc iacto fundamento pro *Maiori*, quod nũc facit, ad nostrum propositum est, quòd lex Euangelica, & perfectio Christiana æqualiter se extendat ad omnes nationes, & familias totius mundi, quæ Fidem & Religionem

Christi suscipere velint. In cuius testimonium in Festo Pentecostes cùm fuit promulgata, erant b *in Hierusalem homines ex omni natione quæ sub cælo est*: & Spiritus Sanctus, qui linguas diuiserat, eas coniunxit, omnesque in Apostolis collegit, vt cum omnibus colloqui possent, & omnibus nationibus legem & perfectionem Christianam in propria lingua promulgare. Et primùm cùm Spiritus sanctus sese gentibus communicauit, dixit Sanctus Petrus Apostolus: c *in veritate comperi*, quia non *est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Et idem confirmat Apostolus dicens: d *gloria & honor & pax omni operanti bonum*, siue Iudæus siue græcus; quia DEVS non est personarum acceptor, & e *in Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur*, & f *noua creatura*, hoc est homo per baptismum renouatus in similitudiné noui hominis Christi Iesu, quem induit: ita vt in hoc nulla sit differentia g *Iudæi, & Græci; Barbari, & Scyta; serui, & liberi; masculi, & fœmina*: quia h *Christus est omnia in omnibus*, supplens defectus nationum, familiarum, & linguarum hominum, vnitate fidei & charitatis, quæ omnes facit vnum, quod ad bona attinet animarum. In quibus, postquam sunt iustificatæ, non est nisi vnica natio filiorum Dei, & iidem mores, veræ scilicet virtutes: iuxta illud Ecclesiastici: i *filii sapientia Ecclesiæ iustorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Ac proinde omnes eodem *habitu* induuntur, eodem scilicet Christo, vestéque gratiæ & charitatis. Omnes eandem *linguam* loquuntur; quia easdem veritates credunt, & profitentur: iuxta promissionem Dei per Sophoniam Prophetam: k *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*: sentiendo scilicet, loquendo, & operando cum magna conformitate, quidquid ad ipsius obsequium pertinet.

b *Act.* 2. 5. *in Ecclesia omnes pares.*
c *Act.* 10. 30. 44.
d *Rom.* 2. 10.
e *Gal.* 5. 6.
f *c.* 6. 15.
g *Gal.* 3. 28.
h *Colos.* 3. 11.
i *Eccles.* 3. 1.
k *Sopho.* 3. 9.

2. *Omnes sua sorte bene vtantur.*

Hinc fit, vt omnes meritò contenti esse debeant natione, & prosapia, quæ illis cõtigit à diuina prouidentia: ita vt Nobilis non sese inaniter erigat propter nobilitatem; nec minus nobilis tristetur propter eius defectum: siquidem in CHRISTO IESV omnes possunt esse nobiles, & valdè clari, iuxta illud Sancti Petri: l *vos estis genus electum regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, sanguine agni immaculati redempti, vt transferamini in cœlum inter Angelorum hierarchias cum summo honore & gloria, quam illi habent: in cuius signum ostendit DEVS Sancto Petro m *linteum quoddam magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli*: &, cùm facta esset vox ad eum: *Surge Petre, occide & manduca: statim receptum est vas illud linteum in cœlum* cum omnibus illis bestiis: ad significandum, quòd omnes mundi nationes, quæ peccato morerentur, & ingrederentur

l 1. *Petr.* 2. 9.
m *Act.* 10. 11.

Eccle-

Ecclesiam per fidem & charitatem, etiam in æternam vitam essent ingressuræ; ita vt neque nationis, neque generis vilitas, aut linguæ barbaries, aut abiecta personæ conditio eas retraliere, aut impedire possent. Et quamuis Nobilis propter nobilitatem aptior sit, vt ad dignitates & officia altiora in Ecclesia, & Republ. Christiana admittatur: exiguum fructum inde habebit, si ob defectum virtutis à gloria repellatur; sicut etiam minus Nobilis non magnam iacturam faciet, si excludatur ab huiusmodi officijs & dignitatibus in terra: si ob ipsius maiores virtutes pateat illi ad maiorē in cœlo gloriā aditus.

3. *Nemo alium contemnat.*

Svpposita autèm diuinæ providentiæ dispositione, nec nobilis debet contemnere eum, quit talis non est; sed Deum laudare pro temporali hoc bono sibi immerenti concesso: & qui talis non est, non debet de sua sorte tristari, nec inuidere altiori, aut præstantiori: persuadens sibi, eam, quam habet, ipsi magis expedire ad obtinendam & conseruandam nobilitatem filiorum *Dei*: quam fortè perdidisset, si nobilitatem habuisset filiorum huius *sæculi*. Ac propterea (vt S. Apostolus dixit) Christus non n *elegit* in Apostolos aliquos *nobiles*: quia optabat, eos in humilitate fundare sui Status sublimitatem. Et in propria sua generatione secundùm carnem (vt S. Hieronymus perpendit) voluit esse etiam aliquas fœminas alienigenas & peccatrices; vt sic nobis spem faceret, quod ex quocunque sanguine orti, possimus per fidem & charitatem fieri viua ipsius membra. Non fuit *Ruth* ex nobili Israelitarum genere, sed Moabitis; quī erant elìàs detestandi: & nihilominus fuit posita in catalago *generationis* eius: quia abiecta natiuitas temporalis non nocet, quando ex natiuitate spirituali Fides elucet. Contrà verò parum profuit Regi *Achab* aliisque magnis peccatoribus generis nobilitas; & quòd essent Messiæ progenitores, siquidem eam horrendis adeò sceleribus commaculārunt. Vera (inquit S. Chrysostomus) nobilitas est facere voluntatem Dei. & quid tibi confert sanguis illustris, si mores habeas alicuius infamis? aut quid nocet natum esse ex parentibus vilibus, si ornatus sis magnis virtutibus? *Cham* filius fuit Noe secundùm carnem, at secundùm animam factus est seruus, & maledictus Patris sui. Quid etiam nocuit *Timotheo*, quòd natus fuerit ex parente gentili, aut *Abrahamo*, quod ex Thare idololatra? præstat vt tui parentes glorientur, quòd te habeant filium, quàm tu, quòd eos habeas parentes. Si esses turpis (dicit quidam) contentus ne esses dicendo, patrem tuum fuisse pulchrum? & si os tuum fœteret, diceres ne tuum genitorem suauissimum ex se odorem exhalasse? quod si te timidum quis compellaret: respondēres ne, auos tuos fuisse animosos, & magnos vicisse inimicos? ita igitur, ne contentus sis maiorum tuorum nobilitate, sed stude vitijs eam non de-

a 1. *Cor.* 1. 26

Refertur in decret. D. 50 c. Dominus.

Matt. 1. 5. *Nobilitas res est indifferens.*

Hum. 45. *in c.* 12. *Matth. & Hom. de nomi. Abraham. Tom.* 1

fœdare. Si enim aliquid boni est in nobilitate, illud est, (vt ait Boetius) quod certa necessitate successores constringat, maiores suos æmulari; nec degenerare à virtute & excellentia, quam illi ipsis reliquerunt. Qua ratione vtebatur Isaias vt iustos suri populi excitaret dicens: o *Attendite ad petram, vnde excisi estis; & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*: quasi illis diceret: siquidem estis filij adeò nobilium & Sanctorum parentum, imitamini eorum vitam, obedientiam, & sanctitatem: nec in puncto ab ea degeneretis. Et hoc ipsum clariùs adhuc dixit Christus Dominus noster Iudæis, iactantibus se Patrem habere Abraham: p *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*: ne solùm nomen iactetis, & nobile genus; sed date operam, vt vita vestra nobilitati vestræ respondeat: alioquin parùm vobis proderit quod radix sit sancta, si ramus est aridus & inutilis. Contrà verò, q *Ne velitis* (inquit S. Ioannes Baptista) *dicere Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; & facere, vt homines viles genere, illustres sint, & operibus nobiles. Gloriamini vos esse filios operum vestrorum, quemadmodum fuit Abraham, & Patres vestri: & tunc licebit gloriari, quod sitis eorum filij. Non hæc mihi mens est, vi his rationibus velim disparitatem hanc inter nobiles, & eos qui tales non sunt, à Christiana Republ. remouere: siquidem (vt etiam est dictum) à diuinæ prouidentiæ consilio ita est constitutum: Et lex Euangelica non contradicit consilijs auctoris naturæ: qui quemadmodum vult esse in Republica Reges, Gubernatores ac Dominos; ita voluit, esse Nobiles & præclaros viros, remunerans maiorum insignia facinora, non solùm in ipsismet, sed etiam in descendentibus: vt in eis eorum memoria sit perpetua: & vt ipsimet Successores excitarentur, ad eandem similium operum nobilitatem promouendam.

Li 3. de Consol.

o Isaiæ. Nobilitas ad virtutem cogit.

p Ioan. 8. 39.

q Matt. 3. 9

Nobilitas honoranda.

§. 3. *Regiones & loca habitationis magnam habere affinitatem cum varietate nationum.*

Nationum varietas.

CVM varietate nationum magnam habent affinitatem regiones, & loca habitationis earum, quæ eadem diuina prouidentia etiam distribuit, ac per aliquam ex quatuor vijs deducit.

1. *Natiuitate.*

PRIMA via est *Natiuitas*: constituit enim, vt aliqui homines inter Christianos, alij inter Ethnicos aut Hæreticos nascerentur: & qui inter Christianos, alij in locis frequentibus, ac politicis; vbi & floret doctrina, & magna sunt media & occasiones ad perfectionem, & vitam æternam consequendam; alij verò in syluis & pagis, omnibus his bonis destituris.

PRÆ-

PRÆTEREA aliquæ mutationes ad varia loca eueniunt, per captiuitatem, exilia, bella, fames, pestes, aut persecutiones, & varia alia infortunia: aliæ verò mutationes eueniunt à Regibus & Principibus, aut Prælatis Ecclesiæ & Religionum, mittentibus suos subditos ad diuersas prouincias, ad varia officia & ministeria in earundem vtilitatem exercenda; aut ob alios sanctos fines: & alię denique veniunt à proprijs propensionibus, ac honestis hominum desiderijs, quibus mouentur ad huiusmodi mutationes: quemadmodum illi, qui ex sua patria exeunt occasione studiorum, militiæ, mercaturæ, & aliorum variorum negotiorum. Quocunque autem modo eueniant, dirigit prouidentia diuina ad effectus admirandos in bonum electorum: qui fiduciam suam in DEO reponentes, tradunt se sanctæ ipsius voluntati, & ordinationi: cui qui resistunt, contrariam tenentes viam, grauissima expetiuntur damna: quemadmodum fusè ostendemus varijs exemplis in Tractatu de Statu religioso: in quo magis splendet prouidentia diuina circa huiusmodi immutationes: & ibidè licebit sæcularibus videre partem, quæ circa huiusmodi mutationes ad ipsos spectat.

2. *Necessitate.*

3. *Missione.*

4. *Voluntate.*

Omnia propter electos.

CAPVT IX.

DEI PROVIDENTIA IN DISTRIBVENDIS diuitijs & paupertate, eiusque per vtrasq; consolatio & perfectio & ratio eam consequendi pro diuitibus & pauperibus.

STVPENDÆ sunt diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ consilia, non solum in distributione *diuitiarum & paupertatis* inter suos electos; sed multò adhuc ampliùs in eisdem ad eundem sanctitatis portum deducendis, *per* diuitias, & paupertatem; quæ sunt tamen inter se adeò diuersæ, & in aliquibus effectibus valdè contrariæ. Nolo hærere in referendis secretis & arcanis Dei in harum sortium distributione, siue illæ per *hæreditatem* habeantur, siue propria *industria*: cùm plurima sint de his in præcedentibus capitibus indicata, & experientia nos doceat: aliquos natos pauperes, etiamsi magnam adhibeant diligentiam, nunquam fieri diuites: quia Sapiens ait: a *opes faciunt sibi pennas quasi Aquilæ, & mira pernicitate volant in cælum*, ita fugiunt ab eis, consilijs illorum, tanquam sal in aqua, per vias de quibus ipsi minimè cogitant, dissolutis. Alijs exigua adhibita indu-

Per contraria ad eundem finem deducit Deus.

Exemplum positum est exemplū Iacob & Laban.

a *Prou.* 23. 5.

Variæ hominum sortes.

strìa diuitiæ affluunt;& vix expanso reti feræ in illud incidunt. Aliqui ex diuitibus parentibus nati, veniunt in magnam paupertatem, & amittunt hereditatem suam: non scientes vnde hæc illis infælicitas. Alij conseruant & augent amplum suum patrimonium, quacunque adhibita industria: quod totum non casu euenit, sed dispositione cælesti. Sed maiorem adfert admirationem, quòd DEVS per vias adeò in specie *repugnantes*: quales sunt *paupertas* cum suis miserijs & calamitatibus; & *diuitiæ* cum suis commoditatibus & solatijs; faciat suos electos sanctos & perfectos. Quis non miretur pauperem illum b *Lazarum vlceribus plenum*, ad quæ *lingenda canes accesserãt*, adeò ab dominibus desertum, vt desideranti vel micas panis, quibus famis suæ subueniret, nullus esset qui daret, etiamsi in conspectum veniret cuiusdam *diuitis, qui epulabatur quotidie splendidè*. Sed pauper hic ascendens per hanc paupertatis viam ad magnam sanctitatem, cùm mortuus esset, portatus fuit ab Angelis ad locum quietis, vbi erat alius, qui in mundo fuerat valdè diues, potens, ac opulentus, Patriarcha scilicet *Abraham*, qui hac via, adeò in exterioribus ab altera diuersa, ascendit ad perfectionem adeò sublimem, vt (quod Sanctus Gregorius perpendit) locus huius quietis acceperit appellationem ab ipso diuite, & vocatus fuerit *sinus Abrahæ*; in quem pauper est ingressus, vt quiete & solatio frueretur. vt diuites hinc suam timeant damnationem, videntes Epulonem illum diuitem, qui non fuit Lazaro compassus: indè verò animentur ad sanctitatem procurandam, aspicientes illam, quam habuit diues *Abraham*, quæ prælata fuit sanctitati pauperis.

b *Luc.* 16. 20. 2. *Lazarus & Abraham eundè portum ingressi.*

Lib. 16. *Moral. c.* 17.

Diues in cælo & in inferno.

§. 1. *Paupertatis sors.*

NEC TAMEN est cur pauperes tristentur, quòd sinus Abrahæ *diuitis requies* sit & *solatium Lazari*: nam in lege Euangelica mutata est & meliorata compellatio nostri solatij, postquam DEI filius, qui est in sinu æterni sui Patris, videns (vt Sanctus Bernhardus ait) *paupertatem* in terra valdè esse abiectam, voluit illam nobilitare, faciendo se ipsum pauperem & mendicum; & suscipiendo miserias Lazari; vt in sinu suo exciperet omnes, qui eius paupertatem æmularentur: quo facto pauperum sors eò plus honoris accepit, quòd glorioſior est imitatio CHRISTI veri DEI, quam *Abrahami* eius serui. Et vt illos magis excitet ad sortem suam iudicandam fælicem, semper ipsei gloriatus in hoc est, quod pauperum causæ faueret, supplens defectum diuitiarum temporalium magna abundantia spiritualium: ideoque suam prædicationem auspicatus est dicens: a *beatos esse pauperes*, modò *spiritu* tales essent; & ex necessitate, vt dicitur, facerent virtutem;

1. *Serm* 1. *in Vigil. Natiuit. Olim sinus Abrahæ, nunc Christi.*

2.

a *Matt.* 5. 3.

& æque

& æquè libenter hanc sortem acceptarent, atque si propria sponte illam elegissent. Et huic paupertati promisit regnum Cælorum: faciens illam instrumentum & medium ad consequendum b *regnum Dei, quod est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto*, cum omnium virtutum thesauris, certoq; pignore, quod præmium sit acceptarus regnum æternum.

Pauperum exaltatio.

b *Rom.* 14. 17.

Et quamuis hæ duæ rationes sufficiant, vt maxima cum voluptate quietis sis & cõtentus cum tua sorte, si sis pauper: audi tamẽ alias duas, quę omninò explebunt sinus tuos lætitia. *Prima* est, vt firmissimè credas; paupertatem non casu aliquo euenisse, sed ordinatione ac voluntate cælestis tui Patris: quam meritò debes omnibus tuis votis ac desiderijs præferre: magnam in eo tuam consolationem ponendo, quòd sis pauper, propterea quòd ille talẽ te esse velit, & sic conformes voluntatẽ tuam cum diuina; in qua (vt dixit Dauid) b *est vita*, honor, solatium, veraque fælicitas temporalis & æterna: & tunc erit verè diues, tùm hanc habueris voluntatẽ adeò diuinæ conformem. Nam (vt S. Gregorius ait) nihil est ditius bona voluntate, cum qua veniunt omnia bona, quæ animas diuites faciunt. Et propterea dixit Sapiens; c *est quasi diues, cum nihil habeat*; quia ita est adeò contentus, atque si plurima haberet. & hæ sunt summæ diuitiæ, iuxtà illud Augustini: *si diues censetur, qui multum auri habet in cista: non erit diues, qui Deum ipsum habet in anima?* & quamuis paupertas euenerit tibi ex malitia Dæmonis aut hostium tuorum, quemadmodum S. Iob; & quamuis sit pœna tuorum peccatorum, semper debes altiorem finem agnoscere diuinæ prouidentiæ: & hanc pœnam amplecti, propterea quòd ipse eam velit, ac statuat: dicens cum eodem S. Iob: d *Dominus dedit Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Satis mihi est, ipsum voluisse, me esse pauperem, vt id ego, & bonum meum iudicem, & sim contentus cum eo.

3. *Paupertas tua Dei voluntas est.*

b *Psal.* 29. 6.

Homil. 5. *in Euangel.*

c *Prou.* 13. 7.

d *Iob* 1. 21.

Ad Hanc ipsam rationem magis corroborandam, aliam subijcies, qua tibi persuadeas, Deum tibi dedisse paupertatem, non propterea solùm, quòd velit, & ita vniuersali totius mundi ordini conueniat, alios esse pauperes, alios diuites in eo: sed nominatim, quod *tibi ipsi* id magis expediat ad tuam salutem; & medium sit quo maiorem in omnibus virtutibus perfectionem consequaris. Altissima enim sua sapientia præuidit, viam & sortem diuitiarum tibi futuram periculosam, propter occasiones incidendi in innumera peccata, quas illa sors frequentes offert. Quare ex *amore*, quo te prosequitur, voluit, te per angustam *paupertatis* semitam deducere quæ tibi erit securior, si lubens effectus eos amplectaris, qui illam comitantur: gaudens scilicet quòd tanquam pauper alteri seruiens, panẽ tuum cum labore tuo lucreris; & reliqua ministeria præstes, ferasque alias mise-

4. *Deus amore tui te fecit pauperem.*

rias, quę pauperes ipsos sequuntur: sic enim paupertatem amplexus est Dominus ille, qui dixit: e *pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*: cùm autem fui e *exaltatus*, statim fui *humiliatus & conturbatus*. Non tamen contra eiusdem prouidentiæ diuinæ ordinem erit, si in bonum & sanctum finem per media licita, & moderatione conueniente, aliqua temporalia bona tibi procures. Sed tunc etiam debes esse contentus & pacatus, quocunque industriæ tuæ exitu; accipiendo illum tanquam signum voluntatis & prouidentiæ Dei, ad maiorem tuam vtilitatem; collocando fiduciam tuam in paterna ipsius Dei prouidentia: qui voluit & constituit, esse aliquos pauperes, vt in eis suauitatem ostenderet, & efficacitatem suæ gubernationis; prospiciędo eorum necessitatibus; & ingentia bona ex eorum miserijs educendo. ô paupertas suprema: quàm te pauperes diligerent, si tuum protectorem, Deum esse agnoscerent, f *Pauper & inops* (ait Dauid) *laudabunt nomen tuum Domine*; nam à molestis curis, quas diuitiæ adferunt, expediti, sentiunt in se & experiuntur Dei prouidentiam, in reparandis ipsorum necessitatibus: & sic laudes multiplicant, & in virtutum feruore crescunt: g *noli timere* (dicebat Tobias filio suo) *pauperem quidē vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deū, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene*. Si magnū aliquem amicum haberes ditissimum, non te affligeret multum, quòd te pauperē cerneres; propter spem magnam, quod is, intelligens tuam paupertatem, tibi subueniret. Si igitur *Deum amicum* habes, cuius sunt omnes mundi diuitiæ, cur te ita angit, quòd sis pauper? nam sine dubio prospiciet tibi, si ita expedit; idque faciet vijs, quas tu minimè cogitas, quemadmodum in priori Tomo diximus, adhibito exemplo duarum pauperum *Ruth & Noëmi*, quod si permiserit, te pati ac premi; nolitamen angi, si illum tecum habeas: nam (vt S. Hieronymus ait) *affatim diues est, qui cum Christo pauper est*. Quòd si dicas, Lazarum obijsse desertū ab hominibus: at propterea protectus fuit ab Angelis: nec vnquam *diues* ille epulo & auarus tantum cordis solatium cum suis omnibus diuitijs, ac delicijs habuit; ac ipse *Lazarus* cum suis vlceribus & miserijs. Et per totam æternitatem sortes illorum erunt ita commutatę, vt diues in æternis tormentis crucietur, pauper verò æternis gaudijs fruatur.

Conandum sed cum resignatione.

Pauperum amicus Deus.

Tract. 2. c. 10. In Regula. c. de Paupertate.

Lazari consolatio æterna.

c *Psal. 87. 16*

f *Psal. 37. 21.*

g *Tob. 4. 23.*

5.

§. 2. *Sors diuitiarum.*

SI DIVITIARVM sors tibi obtigit, quæ magni in mundo fit; sed simul cupis esse perfectus, non debes tuum solatium collocare in maiori honore, vtilitate, aut deliciis, quas hæc sors secum tibi adfert: sed in eo, quod Dominus noster paterna sua prouidentia illam sit tibi largitus; ita vt, si paupertatis sortem dare voluisset, libenter eam fuisses accepturus. Et, si in

futurum

futuram id statuere voluerit, iis paratus voluntatem tuam illius voluntati subijcere; summas diuitias reputando quòd eam habeas sortem, quam Deus tibi dederit, qualiscunque illa fuerit. Quòd si hunc animum ac dispositionem habes, simul etiam credere potes, supremam cælestis tui Patris prouidentiam, voluisse te per hanc sortem & viam diuitiarum deducere: eò quòd præuiderit, eas fore aptum medium tuæ salutis; teque illis vsurum eo modo, quem ipse suggereret, suaque gratia te ad id iuuaret. Et in hunc solum finem gaudere debes, quòd temporales habeas diuitias: vt per eas possis spirituales & æternas comparare: & paratus esse ad eas distribuendas, aut aliter deferendas, quandocunque id opus fuerit ad placendum Deo, & animam tuam saluandam. Et hac ratione illas coniunges cum h *paupertate spiritus*, **erisque** *beatus*; & partem habebis in *regno cælorum*, quod est pauperibus **promissum**. Et quamuis in hac sorte non imiteris corporalé ipsius Saluatoris **pau**pertatem; poteris eam in affectu imitari, attribuens demissè hanc tuam sortem tuę imbecillitati cui annuens ipse Dominus, noluit sortem paupertatis tibi dare, ne fortè damna subires inuitæ paupertatis, quę semper est cupida. Prætereà attendendum tibi est, quòd i *Deus* (vt dixit Iob) *potentes non abiicit, cum & ipse sit potens*: & similiter cùm sit ipse diues, nō abijcit diuites. Et (vt **ait** S. Gregorius) *non est census in crimine sed affectus*: hoc est, non est culpa, bona fortunæ habere, quæ Deus creauit & distribuit; sed culpa est deprauatus affectus, quo illa possidentur: quem si mortifices, & benè diuitijs vtaris, eris Deo ipsi similis, qui æquè sanctus est ac diues: licèt maximæ ipsius diuitiæ sint spirituales, ac cælestes, quibus cupit suos electos ditare. Ex quo prouenit, vt cùm ex prouidentia speciali terrenas eis tribuit diuitias: in eũ id finẽ faciat, vt per eas illi cælestes consequantur: quas par est, in potiori & primo loco ponere, vtpotè maioris valoris & pretij. Illud enim est inter iustos & peccatores, & inter eos, qui saluantur, & qui damnantur, discrimen: quòd peccatoribus dat etiam DEVS temporales diuitias; sed eas illi tanti faciunt, vt spiritualibus & æternis præponant: quemadmodum (vt perpendit Sanctus Bernardus) significauit Patriarcha Isaac cùm Pprophetico spiritu filiis Iacob & Esau benediceret: eisdē enim est verbis vsus, sed inuerso ordine, nam cùm benedixit Iacob, dixit: k *det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*; benedicens autem Esau dixit: *in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua*: qua varietate significauit, DEVM Dominum nostrum, etsi benedicat electis per Iacob significatis, & reprobis per Esau, offerens illis vtrasq; diuitias: at illi non eodem modo benedictionem accipiunt: nam *electi* ita diuinę prouidentiæ ordinem sequuntur vt ab eo non recedant, sed primo loco benedictionem collocent in bonis *cælestibus*, & spiritualibus diuitiis: tanquam additamentum autem temporales accipiunt,

Diues sit resignatus & bene vtatur sua sorte. 2.

Finis diuitiarum.

h *Matt. 5. 3.*

3. *Paupertas spiritus.*

4.

i *Iob. 36. 5.*

Lib. 10. Moral. c. 17. Deus sanctus & diues.

Terrena sunt propter cælestia.

Serm. 3. paruorum.

k *Gen. 27. 28. 39.*

Iusti cælestes, impij terrenas eligunt diuitias.

non magni facientes, quòd multæ illæ sint, aut paucæ: non enim seruiunt Deo, vt has ab illo obtineant; nec ab eius obsequio desistent, propterea quod auferat; nec in eo solatium suum & quietem ponunt, quòd sint diuites; nec illud amittent, aut tristabuntur, quòd sint pauperes: modò placeant Deo, & cælestia dona accipiant: At *reprobi*, sicut Esau, diuinæ prouidentiæ ordinem immutant: ac præcipuè respiciunt bona ipsa *terrena*, non magni facientes cælestia; nec virtutes, nisi quatenus illa apprehendunt tanquã media, vt voti compotes euadant: & sic facilè vtraque amittunt: quia laxant cupiditatibus habenas, & cum morte expirant omnes eorum fælicitates.

5. *Diues sanctus est miraculum.* l *Eccl.* 31.

HINC licet ascendere ad finem altiorem, quem magnus DÆVS noster respicit, cùm statuit aliquos ex suis *electis* esse *diuites*, vt omnipotentiam & immensam Sapientiam suam manifestet; coniungendo vitæ sanctitatem, & virtutum præstantiam cum possessione diuitiarum; & temporales diuitias cum spiritualibus: quòd & rarum est, & valdè admirandũ, vt pulchrè significauit Sapiens, cùm dixit: l *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* quòd est dicere: beatus ille vir est, qui diuitijs abundans, non est maculatus aliquâ culpâ ex eorum occasione: quia verè talis cupiditatem earum coërcuit, & mortificauit: siquidem nec eius cor abijt post aurum, nimium illud amando; nec fiduciam suam magis in eo posuit, quàm si illud non haberet. At quis adeò erit perfectus, vt ad tantam mortificationem perueniat, tantamque felicitatem obtineat? rarum certè erit, vel inter multos diuites vnum talem inuenire: sed qui inuenietur, singulari laude dignus erit: nam à diuina gratia præuentus & adiutus, verè fecit rara & mirabilia in vita sua. Quot verò, & qualia hæc erunt? idem Sapiens *tria* ponit valde præstantia, in quibus suprema diuitum perfectio consistit.

1. *Diuitias possessas contemnere difficile.*

Primùm est, quod vincat vincentem, & triumphantem de mortalibus, non diligendo, nec æstimando aurum, quòd illi adeò diligunt, & tanti faciunt: ex cuius cupiditate, & possessione, multi se eius obsequio subiiciunt, & tanquam Deum suum adorant: & quamuis dicamus, facile esse pecuniam contemnere, cùm non habetur; nec curare diuitias, cùm non possidentur: difficillimum tamen est, eas habere, & contemnere; possidere, & nihili facere: iuxtà illud Apostoli, m *qui emunt tanquam non possidentes sint*: quia quod emunt, affectu quodam possident adeò libero, & ab omni cupiditate expedito, atque si non essent eius Domini.

m 1. *Cor.* 7. 30.

2.

ET hinc *secundum* oritur mirabile, quod est, adeò generosum habere cor, vt non propter diuitias euanescat, nec fiduciam suam magis in eis ponat, quàm si illas non haberet. Neque enim mirum est, quòd pauper sit humilis,

milis, nec exiguis suis facultatibus fidat: rarum tamen est, ac mirum, quòd diues non sit superbus, arrogans, sibique ac diuitijs confidens: ac propterea Apostolus discipulum suum Timotheum monet, dicens: n *diuitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum*; quæ tam sunt inconstantes. Hæc duo mirabilia sunt quasi lapis Lydius ad dignoscendam perfectam diuitis virtutem: de quo mox subijcit Sapiens: o *qui probatus est, & examinatus in* p *conflatorio argenti, & in fornace auri, & perfectus inuentus est. Qui potuit transgredi* legem Dei, *& non est transgressus*; & cùm posset propter diuitias *facere mala*, *non fecit*: sed auxilio diuino adiutus, furiosos cupiditatis suæ impetus retudit, ac vicit. Estq; magnũ signũ, quòd Charitas sit in ipso valde perfecta: nam, vt S. August. dixit: Charitatis perfectio est, omni cupiditate carere. Et quoniã p *nemo potest duobus Dominis seruire, nec Deo & Mammonæ*: qui omninò mammonã & pecuniam contemnit, satis ostendit, se Deum accepisse pro vnico suo Domino.

Diues ferè superbus.
n 1. Tim. 6. 17.

o Eccl 31 10
p Prou. 27. 21.

Lib. 83. qq. q. 36.
p Mat. 6. 24

Et hinc prouenit *tertium* mirabile tanquam effectus reliquorum, cùm scilicet diues non satis sibi esse existimat, diuitijs non abuti, cùm posset sed eisdem vtitur optimè in vtilitatem multorum: dando scilicet liberaliter amicis; mutuando indigentibus, absque spe lucri; & subueniendo ex misericordia pauperibus: adeò se liberalem in hoc ostendendo, *vt eleemosynas illius enarret omnis Ecclesia sanctorum*, laudando eius pietatem, & liberalitatem in eis, & ipsemet Deus illum laudabit, *eritq; illi* ex eo *gloria aterna, & stabiliet* ac confirmabit *bona illius*, & diuitias: eò quòd tam piè & benè eas expendat, ac demùm æternâ gloriâ illum remunerabit.

3.
Diuitiis benè vti paucorum est.

Inter hos diuites adeò excellentes eminent præcipuè aliqui, quos Dominus speciali sua prouidẽtia eligit, vt Officio fungãtur maiorum ipsius Eleemosynariorum, eum in modum, quo Reges & Principes solent *eleemosynarios* suos *maiores* habere, quibus partem aliquam suorum reddituum tradunt in pauperes, iuxtà directionem sibi traditam distribuendam. Ita etiam Rex cælestis habere vult suos eleemosynarios maiores in hoc mundo, quibus ex immenso suo patrimonio magnas confert diuitias, vt ipsius nomine eas pauperibus distribuant: suggeritq; illis speciales inspirationes, quibus adhæc misericordiæ opera præstanda afficiantur, sentientes etiam magnam consolationem & oblectationem, dum ea exercent. Et in eundem finem remouet omnia impedimẽta, quæ esse possent: nam si coniugati sũt, non dat illis proles, aut si dedit, eas aufert, vt sic pauperes faciãt hæredes. Aliis aufert nepotes, in quos ipsorum bona effluebant. Alios coniicit in aliquas angustias, vt earum remedium, profusioribus eleemosynis quærãt. Et q maximũ est, aufert illis nimi ad pecuniã affectũ; faciens, eos in se ipsis experiri veritatẽ illius promissionis: q *date & dabitur vobis*; & illius sentẽtiæ;

4.
Eleemosynarij maiores Dei.

q Luc. 6. 38.

1 Prou. 19. 17. c *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*: quò enim ipsi sunt in faciendis eleemosynis profusiores: eò DEVS est liberalior in largiendis illis pluribus diuitijs. ita vt sanctâ quadã contentione agere videantur cum Deo suo: dantes pro ipsius amore quod habent; & ab eodem plura recipientes. Quemadmodum experti sunt duo insignes eleemosynarij *Tiberius secundus Constantinopolitanus Cæsar, & S. Ioannes Patriarcha Alexandrinus*, qui cùm cogitarent Deum vincere in ijs, quæ ipsius amore pauperibus largiebantur: aduertebant se plane victos à Deo, quòd multò plura acciperent. nec mirum est quòd DEVS in hoc conflictu superior euadat: nam cùm ipsemet sit, qui eleemosynam accipit in paupere, aduertit se quodammodo obligari, vt eleemosynam accipit in paupere, aduertit se quodammodo obligari, vt eleemosynam sibi facienti, multò plura reddat. Et quoniam eum fecit suum eleemosynarium, multa illi dat, quæ ipsius nomine in egenos distribuat.

Torres in sua Philosophia moruli l. 2 c. 12.

Sancti Eleemosynarij.

HINC FIT vt domus & facultates temporales horum diuitum sint instar *hospitalis* cuiusdam, in quo infirmi curantur; *hospitij*, in quo recipiuntur peregrini; *mensæ*, in qua saturantur esurientes; *officinæ* in qua nudi vestiuntur; *thesauri*, ex quo vincti liberantur; *redemptionis* captiuorum; mortuorum *sepulchri*, & animarum defunctorum *solatij*. Et quoniam omnibus benè faciunt, locum habet in illis, quòd Sapiens dixit: f *eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*: quæ autẽ Ecclesia hæc est, nisi *templa*, quæ ædificant & exornant? *monasteria* & *hospitalia*, quæ fundant; *Religiosi*, quos alunt; *Viduæ* & *Orphani*, ac *populi*, quibus prospiciunt; *infirmi*, quos visitant, & quibus teneræ indulgent; *nudi*, quos vestiunt; *esurientes*, quos satiant; & omnes *egeni*, quibus subueniunt: domus enim & fortunæ eorum est quasi *sinus Abrahæ* in terra, vbi omnes pauperes suam inueniunt requiem, quibus excellenti illo modo fauent, quem in primo Tomo posuimus, ex ijs quæ fecerat Booz, erga RVTH in eius calamitatibus.

Diuites pij hospitalia Pauperum.

f *Eccl.* 31. 11.

Tract. 3. c. 12

§. 3. *Timor & Fiducia diuitum.*

NECESSE autem hic est, naui huic diuitum tot diuitijs oneratæ, & prospero earum vsu feliciter nauiganti *saburram* addere: ne in ea nauigatione pereat. Nam fortè propterea Sapiens, cùm diuitis virtutes narraret, dixit: a *quis est hic & laudabimus eum*: significans, valdè paucos esse, qui perfecti euadant, ita vt neque *pauper* cupiat esse diues, tantum sibi tribuens, vt velit vnus esse illorum paucorum; nec *diues* se putet esse tutum, cogitans quod possit esse perfectus: cùm magnæ sint superandæ difficultates, vt talis euadat. quemadmodum dixit ipse Saluator, occasione cuiusdã adolescentis, qui seriùs id reputabat: b *quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnũ Dei intrabunt*! discipulus aũt obstupescẽtibus seueritatẽ illius sententiæ, dixit: c *filioli, quàm difficile est, confidentes in pecunijs in regnum Dei*

a *Eccl.* 31. 8.

b *Luc.* 18. 24

introire!

introire? *facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Consolentur itaque se ipsos *pauperes*, quòd se videant ab his periculis remotos: tremant verò *diuites* quòd se videant in illis immersos. Nam (vt S. Gregorius ait) ex sententia Saluatoris rarissimum est: quòd qui multùm auri possident, ad æternam perueniant requiem.

Quis diues saluus

Lib. 4. Moral. c. 3.

SED NE quis *diffidat*, se posse consequi excellantias prædictas, & per diuitias peruenire in regnum Dei, adiecit Christus Dominus noster. d *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Quod scilicet *natura* efficere non potest, potest mea *gratia*, estq; facilè omnipotentiæ meæ quando illam ego adhibeo. Ego possum efficere, vt camelus transeat facilè per foramen acus, & diues ingrediatur in cœlum per portam valde angustam. Nec sine causa *cameli* meminit, qui (vt idem S. Gregorius aduertit) in aliquo est similis animalibus quæ in lege veteri habebantur immunda: eò quòd e *non diuidat vngulam*, & in aliquo similis est illis, quæ erant munda, eò quòd *ruminet*: sic enim significare voluit, diuitiarum possessionem aliquid habere huius *mundi*, & aliquid de *Deo*, aliquid quo *diuiditur* ab obseruatione legis diuinæ, & aliquid quod *iuuare* potest ad eius obseruationem. Ex altera enim parte talis possessio præbet occasionem multorum *peccatorum*, ex altera verò occasio potest esse magnorum *bonorum*, si operam dederis, vt interior affectus per *vngulam* pedis significatus, non omninò adhærescat bonis terrenis, sed *diuisus* sit, vt partem suam det corpori, & animæ quoque suam: ac simul tanquam animal *ruminans*, mediteris rumines que *pericula*, in quibus versaris, vt ea possis euadere, & *bona*, quæ præstare poteris, vt in eis exercendis sis diligens, & *præmia* quæ consequi poteris: vt ad ea adspires & cõtendas. Quòd si his considerationibus te instar Cameli humiliaueris, ad suscipiendum onus diuinæ legis cum firmo proposito intrandi per angustam eius obseruantiæ portam, etiamsi ad id opus esset exuere omnes diuitias quas habes, magnam poteris fiduciam habere, quod transibis per angustum acus foramen, ac porrò etiam in gloriam introibis. Hoc amplius expositit S. Theodoretus, dicens: quod verbum *Camelus* Græcæ significet *rudentem*, cui nauis anchora est alligata, ob similitudinem, quam habet cum hoc animali, qui per acus foramen transire poterit, si dissoluatur in fila subtilia. Ita diues, qui ob suas diuitias *anchoram* suæ spei in *terra* posuerat, poterit in gloriam intrare, & excellenter consequi perfectionem Christianam, si telam inordinatarum affectionum suarum retexat; diuitiasque suas dissoluat distribuendo eas pauperibus, vt anchoram spei suæ iaciat in *cœlum*, iuxta Saluatoris consilium dicentis: f *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ac proinde, cùm idem Dominus dixit: diuites difficilè intraturos in eadem tabernacula, locutus est

d Mar. 10. 27. Luc. 18. 27.

Camelus animal.

Lib. 1. Mora. c. 13. e Leui. 11. 4.

Diues diuidat vngulam & ruminet.

Apud S. Thom. in Catena super Matth. Camelus rudens nauticus. f Luc. 16. 9.

2.2.q. 18. a. 1. ad 4.

(vt S. Thomas interpretatur) de *superbis & auaris* diuitibus; non de *humilibus & misericordibus*, de quibus intelligitur (vt Sanctus Hieroymus interpretatur,) quod dixit Isaias: g *inundatio Camelorum, dromedarij Madian & Epha venient, aurum & thus* aliaque preciosa dona *deferentes* in Ierusalem: vt offerant DEO, coniungentes auro eleemosynæ thus orationis ac deuotionis: quæ omnem inordinatum cordis affectum ad ipsas diuitias euellit; & conuertit in aptissimum diuini obsequij instrumentum.

g Isa. 60. 6.

CAPVT X.

DEI PROVIDENTIA IN DISTRIBVENDIS propensionibus, ingenijs, ac dotibus ad varias scientias: & qua ratione illæ sint cum virtutibus coniungendæ.

ad Scientias aptitudo.

IN admirandis distributionibus, quas diuina prouidentia fecit *propensionum & talentorum* hominum, valdè eminent illa, quæ illos inclinant, aptosq; reddunt ad *scientias, & artes liberales*: ipsa enim experientia nos docet multis hominibus innasci magnam huiusmodi *propensionem* & applicationem ad studia huiusmodi scientiarum; magnumque *ingenium* naturale ad eas addiscendas: id ita dilponente prouidentia diuina, quòd vtrumque sit ad eas assequendas necessarium: parum siquidem efficeret sola *inclinatio*, si deesset *ingenium*; & hoc ipsum non multum efficeret, si deesset applicatio. Et in vtroq; est sæpè mira quædã varietas: nam quædam ingenia sunt natura sua acuta, subtilia, & ad res nouas inueniẽdas valdè apta: quæ tamen in eadem iudicio non ita sunt resoluta & expedita: alia contrà, in discurrendo sunt tardiora, sed rectè tamen iudicant: alia vtrumque habent, alia in vtroque deficiunt. Alia sunt in suis decretis valdè inconstantia; & facilè mutantur, eò quòd rem non satis penetrent: alia sunt duriora, & in iudiciis propriis magis obstinata, alia sunt docilia, rationique subiecta, vbicunque illa appareat: alia sunt natura sua inquieta, & ad disputandum Sophisticè valdè prompta: eò quòd in omnibus rebus inueniant difficultates, hab eantq; spiritum alijs contradicendi; alia sunt maturiora & quietiora, eò tendentia, vt res implicatas ita euoluant, vt pertingere possint ad veritatem. Et quamuis omnia hæc ingenia diuinæ prouidentiæ subsint, quia sunt natutalia, & naturali constitutioni coniunguntur: non intendit tamen DEVS, vt homines sine fræno sequantur defectus illos naturales;

Mira ingeniorum varietas.

sed

sed vt eis mortificandis proficiant; ac propter defectum, quem habent, sese humilient; & subijciant habenti, quòd ipsis deest: supplentes proprij ingenij defectum industria alieni. Quod si ipsi noluerint præstare: nouerit prouidentia diuina alia commoda ex hoc ipso educere. Quemadmodum enim pugna & contrarietas quatuor Elementorum in quatuor suis primarijs qualitatibus, *calore, & frigore, siccitate & humiditate*, ingētia adfert vniuerso cōmoda: ita ex repugnantia & contrarietate horum ingeniorum solet DEVS ingentes vtilitates educere in Ecclesiæ vniuersalis commodum, & ipsārum scientiarū incrementa: quia hac via magis eruuntur occultæ veritates, & in aptiorē ordinem rediguntur, reiectis inordinatis & confusis. Et quemadmodum inquieta & valdè acuta ingenia excitant, calcarq; addunt tardioribus, & tranquillioribus: ita hæc illorum viuacitatem reprimunt, & moderantur. Nec desunt prouidentiæ diuinæ media, quibus hæc pugna, & ingeniorum contrarietas non cedat in virtutum detrimenta; sicut, cùm de Disputationibus agemus, patebit.

Ingenia se inuicem iuuant.

NEC MINVS admiranda est ipsarum *propensionum* naturalium varietas: cùm enim tot sint ipsæ scientiæ, pro omnibus tamen sunt discipuli, qui cum voluptate in earū studium incumbant; & professores, qui easdem doceant: ne in Repub. deessent viri in omnibus scientijs eminentes: eò quòd valdè essent ipsi Reipub. vtiles. Alij inclinat ad studia variarum *linguarum*, alij *Philosophiæ*, alij *medicinæ*, alii *iuris ciuilis* siue *canonici*, aut *sacræ Theolog.* Et refert plurimū, quemuis permittere sequi bonā suā *inclinationem, talentum*, ingeniū, & applicationem tanquā certa testimonia & pignora diuinæ vocationis: hoc enim modo suauiùs & vtiliùs potest fieri voti compos, eritque in Statu & Officio, ad quod diuina prouidentia illum elegit, valdè excellens in totius communitatis vtilitatem: quia fouebit naturæ talenta aliquibus gratiæ subsidiis. Nā (vt Sapiens dixit: a *Omnis Sapientia est a Deo*, qui eam hominibus distribuit, quamuis maiori liberalitate, diligentibus ipsum. quorum aliquos ab ipsa infantia eligit, vt sic instructi, sint posteà Ecclesiæ lumina, quibus illud competat, quod scriptum est in libro Esther: b *parnus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit.* Quia diuina prouidentia extollit in sua Ecclesia & Religionibus fonticulos aliquos iuuenum ingeniosorum, beneque propensorum, qui per gratiam, quam illis communicat, euadunt in flumina copiosissima, Luces & Soles mundi, plenos copiosis scientiarum & gratiarum cœlestium aquis, in multorum vtilitatem. Et quemadmodum Nabuchodonosor Rex gloriabatur, quod in suo palatio haberet c *pueros decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina* quos iubebat discere literas Chaldaicas, vt posset illorū opera in sua aula vti, & eis conferre gubernationē variarū suarum

Natura sequitur semina quisque sua.

a *Eccl.* 1. 10.

b *Esth.* 10. 6.

c *Dan.* 1. 4.

Academiarum laus.

rum prouinciarum : quemadmodum postea fecit cum Daniele & eius socijs. Ita etiam Christianarum Rerumpubl. capita, diuina inspiratione instituerunt scholas & *Academias*, in quibus similes iuuenes educentur, ac doceantur omne genus scientiarum ac disciplinarum; vt, postquam adoleuerint, sint Magistri, Gubernatores, Iudices, & ad altiora alia officia & ministeria in Reipubl. vtilitatem promoueantur. Sed quoniam neque Pontifices, neque Imperatores possunt illis dare *aptitudinem*, & necessariam *propensionem*: ipsemet Deus eas illis largitur; quibus tanquam duabus alis volantes, deducit eos ad vniuersitates, vbi in scientijs addiscendis facit eos volare.

Deus dat media omnibus.

§. 2. *Quod omnes debeant esse sua sorte contenti.*

HVIC Diuinæ prouidentiæ fundamento inniti præcipuè debet animi pax & tranquillitas tua, siue magnum, siue paruum habeas ingenium & aptitudinem: certò tibi persuadens, Deum dedisse, quod magis tibi expediebat, vt qui optimè sciebat periculum, quod tibi immineret, si aliud habuisses. Si enim sors tibi obtigit *parui* ingenij & aptitudinis ad litteras discendas, consolari te ipsum poteris, attendens, quòd maiora ingenia multaque scientiæ, sæpè sunt magno periculo expositæ, quemadmodum licet videre in primo Angelo, quem Ezechiel a *Cherubim* appellat, quod scientiæ plenitudinem significat: qui cùm esset in medio paradisi, & *inter ignotos lapides*, seraphinos scilicet, ardentes, & diuino amore inflammatos habitaret: ipse superbia sua concreuit in glaciem, & *perdidit sapientiam in decore suo*. Quia complacuit sibi in sua pulchritudine, & ex ea superbijt. Si tu igitur similis esses Lucifero in sapientia, fortè eundem in superbia imitareris, ac proindè pœnam etiam subires, quam ille.

Magna ingenia fere superba.
a *Ezech.* 28 17.

2. *Primi parentes.*
b *Gen* 3. 5.

NON nosti serpentis huius infernalis calliditatem; qui cùm nouit hominis propensionem ad sciendum, si eum videat ingenio & aptitudine exornatum, ibi laqueos & insidias ei struit; quemadmodum *primis parentibus*, quibus dixit: si comederet ex arbore vetita, b *eritis* (inquit) *sicuti Dij, scientes bonum & malum*. cùm igitur Patres tui hac esca fuerint decepti, fortè & tu decipereris: voluit verò Deus non dare tibi, quod hosti tuo fuisset via & occasio ad te perdendum. Sapientissimus fuit *Salomon*, & quidem sapientia à Deo illi liberalissimè communicata: sed non fuisset lapsus in adeò *publicam* libidinem, nisi in *secretam* impegisset superbiam, quæ fortè ex multa sapientia prouenit: nō quidem ipsius scientiæ culpa, sed hominis, qui eam nescit, & iactat se propter illam. Et propterea dixit Apostolus: c *scientia inflat: charitas ædificat*. Et cùm alteram alteri opponit Apostolus, significat, scientiam absque pondere charitatis inflare superbia; cuius tumor est tanquam

3. *Salomon.*

c 1. *Cor.* 8. 1.

hydro-

hydropisis, quia (vt idem Salomõ ait) d *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, & nimiam *occupationem* in plurimis rebus curiosè addiscendis vocauit *pessimam*, eò quòd valdè sit laboriosa & molesta; & occasionem præbeat multorũ peccatorum; quia permittit absq; freno amoris & timoris Dei ab illis se abduci. Nã quemadmodũ scientia his frenis retenta, est quoddã genus armorũ valdè potens ad omnia vitia destruenda: ita quando illi laxantur habenæ conuertitur in arma Sathanæ, ad omnes virtutes labefactandas, & in peccata innumera pertrahendum. Quemadmodum euenit Sapientibus illis, de quibus Apostolus: e *quod euanuerint in cogitationibus suis*: permittente Deo Domino nostro eos propter superbiam labi in grauissima vitia. Vnde igitur nosti, si magnæ scientię sors tibi euenisset, quomodo eam infrœnasses, & continuisses? potes benè vereri, quòd laxasses illi habenas, & tanquam equus effrœnus fuisses cum illa præcipitatus. Quare magna Dei fuit misericordia, qui tales spiritus tibi abstulit, præuidens, te non facilem futurum, vt frœno continereris.

PRAETEREA eiusdem Salomonis sententia est: f *in multa sapientia multam esse indignationem & qui addit scientiam, addere & laborem*: nam accepto scientiæ talento, augetur bonæ vitæ obligatio; ac proinde maior est Dei indignatio, si illa sit praua: g *seruus enim sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis*. Deinde quando scientia est multa, occasionem præbet ad maiora onera & officia, quæ maiores afferunt labores & anxietatem in reddenda bona ratione eorum: à quibus omnibus est expeditus, qui hæc talenta non accepit.

QVOD si molestia aliqua afficitur, propterea quod illis in hac vita careat: maius sentiet leuamen, quando mortis hora veniet. In qua si ad exteriora aspiciamus, verum est quod dixit Ecclesiastes: h *moritur doctus similiter, vt indoctus*. Quòd si *doctus* sine charitate moriatur, quid illi profuit sua doctrina; nisi quod æternam pœnam adaugeat? quid illi proderit magnum doctrinæ nomen in terra reliquisse, si vbi est eius anima, horrendè contẽnitur & torquetur: si autem indoctus & *Idiota* in charitate moriatur: quid nocuit illi scientiæ defectus; qui in cœlo perfectiori scientia replebitur? nam iuxta charitatis mensurã dabitur ibi cognitio, & visio clara Dei: in qua summa scientia consistit. Siquidẽ (vt S. Gregorius ait) *quid non videt, qui Deum videt omnia videntem*? habeas igitur iam hanc patientiam, præsentẽ ferendo defectũ: si enim es iustus, eò peruenies, vt fias valdè sapiens: & quò magis progredieris in charitate, eò etiã magis progredieris in sapiẽtia. Ac propterea dixit Sapiens: i *altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*: si enim hęc noueris, & exequaris, venies in cognitonẽ rerũ altissimarũ, quas desideras.

SED ne existimes omnia tibi reijci in aliam vitam, implebimus etiam

d Eccl. 1. 8, 13.

Superbia doctos præcipitat.

e Rom. 1. 21.

5.

f Eccl. 1. 18.

g Luc. 12. 47. *Cui plus datum, plus exigetur ab eo.*

6.

h Eccl. 2. 16.

Charitas scientia potior.

Lib. 4. Dial. c. 3 & 2. Moral. c. 1. Iustus fit sapiens.

i Eccl. 3. 22.

7.

tibi manus in hac vita alia scientia multò præstantiori, quàm quæ tibi deest. Si enim sis verè humilis tuaque sorte contentus, magnam partem viæ iam peregisti, vt te Deus doceat k *scientiam sanctorum*, quæ est scientia mystica spiritus, donum contemplationis, & familiaris cum ipso tuo creatore consuetudo: quæ sæpè negatur doctis eò quòd sint parum humiles, & eminent in ratiocinationibus, sintque in suis cogitationibus curiosi: contra verò frequentius datur simplicibus, eò quòd sint magis humiles, & minus curiosi: in vtrisque enim locum habet, quod dixit Saluator: l *confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

k *Sap.10.10. Scientia mystica datur humilibus.*

l *Matt.11.25*

Dauid.

NON studuerat Dauid humanioribus disciplinis, quemadmodum Sapientes: & nihilominus propter insignem suam humilitatem, ac sinceritatē, euasit omnibus illis sapientior: & in *scientia Sanctorum*, fuit Salomone filio suo eminentior. Et ita dixit m *quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius*, n *& super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui, & tu Domine* o *occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Hęc omnia assecutus est Dauid, non studendo, sed obediendo: quia non scientiarum studio se tradidit, sed virtutum. Et ipse mundi Saluator, quamuis plenus esset thesauris sapientiæ & scientiæ Dei, eò quòd ita deceret pro gloria vnigeniti eius Filij. Sed tamen per triginta primos annos voluit hanc scientiam ita occultare, vt sapientiæ indicia non daret, nec literas addisceret, aut accederet locum, in quo Sapientes versabantur, idque ad consolationem eorum, quibus hoc talentum denegauit, non sinens eos laborare in eo humiliter occultando, quod sapientibus est difficillimum, quorum appetitus & propensio est sese manifestare: vt enim Poëta ille dixit: *scire tuum nihil est, nisi scire hoc te sciat alter*: melius tibi est alios scire, te non scire; ne habeas vnde inaniter euanescas: habeas verò apud Deum gratiam, quam ipse dat propter humilitatem.

m *Ps.70.15.*
n *Ps.118.99*
o *Psal.50.8*

Ioan.7.15.

Christus Dominus.

Persius.

HINC supremam accipies consolationis rationem, innitentem diuinæ prouidentiæ ordinationi: cuius *voluntas* omnibus huius mundi scientiis est præferenda: & sola illa plus apud te valere debet ad consolationem, quam quilibet ingenij & scientiæ defectus ad tristitiam; sufficit enim, quod Deus ita velit, vt tibi ruditas tua, & ingenij tarditas placeat: quòd si Deus non te adhibuerit ad res magnas ob talenti tui exiguitatem; satis sit, quòd te adhibeat tanquam instrumentum ad id, quod ipse velit, siue magnum sit, siue exiguum: quia in hoc verè consistit sublimitas summa, vt supra est dictum. Præcipuè cum dicat Apostolus: q *per stultos mundi Deum docere Sapientes*: & quasi instrumenta accipere, *vt eos confundat.*

9. *Voluntas Dei sufficientia nostra.*

q *1.Cor.1.20*

HÆ

HAE SVNT summatim rationes, quæ consolari possunt eos, qui ingenio & scientijs carent: quæ eędem instar frœni esse debent, ad eos continendos, qui illis abundant. Qui vt plurimum sua sorte sunt contenti, eò quòd ingenua sit ac generosa, & naturali hominis propensioni conformis: quem efficit Deo & Angelis similem: & quòd rusticitas (vt S. Augustinus dixit) sibi soli prosit; studiosa verò scientia alijs multis vtilis esse possit. Illa enim notitiam & gloriam Dei per mundum effundit, promulgat fidem & Religionem Christianam, quam ab hostibus defendit rationibus; adiuuat ad salutem animarum, quæ posteà condant cœlos. ipsa *Iudices* constituit, qui iustitiam benè administrent; *medicos*, qui & corporibus & animabus medeantur; *gubernatores*, qui conseruent, & augeant bonum Statum Reipubl. tempore pacis, & subsidium ferant tempore belli. Nam (vt Sapiens ait.) r *melior est sapientia fortitudine, & melior est sapientia, quam arma bellica.* Alias multas causas prætereo; eò quòd sint notissimæ, quas habent vt pacati sint & tranquilli, quamnis nulla veriorem ac solidiorem consolationem adferre debeat, quam ipla diuina voluntas, & supremæ ipsius prouidentiæ ordinatio. A qua hæc illis sors obtigit, persuadentibus sibi, & sperantibus, eam sibi datam non ad suam condemnationem, sed ad salutem & perfectionem; & sic eum adiuturum ad præuenienda insinuata pericula. Nam cùm scientia sit donum Dei ac datum adeò glorioſum, & necessarium ad vniuersale Ecclesiæ & Reip. Christianæ bonum: ad ipsius Dei prouidentiam spectat, illudita communicare, vt non minus prosit accipienti; quã alijs, in quorũ vtilitatem datur: nam potiùs eius voluntas est (vt ait Sapiens) s *vt bibat ipse aquam de cisterna sua*, & saturetur hauriens ex ea, quãtum sibi opus est, & posteà deriuentur fontes eius foras, *& in plateis aquas suas dimidat*: adferens scilicet illis vtilitatem absque proprio detrimento.

Laus studiosa scientia.

r *Eccl. 9. 16. 18.*

Scientiæ pericula cauenda.

s *Prou. 5. 15.*

§. 3. *Qua ratione scientiæ cum virtutibus sint coniungendæ.*

EX HOC eodem fundamento posito colligere licèt supremam DEI prouidentiam in exornanda sponsa sua Ecclesia duobus ornamentis & gemmis precioſioribus, quas habet sc. *scientiæ & virtutis.* Ita tamẽ, vt multis *virtutes* cummunicet sine scientijs; quia illæ solæ sufficiunt, ad eos faciendos amicos ipsius, & regni sui hæredes. Nulli tamen, quod in se est, velle *scientias* dare absque virtutibus, sed vtrasque simul: quemadmodum dedit Angelis in cœlo, & primo homini in paradiso. Et quando Salomon petijt donum sapientiæ, simul ei dedit illam, quæ tunc & Sapientem fecit & Sanctum. Sed quoniam illi virtus magis placet, quàm sapientia: vult, eam pluris fieri, & ex instituto quæri, quia his duabus sororibus competit, quod dictum est de duobus

a Gen. 25. 23 & c. 48. 14.

filijs Rebeccæ, a *quod maior seruiat minori*: & quemadmodum, cùm beneciceret Iacob duobus suis nepotibus, dextram manum super natu minorem posuit, præferēdo illum maiori: ita etiam, quamuis scientia & virtus sint Dei filiæ, *scientia* tamen antiquior est, quatenùs intellectus voluntatem præcedit; & cognitio affectum: sed in hac vita meritò seruiet *virtuti*, quæ dextram manum apud Deum occupabit, eritque præcipuus animæ ornatus: & super eam poni debet scientiæ cuiusuis ornamentum. Quemadmodum insinuauit cœlestis sponsus, cùm sponsæ suæ Ecclesiæ dixit: b *murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, aut (vt alia lectio habet) *inaures & monilia aurea tibi fabricabimus, cum minutulis argenteis punctulis*. Quibus verbis præclarè insinuatur coniunctio virtutum, quæ significantur per *monilia* aurea, cum scientijs, quæ significantur per vermiculata illa & minutula argentea *punctula*: sunt enim pulcherrima documēta ex hacre deducenda. *Primum* est, quod virtutes pluris sint æstimandæ, eò quòd sint in se pretiosiores, quemadmodum *aurum* est argento pretiosius: Et ipsæ sint præcipuum spiritus ornamentum, & pretiosissima armaturæ animæ nostræ gemma: maximusque eius thesaurus, de quo dixit CHRISTVS cuidam Episcopo: c *suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias*: Scientiæ verò esse debent tanquam cælaturæ quædam super ipsas virtutes, vt qui illas habet, splendeat magis, ad maiorem eas donantis gloriam.

b Cant. 1. 11.

1. *Virtus auro comparatur*

c Apoc. 3. 18.

2. *Virtutes connexæ.*

Ex QVO fit, vt virtutes sint inter se tanquam ansulæ quædam sibimet innexæ, & consertæ per d *charitatem*, quæ *vinculum* est *perfectionis*: at scientiæ non ita omnes cohærent: potiùs alij alias habent; & eò tendit versio LXX. Interpretum, quæ habet: *faciemus tibi aurea monilia cum distinctionibus siue punctulis argenteis*, in ipso monili sparsis: cuius sensus est: cùm omnium virtutum connexione in Iustis, esse scientiarum distinctionem: quia alij has habent, alij illas.

d Coloss. 3. 14

e

3. *Virtus sit sine modo.*

e Rom. 12. 3.

Ex QVO intelligitur, virtutes debere esse multas; & sine termino, aut limite procurandas: vt quantum possibile erit in eis crescamus, & proficiamus: at scientiæ tot esse non possunt, sed intra certos limites oportet nos continere, & cum ea moderatione, quam suadet Apostolus, cùm ait: *e non plus sapere, quā oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem*. Quam sobrietatem adhibent nominatim & præcipuè quinque virtutes, mutuò se ad id adiuuantes. Quarum fundamentum iacit HVMILITAS duobus actibus præclaris. *Primus* est, quo agnoscas *nihilum*, quod ex te ipso habes: persuadens tibi, omnem virtutem & scientiam euenturam tibi ex primario fonte, qui est Deus sine cuius auxilio & fauore nihil omninò possis. Et hoc significat verbum illud FACIEMVS: non enim dixit facies, aut faciam tibi; sed FACIEMVS, vt ita significetur (quod S. Thomas aduertit) præcipuum huius

Scientia seruiat virtuti

Scientia sit sobria.

1 *Humilitate.*

operis

operis auctorem esse Deum, quem Scriptura Sacra per excellentiam appellat: f *Dominum virtutum*: g *& scientiarum Dominum*, à quo vtræque procedunt Sed non solus totum opus perficit: alios enim etiam adhibet ministros qui sint eius h *coadiutores*; quales sunt *spirituales magistri*, qui in via virtutum nos ducunt; & *Doctores*, qui scientias docent. Et quamuis ipsemet homo industria sua sese ad vtrasque adiuuet; noluit tamen huius cooperationis, quam tu præstare debes, mentionem hic facere; sed ornatûs tantum quem accipies: vt sic solidiùs proficeres in humilitate; & agnosceres, nec virtutem, nec scientiam te habere ex teipso, sed ex Dei feruore, & eorum labore, quos Deus ad te iuuandum, & ducendum constituerit.

SED vlteriùs progreditur vera humilitas, quâ quis agnoscit, quasi nihil esse, quod habeat: ac propterea à seipsum parui facit: nec propter id, quod habet, sese erigit. Et de hoc voluit spiritus diuinus monere nos, cùm dixit cælaturam horum monilium esse ex h *vermiculis argenteis*, quod est Symbolum humilitatis, aut ex minutulis *punctulis* argenti, quæ sunt tres minimæ huius mundi: vt Sapientes intelligant, quod licèt tanquam argentum splêdeant ob magnam scientiam, quâ pollent: si tamen cum Deo eiusque Angelis conferãtur, quasi vermiculi sint; & quidquid habent, quasi nihil: ita vt meritò dicere possint, quod magnus ille Sapiens Salomon: i *stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*: ad quod humilitatis fastigium vbi peruenirent, habebit eorum scientia solidum fundamentum. ita enim suadet Apostolus: k *si quis videtur inter vos Sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens.* Quid est autem fieri stultum, nisi agnoscere, quod quidquid habet, sit quasi nihil; nec propterea magni se facere? & hac via peruenitur ad veram *sapientiam*: quam Sapiens dixit, l *esse, vbi est vera humilitas.*

EXCELSAM hanc virtutem aliæ duæ adiuuant, ac promouent, quæ significantur per *murenulas*, quas S. Gregorius & S. Bernardus *inaures* appellant: aurium scilicet ornamentum. *Prima* est m FIDES, quæ, vt Apostolus ait, *est exauditu*, & n *sperandarum substantia rerũ argumentum* & testimoniũ *non apparentium*, quas nec sensibus experimur, nec naturali o *intellectus* nostri lumine assequimur, sed *eum captiuamus in obsequium Christi*, propriumq; iudicium abnegamus: quia est errorum Magister, & illusionum seminarium. Huic Fidei inniti debent *virtutes*: nam p *iustus* (vt ait Propheta) *in* FIDE *sua viuit*; & similiter *scientia*: scriptum est enim: q *nisi credideritis non intelligetis.* & axioma commune est: *oportet addiscentem credere*: qui enim perito Magistro fidem non adhibet, non euadet bonus discipulus, & eruditus. Et vt S. Bernardus ait: qui se magistrum sui ipsius constituit, & proprium iudicium tanquam ducem suum sequitur, factus est discipulus stultissimi Magistri. Et S. Gregorius: qui, dedignatur discipulus esse hominum, erit Ma-

f *Psal.* 23. 10.
g 1. *Reg.* 2. 3.
h 1. *Cor.* 3. 9.

Omnia à Deo & Magistris.

h *Psal.* 21. 7

Scirre tuum nihil est.

i *Prou.* 30. 2

k 1. *Co.* 3. 18.

l *Prou.* 11. 2.

5.

In Cant. c. 1. *Serm.* 1. *in Cantic.*

m *Rom.* 10. 17.

n *Heb.* 11. 1.

o 2. *Cor.* 10. 5.

p *Heb.* 2. 4.

q *Isaiæ* 7. . . . *iuxtà LXX.*

2 *Fide. Epist.* 27.

Lib. 1. *Dialog.* c. 1.

gister errorum. Ad eandem FIDEM spectat, quod quis propendeat, ad alios audiendos, vt doceatur: nam & scientia intrat per auditum. & propterea Salomon sententias suas exorditus est dicens: r *audiens sapiens, sapientior erit*: qui si erit simul humilis, existimans, exiguum esse, quod nouit: semper audiet libenter, vt plura discat: & paratus erit doceri, vt sapientior fiat. Quemadmodum paratum se dicebat Sanctus Augustinus, cùm senex esset, & Episcopus multorum annorum, à iuuene, & moderno quocunque Episcopo doceri.

r *Prou.* 1. 5.

c. *Si habes.* 24. q. 3. *Vide Ducem spirit. tract.* 4 c. 2.

6.

SECVNDA virtus, quæ intrat etiam per auditum, est OBEDIENTIA, quæ (vt dixit Dauid) s *in auditu auris obedit*, vt exequatur quod DEVS iubet: & significatur (vt ait Sanctus Gregorius) per *murenulas*, siue *maures*, quæ non eo modo aures exornant, sicut reliqua monilia, qualis est torquis aut annulus, qui exteriùs tantùm apponuntur, nec ipsam carnem penetrant: ideoque facilè & apponuntur & remouentur. at *inaures* penetrant carnem facto foramine in ipsis auribus, quamuis cum dolore & effuso sanguine: ac propterea postquam semel sunt infixæ, difficilè remouentur: his enim significatur: perfectam, quæ diuinæ voluntati debetur, obedientiam non debere esse obiter, & (vt Apostol. ait) t *ad oculum tantùm seruientes: sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo*, ita vt sit interna, penetrans ipsam animam, & cor: vt firmissimè eis adhæreat. Qualis fuit Obedientia nostri Saluatoris, qui loquens æterno suo Patri dixit: u *aures autem perfecisti mihi*, aut vt lectio Hebræa habet: *perforasti*. ponens in eis *murenulas* siue *inaures* Obedientiæ adeò perfectæ, vt voluntatem tuam cum summa firmitate & integritate perficiam. Ad cuius imitationem curandæ sunt tibi similis obedientiæ inaures, quæ cordi tuo inuiscerentur, etiamsi mortificatione, tuique ipsius ac iudicij & voluntatis propriæ abnegatione te pungant; etiamsi sanguinem effundere sit opus: vt quod DEVS vult, exequaris: nam virtus & scientia in suo ingressu sanguinem extrahunt. Et hæc Obedientia (vt Sanctus Gregorius ait) est optimum medium, ad consequendam scientiam: iuxtà illud Sapientis; x *Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam*, Deique mandata; *& ille præbebit eam tibi.*

t *Ephes.* 6. 6.

u *Psal.* 39. 7. *Isaiæ* 50. 5.

Virtus & scientia sanguine constant. Lib. 4. *Moral.* c. 28.

x *Eccl.* 1. 33.

7.

OMNES hæ virtutes coniunctam habere debent aliam, quæ vltimam apponit manum perfectioni, & moderationi scientiarum, quæ est CHARITAS, quam præcipuè significat *aurum*, ex quo inaures Obedientiæ fiunt: cuius præstantia in eo consistit, vt (quemadmodum loquitur Scriptura) sit y *obedientia charitatis*, & ita Apostolus, vt paulò antè dicebamus, oppositi scientijs CHARITATEM, dicens: z *scientia inflat: charitas verò ædificat*: insinuans, ædificium, quod soli scientiæ innititur esse instar venti; & in aërem inanem conuerti; & tan-

1. *Charitate.*

y 1. *Pet.* 1. 22.

z 1. *Cor.* 8. 1.

quam

quam fumum euanescere; quia non est aliud talis scientia, quàm vanitas quædam, & superbia. At charitas dat, & ipsi scientiæ, & omnibus virtutibus stabilitatem & firmitatem: quare quod illa ædificat solidum est, plenum, ac diuturnum.

AD QVOD vtitur præcipuè virtute quadam, quam Sanctus Thomas STVDIOSITATEM appellat, cuius munus est, sciendi appetitum ita moderari, vt reliquis studiosis operibus sese accommodet: eum in modum, qui tradetur in vltimo Tomo, in quo agetur de Doctoribus & Magistris.

8. 22. q. 166. & 167. S. *Studiositate.*

CAPVT XI.

OCCVLTAM DEI PROVIDENTIAM elucere in distributione graduum virtutum, & gratiarum ad præclara & prodigiosa facinora efficienda: & charitatem esse super omnia.

TRANSEAMVS iam à naturalibus ad *supernaturalia*, & ab ordinarijs ad *extraordinaria* & prodigiosa: in quibus multò magis eminet suprema Dei nostri prouidentia, a *distribuens gratiæ* suæ dona filijs Ecclesiæ, in quibus Sanctus Apostolus Paulus (vt exponit Sanctus Thomas) *tria* distinxit diuisionum genera, quæ Spiritus Sanctus fidelibus distribuit. *Primum* genus est *gratiarum*, ad res extraordinarias & *prodigiosas*: quales sunt gratiæ miraculorum, & expellendi Dæmones. *Secundum* est *ministeriorum* & officiorum Ecclesiæ, qualis est gubernatio, ac diuini Verbi prædicatio. *Tertium* appellatur *operationum*, ad insignia opera in omni genere rararum & extraordinariarum virtutum: quales sunt gratiæ, singularis abstinentiæ, aut patientiæ: quæ in multis Monachis & Martyribus eluxit. Et sub his continentur plures aliæ, quæ communem & ordinarium stylum excedunt: quarum distributio solius Dei est propria: adeoque occulta, vt nullus humanus intellectus possit eam assequi.

a 1. *Cor.* 12. 4 *In eum locum Lectio.* 1.

Tria genera diuisionū.

QVIS enim nouerit, cur aliquis Sanctorum multa edat miracula, alius pauca, alius nulla? Et cur hic donum habeat Prophetiæ, ille linguarum, alius extases & reuelationes multas, alius eis careat? Et cur aliqui extraordinarijs fauoribus præueniantur, vt ad altissimum sanctitatis gradum ascendant, alii in inferioribus gradibus sistant, alii denique tritam & ordinariam viam teneant? Quod totum non aliam habet

causam,

causam, quàm gratiosam voluntatem ipsiusmet Dei, ac Diuini eius Spiritus
b 1.Cor. 12. 11. b *diuidentis singulis prout vult*. quæ voluntas, vt libera, ita semper est iusta. Cuius arcana insinuauit Sapiens præclaris illis similitudinibus in modum
c Eccl. 33. 7. interrogationum: c *quare dies diem superat & iterum lux lucem, & annus annum à sole*? Cùm tamen vnus idemque Sol omnes illos faciat: quasi diceret: cùm vnus & idem sit Sol, qui luce sua & motu dies oēs & annos faciat: quomodo in eis tantum experimur discrimen? si enim naturalia inspiciamus, alij dies sereni sunt, & calidi; alij obscuri & frigidi: quidam anni sunt fertiles, alij valdè steriles; & mille sunt in hyeme & æstate mutationes. Quod si inspiciamus moralia, alij dies sunt ad laborandum, alij Festi; & horum quidem alij solenniores, alij non ita. Cùm igitur Sol semper sit idem, nec ex se aliud faciat, quàm quod iubet DEVS, satis apparet diuinam sapientiam tantæ huius dierum varietatis causam esse. *Ex ipsis* inquit, *exaltauit, & magnificauit* DEVS, *& ex ipsis posuit in numerum dierum*. quemadmodum apparet in solennitatibus in antiqua lege constitutis; & in eis, quas nunc in lege noua singulis hebdomadis, mensibus & annis celebramus. Quod non procedit ex eo quod alij dies sint meliores in naturalibus: hoc enim nomine æquè bona & apta est Feria sexta atque dies Dominica, neque hæc præstantior est Feria secunda: & tam est bona dies Vigiliæ, quàm Festi & ipsius Paschatis: omnes enim dies vnum & idem habent principium, solem scil. Quæ differentia cùm non aliquo casu euenerit, referenda est ad *sapientiam Dei*, quæ illam ad maiorem suam gloriam direxit, designans certos dies diuino suo cultui dicatos; alios pœnitentiæ operibus; alios laboribus corporalibus. hunc ergò in modū ait Sapiens, licèt oēs homines ex eadem terrena massa sint; & hoc nomine æquales: eos tamen DEVS *in multitudine disciplinæ & sapientiæ suæ separauit, & immutauit vias eorum*, ita vt ad varia exercitia & varios vitæ instituendæ modos sese applicarent. *Et ex ipsis benedixit & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit*: quia gratis eos vocauit & benedictionibus dulcedinis præuenit; præclarissimis suæ gratiæ donis exaltauit; efficiens, vt miraculis editis in mundo splenderent; & excellentibus heroicisq; charitatis & sublimis sanctitatis actibus eosdem sanctificans, etiam ad se applicauit, & conseruauit, ad præclarissima seruitij sui facinora. Ex ipsis quoque alios posuit in statu, rationeque vitæ aliquantò inferiori: quos etiam minoribus gratijs & fauoribus præuenit: aliam verò multitudinem reliquit in statu communi & ordinario hominum, dans illis communia tantùm gratiæ auxilia; desiderās, omnes saluos fieri: quamuis multi eorum culpâ suâ id non assequantur: & propterea *illis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à separatione iustorum*. Et quamuis hæc maledictio & *separatio* sit *iusta* in pœnam peccatorum ipsorum, quemadmodum in sententia

Deus dies discernit, non Sol.

vltimi iudicij id exprimetur: *præuentio* tamen electorum adeò insignis sit, ex mera *gratia*, quâ Deus Dominus noster manifestat misericordiæ suæ magnitudinem: vt in eis glorificetur. quemadmodum sit in diebus, quos ille solennes constituit. Ex quo fit, vt qui ingentibus & extraordinarijs donis est præuentus, non sit cur inaniter superbiat; sed multum habeat, cur se humiliet, & animum gratum ostendat. Et qui ordinarijs tantùm donis est præuentus, nõ est cur queratur, aut anxietur; siquidem ordinaria illâ viâ saluari potest, nisi ipse sibi desit. Et quemadmodum dixit Thomas de Kempis, nihil Domine ita debet eum, qui te diligit, delectare & consolari; atque sanctissima tua voluntas; & pacatus animus ex æterna tua dispositione. Magisque quietus & & contentus cum hoc solo esse debet, quàm cum omnibus alijs beneficijs acceptis & accipiendis. Eoque magis hoc verum est, quòd in hac vita mille sint mutationes: nam quemadmodum Feria secunda fuit hoc anno valdè solenne Festum, sequenti verò erit dies vulgaris & laboriosus; & Feria tertia, quæ hoc anno fuit laboris, sequenti erit Festum solenne: ita euenire potest, vt qui hodiè magna habet dona Dei, cras humilietur & affligatur: & qui hodiè est humiliatus & afflictus, crastina die exaltatum se videat magnis illis donis, quæ alter habebat; vt sic quisque viuat cum humilitate, & cautè tanquam qui à diuina prouidentia omninò dependeat.

Reprobatio iusta, electio gratuita

De Imitat. Christi libro 2, c. 23. Voluntas Dei pax nostra.

Omnium rerum vicissitudo.

Hoc idem clariùs adhuc exprimit secunda Sapientis similitudo: *quare lux lucem superat?* hoc est, cur Sol lunam, & hæc stellas, & vna stella aliam in lumine & claritate superat; aut in loco & magnitudine? certum est enim, hunc excessum originem habere ab æterna Dei sapientia; quæ exnihilo aut ex vna eademque materia hanc fecit stellarum varietatem; ita vt nulla possit reddi ratio huius præeminentiæ naturalis, quam vna habet præ alia. Hunc ergò in modum, electorum, quos Apostolus confert d *cum stellis*, admirandam diuersitatem constituit prouidentia diuina, vocans & specialibus inspirationibus præueniens, quos illa vult esse alijs excellentiores in sanctitate, & gratiæ suæ donis. Quare quosdam facit quasi *soles* in sua Ecclesia, constituens in singulis Ciuitatibus Religionibus, aut familiis præclarum aliquem, qui reliquis adferat splendorem: alios tanquam *Lunas*, qui etsi magni sint, opus tamen habent, vt ab aliis tanquam à solibus dirigantur: alii sunt tanquam *stellæ* firmamenti, qui variis gratiis firmiter & constanter elucent. Et quamuis ipsi in vitæ suæ progressu industria sua laborent, vt ad tantam celsitudinem perueniant: hoc ipsum tamen ab illa speciali electione & vocatione prouenit, quâ Dominus voluit hanc illis gratiam præstare, & copioso adeò auxilio præuenire. Quemadmodum apparuit in Patriarchis, Prophetis, Apostolis aliisque clarissimis sanctis. Et quod maiorem adfert admirationem, est, quod

2. *Diuersitas stellarum à Deo.*

d 1. *Cor.* 15. 41.

Duodecim sunt Horæ diei.

Iansenius refert: ita legi in quibusdam libris.

vnus idemque sanctus diuersis temporibus hanc experiatur varietatem. & vno die sentit se repentè illustratum, & ad magna Dei dona eleuatum: alio verò die videt se in ordinario suo cursu hærentem: cuius rei nulla potest alia causa reddi, quàm occulta Dei ordinatio, & prolixa eiusdem Domini liberalitas. Quare cum magno mysterio Sapiens interrogat, *quare lux lucem superat, & Sol solem?* Nam sol seipsum excellit, & superat, dum lucem suam aliter in diuersis diebus communicat: cuius causa est, quoniam sol iustitiæ facit, quod illi placet, per occultam suam prouidentiam, vt omnes intelligant se ab ea dependere.

§. 1. *Variæ gratiæ in bonum aliorum.*

Gratiæ gratis datæ ad vtilitatem communē.

a 1. Cor. 12. 4 S. Thom. ibid. Lect. 1. *Pro Ecclesia tota.*

VT autem diuitiæ appareant, quas Deus in sapientiæ suæ infinitæ ac prouidentiæ thesauris reconditas habet, indicabimus breuiter harum gratiarum supernaturalium varietatem, ad *duos* ordines eas reducentes. Quasdam quæ præcipuè in vtilitatem nostram conceduntur; alias in aliorum cómodum quas Theologi *gratis datas* appellant, suntque supernaturales quædam facultates à Spiritu sancto ad opera aliqua valdè gloriosa & excellentia concessæ, quarum finem explicuit Apostolus cùm dixit. a *vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* hoc innuens, quòd munus harum gratiarum sit ostendere & manifestare virtutem & sanctitatem Spiritus sancti, non solùm quam in se ipso habet, sed quam ijs imprimit, in quibus habitat. Aliquando enim manifestant veram Fidem & sanctitatem Sponsæ suę Ecclesiæ: & in eum finem concedi solent non iustis modò, sed etiam peccatoribus. Quales illi fuerunt, de quibus dixit Saluator, quòd in nouissimo iudicij die dicturi sint: b *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus nihilominus ipse respondebit: *quia nunquam noui vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem,* ista enim vestra opera in aliorum vtilitatem cesserunt: vos autem nihil de vestra vtilitate egistis. Aliàs eisdem gratijs manifestatur *illius* sanctitas, cui conceduntur. In quem finem non dantur, nisi viris præcellentis virtutis. In vtroque tamen casu dantur *ad vtilitatem,* communé scilicet fidelium, vt confirmentur in fide & virtute: capiantque fructum ex bonis eorum exemplis, in quibus cum tot gratijs sanctitas splendet. Quas gratias Apostolus ad nouem quasi magis præcipuas reuocat, quarum *tres* spectant ad veritates & virtutes Christianæ religionis persuadendas.

b *Matt. 7. 22.*

Pro ipso recipiente.

Nouem earum genera

1. *Sapientia.*

2. *Scientia.*

PRIMA est *sermo* SAPIENTIAE ad res altissimas & occultissimas diuinorum mysteriorum docendas & explicandas. *Deinde sermo* & gratia SCIENTIAE ad magnalia Dei persuadenda, quæ ex creatu-

risip-

ris ipsis deducuntur tanquam operibus manuum ipsius. *Tertia* est *gratia* Fidei ad articulos & veritates ordinarias persuadendas, quæ omnibus vniuersim proponuntur. Hæ itaque *tres* gratiæ *intellectum* illustrant eas recipientis, tantis cælestibus splendoribus, vt is possit, quod in se sentit & assequitur, alijs ita proponere, vt & illi intelligant; &, quomodo eis conuenit, etiam sentiant. Sed quoniam huiusmodi res adeò sunt excelsæ & à nostris sensibus & ratiocinationibus eleuatæ, vt non possint sufficienter rationibus humanis confirmari, addit Spiritus sanctus ad eas confirmandas *quatuor* alias gratias, quæ instar sigilli regii, ipsius diuinitatis sint à qua procedunt; & tanquam certissima testimonia, quòd Spiritus sanctus auctor sit veritatis & sanctitatis illius, quam illæ confirmant. *Gratia* Sanitatvm fidem confirmat, dum ægrotos modo quodam prodigioso restituit sanitati; & beneficium hac ratione illis confert. *Operatio* Virtvtvm siue miraculorum eandem confirmat, dum ea prodigia efficit, quæ mundum faciunt obstupescere. *Gratia* Prophetiæ: quia aperit & certissimè reuelat futura: quamuis à libero arbitrio dependeant. hoc enim; vt Isaias dixit, Dei proprium est: *annunciate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis.* Gratia Discretionis *spirituum* aperit arcana, quæ in hominis corde geruntur: quod æquè proprium est Dei atque nosse futura. Quæ quatuor gratiæ etiam habent hũc vsum, vt aliquas fidelium necessitates reficiant: quando in terra alia remedia desunt; quia per eas manifestat Devs Omnipotentiam suam, defectum supplens naturæ. Denique addit Spiritus sanctus *duas* alias gratias, ad obices remouendos manifestationis & persuasionis harum veritatum & virtutum.

3. *Fides.*

4. *Sanitas.*

5. *Miracula.*

6. *Prophetiæ.* c *Isaiæ.* 42. 23.

7. *Discretio.*

Qvorvm vnus erat ignoratio diuersarum linguarum, qui remouetur per donum Lingvarvm: vt ab omnibus intelligi possit, qui loquitur. Alter erat obscuritas sacrarum Scripturarum: qui remouetur dono Interpretationis *sermonum* & declarationis rerum obscurarum, quas Deus reuelat hominibus, vel in somniis, vel mille aliis viis.

8. *Lingua.*

9. *Interpretatio.*

Ex his infert S. Apostolus diuisionem, quam facit Spiritus sanctus ministeriorum Ecclesiæ. quosdam enim, ait, posuit Deus in Ecclesia, d *primùm* Apostolos, *secundo* Prophetas, *tertio* Doctores, *deinde* Virtvtes, *exinde gratias* Cvrationvm, & alias de quibus diximus. & concludit: *diuidens singulis prout vult*, ita vt nec omnes det singulis, nec ordinariè omnes vni, sed has illis, illas alijs tribuit; non ob illorũ merita, sed ob suã solã voluntatem. Ex qua prouenit, vt eas alicui sancto tribuat, aliis non tribuat; & interdum dat illas minus perfectis, præueniens suos electos (vt paulò pòst dicemus) cum tanta humilitate, & Spiritus S. plenitudine, vt possint eis in proximorum vtilitatem vti, absq proprio eorum damno: quemadmodum

d 1. *Cor.* 12. 28.

c *Act.6.58.* Sanctus Lucas præmittit Sanctum Stephanum fuisse, e *Spiritu sancto plenum*, & fide, & gratia: & statim subiungit: *faciebat signa magna in populo.*

§. 2. *Charitas, & varia eius opera.*

NE VERÒ quisquam animum abijciat, si huiusmodi gratijs gratis datis se videat destitutum, referemus eas, quæ in nostram cedunt vtilitatem, quas Apostolus appellat OPERATIONES. suntque multò excellentiores, quemadmodum ipse Apostolus declarat, dicens postquam alias retulerat: a *æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* CHARITATEM scilicet & opera, quæ ab ea promanant. Et vt hoc confirmet ponit admirabiles proprietates, quibus illas superat.

a 1.*Cor.*12. 31. *S.Thm.ibi.*

I.

PRIMA est, quod sit tanquam *anima*, vita, & perfectio reliquarum gratiarum, sine qua nihil valent ad meritum vitæ æternæ. b *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & angelorum, charitatem autem no habeam, factus sum velut æs sonans: aut cymbalum tinniens.* cuius sonus non est viua vox, sed quasi mortua, quæ licet alios excitet, impellatque ad faciendum, quod sonus indicat: ipsa verò non mouetur loco: ita vox mea & prædicatio mea non erit mihi operatio vitæ, aut meritum vllum. Et quamuis peccatores excitem, & ad pœnitentiam permoueam, iustosque animem, & ad sancta opera impellam: at ego vacuus maneo vita spirituali, nullumque in ea progressum facio. *Et si habuero Prophetiam*; vt futura prædicam, *& nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:* & omnia hæc mihi reputo tanquam *nihil.* siquidem cum illis omnibus sine hac, in peccato maneo: peccatum autem est nihil, imò minus quam nihil.

b 1.*Cor.*13.1

Charitas anima gratiarum.

ET, quamuis hæc dona in se sint aliquid, si tamen cum eo, quod charitas dat conferantur, sunt tanquam nihil; & sine ea tanquam corpus sine anima & ficus cum foliis, sine fructibus. Loquuntur quidem illa, & garriunt; sed nihil eorum faciunt, quæ dicunt. non transferunt montem cordis terreni, nec illud de malo in bonum mutant: nec ex terra eleuabuntin cælum, quod totum sola CHARITAS præstat: per quam homo desinit esse nihil, & ex filio tenebrarum efficitur filius lucis; & ex reo & ad infernum damnato, hæres Paradisi. Charitas sola (ait Sanctus Augustinus) discernit filios Dei à filijs Dæmonis: & S. Gregorius; vera virtus consistit in amore, non in miraculis. Nam noster Saluator non dixit: c *in hoc cognoscent quod discipuli mei discipuli*, si magna prodigia feceritis; *sed si dilexeritis ad inuicem.*

Tract 5. in Epist. S. Ioannis. *Lib.20 Moral.c.9.* c *Ioan.13.35.*

SED pergit vlteriùs Apostolus, charitatem extollere: *si distribuero*, in-

quit,

quit: *in cibos pauperum omnes facultates meas*, & alia bona quæcunque proximis meis præstitero: *& si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil* MIH *prodest*, etiam si aliis prosit dum illorum necessitatibus subuenio: sed nullus mihi fructus prouenit, ad cœlum promerendum: quia hæreo in peccato: etsi enim corpus ardeat, cor tamen alget: ideoq; oblatio mea non placet Deo. Charitas, inquit S. Augustinus est quę discernit inter opera, quæ exteriùs apparent excellentia: quæ si fiant ex vanitate, vt placeãt hominibus, inania sunt & vitiosa: si autem à charitate procedunt, sunt sancta & perfecta. Charitas est, quæ, cùm pauperi das eleemosynam, offert Deo cor ipsum: illa animum sanctis affectibus inflammat, etiamsi corpus tormentorum flammis ardeat.

Charitas sola prodest possessori. Tract. 7. in Epist. 1. S. oan.

2.

HINC *secunda* eius oritur excellentia super reliquas gratias: quia CHARITAS est principium omnium operum sanctorum & perfectorum; mors vetò & interitus omnium vitiorum. d CHARITAS, inquit idem Apostolus, *patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Nam, vt S. Thomas ostendit, omnes virtutes secũ ducit colligatas, & tanquam regina omnibus imperat; omnesque in suis actibus efficiendis, ei parent. Reliquæ autem gratiæ prædictæ nihil horum per seipsas habent; nec hominem faciunt studiosum, patientem, & benignum; nec illi auferunt ambitionem, & superbiam, nisi hoc præstet CHARITAS. Quæ admirabili quodam modo facit in suam vtilitatem, quod reliquæ faciunt in vtilitatem aliorum. CHARITAS habet proprium donum *linguarum*, non carnis, sed ignis; non linguarum solùm hominum, sed angelorum, quibus, vt idem Apostolus ait, e *loquitur* intus *in corde cum Deo suo in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cum gratiarum actione*, alijsque teneerrimis affectibus & quando cum proximis loquitur, mouet etiã linguam, vt inflammata verba loquatur. Et, cum sit vna, loquitur omnium linguis: eò quòd Spiritus S. eam regat, vt sese omnium necessitatibus accommodet. CHARITAS habet etiam suum donum *sapientiæ & scientiæ* ad mysteria diuina penetranda: cui enim ea Deus manifestat, nisi suis amicis? Qui autem sunt *eius amici, nisi qui habent charitatem?* g *Qui timetis Deum*, ait Sapiens, *dil. gite illum: & illuminabuntur corda vestra*, vt amplius eius magnalia cognoscatis. Nam quò ardentius Deum dilexerimus: eò, ait S. Augustinus, certiùs eum videbimus. Nec vllum bonum potest perfectè cognosci, nisi perfectè ametur. Amor (ait Hugo de S. Victore) ascendit super scientiam, & maior est, quàm intelligentia, & ingreditur ad occulta Dei: scientia exterius remanente. quia habet maiorem fiduciam sensumq; magis perspicacem ad penetrandum oculis con-

2.2.q.65. a. 3 ex S. Aug. serm. 46. de tempore.

d 1. Cor. 13. 4 Charitas fons virtutum.

e Ephes. 5. 19 Colos. 3. 16. Charitas sibi dona applicat.

f Ioan. 15. 15. Eccl. 2. 10. Lib. 8. de Trin. c. pen. lib. 8. qq. q. 37. super c. 7. Angelica Hierarchia, vide S. Bonauent. opus de 7 itinerar. in. 4

templationis, quod est magis occultum. CHARITAS etiam habet secum gratiam faciendi *miracula*, non tam corporalia, quàm spiritualia: impellendo ad opera prodigiosa, quæ homines admirantur, & videntur impossibilia, & incredibilia iis, qui non diligunt. Immutat, ait S. Chrysostomus, rerum naturas, & ordinem, quem in mundo videmus. Mundus enim magni facit divitias; CHARITAS autem illas contemnit: Mundus quærit honores & dignitates, CHARITAS illas fugit: Mundus quietem desiderat, & prosperis delectatur; CHARITAS autem laborem potiùs quærit, & exultat in aduersis. Mundus sanitatem amat, & vitam longiorem: CHARITAS amplectitur infirmitatem, & non timet mortem; offertque vitam suam & sanguinem pro iis, quos diligit. Hæc sunt miracula CHARITATIS, quibus fidei veritas & religionis nostræ excellentia confirmatur, & resplendet gloria Iesu Christi in toto mundo. Ne quæras, inquit S. hic Doctor, quòd miracula facias, aut mortuos suscites: nam si vita nostra talis esset, qualem postulat Euangelium; potiùs admirarentur gentiles, mores nostros; quàm eos, qui miracula edunt. Recordare, quòd quando S. Apostolus dixit *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: non illis prodigia narrauit, sed CHARITATEM, & eius opera proposuit: hæc maxima miracula sunt, hæc signa eximia, per quę valdè illustres erimus coram Deo, & Angelis eius.

Homil. 32. in 1. Corinth.

Sanctitas magnum miraculum.

Homil. 33. in Matt. prope finem.

3.

His accedit *tertia* CHARITATIS excellentia super reliquas gratias, quod scilicet sit *perpetua*: nam quemadmodum anima rationalis, etiam corpore pereunte, non perit; ita ait Apostolus, h CHARITAS *nunquam excidit*, prophetiæ euacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur: quod attinet ad imperfectionem, quam habet: nam hic omnis nostra scientia, & locutio nostra est tanquã infantiũ, qui nihil sciunt nisi veluti literas coniungere, & balbutire, qui cùm sunt adulti & viri, euacuant quæ erant parvuli: ita scientiæ huius vitæ sunt obscuritatis plenæ, & alijs multis imperfectionibus, quæ in ipso gloriæ aditu exuuntur: in qua videtur Deus, non per speculum, nec in ænigmate & nebula, sed facię ad faciem, cum summa claritate & euidentia. At CHARITAS, quæ in hac vita incipit, non finitur in morte; sed durat in æternum, ibique fortiùs eum Dominum diligit, quẽ maiori diligit charitate. *Tenete, fratres,* (ait S. Augustinus) *potius dilectionem Dei, vt quomodo Deus est æternus, sic & vos maneatis in æternum: quia talis est quisque, qualis eius dilectio est.* Terram diligis, terra eris: Deũ diligis: quid dicam, Deus eris? non audeo dicere ex me, scripturas audiamus: i *ego dixi Dii estis & filii altissimi omnes.* Quod si amor te facit Deum per participationem etiam proprietates Dei dabit cum æternitate, quam ipse habet. Si amas, eris sapiens, sicut Deus, Sanctus, sicut Deus; potens, & æternus, sicut Deus: si cum amaueris, qui semper est speciosus, eris & tu speciosus cum illo, & quò

h 1. Cor. 13. 8

Scientia perit, charitas æterna est.

Tract. 2. in Epist. 1. S. Ioan. ad finem.

i Psal. 81. 6.

Tract. 9.

amplius

amplius amor in te crescit, eò magis crescit pulchritudo: quia charitas est pulchritudo animæ tuæ, & participatione pulchritudinis Dei, & vt semel dicatur; quicquid de charitate dici potest, hoc sufficit, quòd *Deus* CHARITAS *est*. Breuis laus, & magna laus: breuis in sermone & magna in intellectu: k *Deus* CHARITAS *est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in illo.* Sit tibi domus Deus, esto domus Dei: mane in Deo, & manet in te Deus. Maneat in te Deus, ne pereas: maneas in Deo, ne cadas. Si tecũ habeas charitatem, habes & DEVM, & cum eo bona omnia: siquidem eius CHARITAS est fons omnium bonorum. O CHARITAS gratia gratiarum, virtutum regina, operum Sanctorum principium, radix meritorum, fons saliens in vitam æternam, ad quam deducis animam, & in DEVM transformas, faciens eam vnum spiritum cum Deo. O Deus qui es CHARITAS, communita reliquas gratias pro libitu cui volueris, mihi hãc prẹsta cẹteris maiorem, vt perpetuò te diligam cum perfecta charitate.

Tract. 8. ad finem. & Tract. 9. in principio.

k 1. Ioan. 4. 16.

Amor facit esse Deum.

INPONAMVS finem prædictis de infinita diuinæ prouidentiæ liberalitate in distributione suarum gratiarum: quæ, cùm decreuerit reliquas gratias nõ omnibus fidelibus dare, etiamsi eas cupiant, & habere contendant; nisi paucis, & eas non quærentibus: hanc tamen supremam gratiam CHARITATIS omnibus, eam volentibus, & ad eam recipiendam se disponentibus, liberaliter offert, nemine excepto; nec limite aut termino augmenti, & perfectionis eius apposito quam diu vitâ superstes erit. CHARITAS, ait S. Augustinus, nascitur, vt crescat; & crescendo perficiatur bonis operibus: Et, si perfecta sit, quid dicit? l *Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ: cupio dissolui & esse cum Christo*: vt illo fruar, & simul fructibus CHARITATIS in æternum, Amen.

Charitas omnibus, gratia paucis offeruntur.

Tract. 5. l Phil. 1. 21.

CAPVT XII.

DEVM DOMINVM NOSTRVM DISTRIBRVERE suas vocationes ad extraordinarios sanctitatis modos: & quod genus personarum ad eos eligat.

DVo magis propria, & magis insignia CHARITATIS opera, in quibus substantialis vitæ Christianæ perfectio consistit, sunt AMOR DEI & PROXIMI: ex quibus *duæ* illæ vitæ procedunt, quas Sancti Contemplatiuam, & Actiuam appellant, quæ, vt S. Thomas ait, consistunt in operibus, & dicuntur *vitæ*: quia sunt opera viua CHARITATIS. Opera vitæ Contemplatiuæ oriuntur ex amore Dei; Actiuæ verò ex amore proximi: & sunt præcipua materia diuisionis, quam vocat Sanctus Apostolus *operationum*, quas SPIRITVS SANCTVS per-

2. 2. q. 179

specia-

Ipeciales vocationes *duplici* via distribuit. *Altera* est ordinaria in exercitijs &operibus, omnibus Christianis communibus, cum vocationibus, de quibus in primo tomo est actū: quāuis etiā in eis deprehendere possis diuisionem & distributionem, cum admiranda eius prouidentia, qua quosdam vocat ad officia vitæ actiuæ, & opera misericordiæ corporalia, aut spiritualia: alios verò ad opera vitæ contemplatiuæ orationis vocalis, aut mentalis sequētes leges omnes communes & ordinarias gratiæ, de quibus hactenùs diximus. At magnus Deus noster non vult, prouidentiam suam forti adeò vinculo his legibus alligare, quin aliquando eligat & fideles vocet ex sola sua misericordia, vt modos aliquos vitæ sequantur nouos, singulares, & *extraordinarios*, tam quoad interiora orationis & contemplationis dona; quàm ad externa vitæ actiuæ opera: vt sic nobis *gratiæ* suæ efficacitatem, *sapientiæ* sublimitatem, & *omnipotentiæ* magnitudinem ostenderet: & nos impelleret ad faciendum cum feruore res communes & ordinarias, saltem propter exemplum, quod nobis præbent illi, qui res adeò arduas & extraordinarias præstant. In hunc finem elegit, & vocauit magnum *Baptistam* ad modum quendam vitæ adeò excellentem, supra communem aliorum hominum, quæ, vt S. Chrysostomus perpendit, tanquam prodigium sufficeret, ad eos conuertendos, & reddendos perfectos. & vt ostenderet, sibi eū vitæ modum non displicere, quòd esset rarus, & prodigiosus, *ipsemet* voluit eum exercere quadraginta dierum spatio post Baptismum. singulare præbent exemplū abstinentiæ, orationis, & separationis Anachoretis, qui posteà illum erant imitaturi in modis vitæ adeò prodigiosis, vt sine vocatione & speciali Dei motione non fuisset licitum, nec possibile in eis progredi. Quis non admiretur vocationes duorum illorum insignium Simionum Stylitæ & Sali: quorum prior per multos annos mansit super editam columnam, cum modo vitæ adeò stupendo, vt non homo, sed purus spiritus esse videretur: alter verò res faciebat adeò ab humano iudicio aberrantes, vt ab omnibus stultus haberetur. Sed in vtroque tamē deprehensus est diuinus Spiritus, eos mouens ob ingentia prodigia, quæ faciebant, & fructum magnum peccatorum, quos conuertebant: quia Deus nimietates illas & stultitias tanquam instrumentum accipiebat suæ omnipotentiæ, ad res prodigiosas in vtilitatem multorum edendas. Quid autem dicimus de gloriosissimi S. Francisci excessibus, eiusque prodigiosis vulneribus; in quibus fuit electus tanquam Sol, vt hac singularitate nunquam in mundo visa resplenderet? Quid de vita S. Catharinę Senensis, quæ quasi tota fuit noua, rara, & singularis cum totius Ecclesiæ stupore? Nec est cur multis exemplis adducendis rem protrahamus, cùm Sanctorum vitæ exemplis abundent.

Extraordinarii excitant ordinarios.

Hom. 20. in Mat. S. Th. 3. p. q. 40. a. 2. ad 1.

Anachoretarum gratia specialis.

Duo admirandi Simeones.

S. Franciscus.

S. Catharina Senensis.

§. 1. *Qua ratione extraordinarias vocationes communicentur.*

CIRCA has adeò glorioſas vocationes & extraordinarias, quædam magni momenti ſunt aduertenda. *Primum* ſit, quod quando à diuino Spiritu proueniunt, ſemper tendunt ad raram & ſingularem ſanctitatem efficiendam: quam interdum ſecum adferunt, communicantes valdè excellenter virtutes internas, & obſeruantiam diuinorum præceptorum & conſiliorum; humilitatem, & patientiam in calamitatibus. Semper enim externa Dei dona præſupponunt interna, vt a *gloria filiæ Regis*, quæ reſplendet *in fimbriis* eius *veſtis*, oriatur ex tanta interiori eius pulchritudine, quanta eſſe debet elegantia ſplendoris externi. Et in hoc differt vocatio & inſpiratio Dei à ſuggeſtione Dæmonis: quando impellunt ad eiuſmodi res, quæ videntur admirandæ. Nam Dei Spiritus ſemper incipit ab interno ſpiritu, replendo illum præclaris donis: & inde prodeunt exteriùs, vt, ad prædictos iã fines, videantur ab hominibus. *Primum* enim b *abſconditur ignis in* animæ *ſinu*, & inde prodit, vt eius *veſtimenta ardeant*; faciantque corpus ipſum lucere. Primum ponitur quaſi c *ſignaculum in corde*, cui cæleſtium virtutum figuram imprimit; & poſteà etiam vt *ſignaculum ſuper brachium*, ſingularem tribuẽs fortitudinem ad heroica opera externa. At Spiritus Dæmonis totũ ſuum ſtudium ponit in rebus externis, contemnens reformationẽ Spiritus, & veras virtutes internas. Efficit, vt corpus reſplendeat ſpecie magni feruoris, intus autem in ſinu animæ non alius ardet ignis, quam cupiditatum. Ponit *ſuper brachium ſignaculum Chriſti*, & ſigna vulnerum ipſius: at ſuper cor ſignaculũ ponit mundi & imaginũ vitiorum & vanitatum eius. Quare cùm hæc ſigna externa cũ tanta ſpecie ſanctitatis aſpicimus, nec *improbare* debemus, eò quòd ſint noua & ſingularia; nec ſtatim *approbare*, eò quòd ſint ſplendentia & admiranda: ſed cum diſcretione examinanda eſt radix & Spiritus interior, à quo procedunt; & ſubſtantialis *virtus*, cui innituntur illa, quæ ſunt à Deo; aut eius *defectus*, qui comitatur illa, quæ ſunt à Dæmone.

Nam cum Deus adeò ſit ſapiens, eius d *ædificium ſemper fundatur ſuper firmam petram*; Dæmonis verò ſuper *arenam* mobilem. *Illud* fundatur in perfecta imitatione Chriſti, & verò contemptu rerum omnium temporalium, deliciarum, honorum & pomparum huius mundi: *hic* verò ſemper miſcet mutabilem arenam rerum terrenarum, & propriorum conſiliorum. Quod ſi eo peruenerit, vt adeò ſublimis ac prodigioſus ſit atque ſtatua *Nabuchodonoſor*, tentatio quæ ſemper in promptu eſt, eam proiiciet in terram, & manifeſtabit non fuiſſe veram ſanctitatem, ſed apparentem; nec virtutem fuiſſe ſolidam, ſed vacuam & inanem, aut ſtatuam, & vmbram eius. At illa, quæ

1.

a *Pſal.* 44. 14.

Deus ab intus.

b *Prou.* 6 27

c *Cant.* 8. 6.

Dæmon deforis incipit.

Omnia probate.

d *Mat.* 7. 24

Tentatio probat opus externum.

quæ est Dei, firma est : & tentatio manifestat eius veritatem, & præstantiam.

2. *Extraordinarijs exterioribus fere iunguntur exteriora.*

HINC prouenit, quòd vocationi diuinæ ad res extraordinarias *exteriores*, communiter sunt coniunctæ, aliæ, ad res *interiores* etiam extraordinarias, in familiaritate cum Deo, per orationem & contemplationem, cum variis rerum cœlestium illustrationibus ; aut per interna colloquia aut per spectabiles figuras, aut imagines menti impressas, aut per abundantiam lucis valde sublimis, quæ intellectum illustrat ; aut per donum Prophetiæ aut per alias reuelationes, & varios extraordinarios modos, quibus solet Deus cum suis electis agere. Et quando hæc remanent in occulto cordis, sunt minus periculosa, & minorem adferunt vanitatis occasionem : quàm cùm externa signa edunt raptuum, suspensionum, eleuationum corporis; & res alias admirandas, quæ prodeunt ex vi interna Spiritus, easque Dominus noster accipit tanquam media ad hominem eleuandum ad extraordinariam sanctitatem : Quæ ratò inuenitur absque aliquibus huiusmodi fauoribus propter vim, & efficacitatem ad eam promouendam : quemadmodum aduertere licet fere in omnium Sanctorum vitis quæ ferè sunt huiusmodi rebus prodigiosis respersæ, quibus ad sanctitatis celsitudinem, quam habebant peruenerunt. Hinc processit *fides* illa adeò certa, qua diuina mysteria ita credebant atque si suis oculis cernerent; & *spes* adeò secura, qua promissa diuina ita sperabant, quasi iam illa possiderent; & fiducia adeò firma in *oratione* vt, quod alias erat ex mera gratia, adeò constanter & firmiter peterent, atque si ex iustitia ipsis deberetur; *obedientia* adeò prompta in rebus difficillimis, & acerbis, atque si facillimæ essent, ac iucundæ; *patientia* adeò inuicta, vt magno animo labores tolerarent, qui essent supra ipsorum vires; *misericordia* adeò effusa & compatiens, vt, ad subueniendum proximorum necessitatibus, darent quæcunq; haberent; *zelus* animarū adeò feruens vt nullis laboribus & fatigationibus parcerent, vsque ad sanguinis pro eis effusionem, denique *amor Dei* sui adeò inflammatus : vt, quò ipsi placerent, seipsos omnibus subijcerent; ne verò offenderent, sed pro eius honore decertarēt, horrendis cruciatibus & Martyrio sese offerrent. Conijce oculos in Sanctos Veteris & Noui Testamenti, & varia huius argumenti inuenies exempla.

Virtutes extraordinariæ.

3. *Sancti V.T. Abraham Iacob.*

HAC via tantoperè creuit primus Pater Credentium *Abraham* eiusque nepos *Iacob*, quibus Deus singulari & inusitata familiaritate loquebatur & in varijs figuris sese ostendebat, arcana sua illis manifestans qua ratione eos ad heroicos obedientiæ, patientiæ & longanimitatis actus exercendos, extimulabat. Cuius commodum testimonium est id quod ipsi Abraham dixit, cùm statuisset vastare Sodomam c *Num* (ait) *celare potero Abraham, quæ gesturus sum : cum futurus sit in gentem magnam, & præcepturus sit filijs suis, & do-*

c Gen. 18. 17

mui

mui suæ post se, vt custodiant vitam Domini. quasi hoc dixerit, reuelo illi arcana mea, tantisque fauoribus eum prosequor, quia eum elegi, ad præclarissima opera, in vtilitatem multorum. Eadem ratione incepit *Moyses*; quia f *Deus illi apparuit in flamma ignis, de medio rubi*, & alias etiam *loquebatur ad Moysen, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: & speciali vocatione vocauit eum, vt in montē ascenderet, vbi apparuit illi, cum extraordinaria luce cœlesti. Hoc autem totum erat necessarium, vt eum ad grauissimos labores subeundos animaret; quos in educendo populo eius ex Aegypto, & eodem in deserto gubernando, tolerauit.

Moyses.
f Exod. 3. 2. & c. 33. 11.

ET vt intelligeretur, hæc Dei studia non solùm erga ipsum Moysem ostendi, voluit, vt simul g *ascenderet Aaron & filii eius*; *& septuaginta de senioribus Israel, & viderent eādem Domini gloriam*, & thronum & stratum *sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini*, qui lapis est preciosus & coloris *cœli* stellati: ad significandū, quod homines, qui ex seipsis sunt terra, & quemadmodum Israelitæ, opprimuntur in conficiendis ex luto lateribus, facilè per diuinam gratiam eleuabuntur ad cœlestem quandam ac diuinam vitam, quæ pulchritudinem habeat & valorem saphirinum. Tales fuerunt vitæ Dauidis, Eliæ, Danielis & aliorum Prophetarum, ac Sanctorum, Testament. Veter. progredientibus ipsis in obsequijs exhibendis, ex acceptis internis fauoribus, quibus ad ea præstanda quotidiè magis animabantur.

g Exo. 24. 9

Aaron.

4.

SED quid de Sanctis Testamenti Noui dicemus? quomodo potuisset CHRISTI *præcursor* à teneris annis vitam in deserto ducere in rigidis adeò pœnitentijs; non agendo cum alijs hominibus: nisi arctissimam cum Deo eiusque angelis familiaritatem habuisset? Et ipsemet Saluator noster in exemplum nostrum voluit indicium aliquod horum fauorum præbere, quando grande aliquod & insigne facinus erat aggressurus. Nam in Baptismo h *aperti sunt ei cœli, audita est vox patris, apparuit Spiritus Sanctus sicut columba* & statim recepit se *in desertum*, in quo inusitato suo ieiunio initium dedit Eremiticæ ac pœnitenti vitæ, & *accesserunt angeli vt ei ministrarent.* Et in monte Thabor extraordinario & insolito splendore fuiti *transfiguratus*, ad quem *accesserunt Moyses & Elias* & i *loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem.* quasi his fauoribus carnem suam ad labores adeò horrendos tolerandos animaret. Hac via glorioſus dux noster deduxit primos suos milites *Apostolos* ac *discipulos*, ac primæuos *Christianos*, quemadmodum constat ex ijs, quæ refert Sanctus Lucas de factis *sancti Petri S. Pauli*, & *sancti Stephani*; & ex prodigiosis *reuelationibus* Sancti Ioannis Euangelistæ. Eratque hoc adeò frequens illo tempore, vt quando Spiritus Sanctus aduenit, tanquam Spiritus vehe-

Sanct. N.T. S. I. Baptista.

h Matt. 3. 16

Fauores tendunt ad dolores.

i Mat. 17. 2
i Luc. 9. 29

Act. 2. & 6 & 9.

Apocalip.

S. Spiritus abundãtia.

k *Act.* 2.17 *Ioel.* 2.28.

mens & tanquam linguæ ignis ſuper ipſos Apoſtolos & reliquos fideles, S. Petrus hunc eius aduentum declarauerit, adducta Prophetia Ioelis dicentis: *kerit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Hoc ſignificãs allata hac Prophetia, quod Deus Dominus noſter cum ingẽti clariſſimorum donorum abundantia ſeſe cummunicaret omni generi perſonarum. Et ita progreſſus eſt in reliquis Eccleſiæ ætatibus. Ex quo factum eſt, vt loca *deſerta* à mults Eremitis, &

Isa. 35. 1.

Anachoretæ

Monachis incolerentur, ducentibus vitas potiùs angelicas, quàm humanas, in tot aſperitatibus, vt abſque huiuſmodi cœleſtibus fauoribus non fuiſſet poſsibile in eis perdurare. Quomodo enim *S. Maria Magdalena* in ſpecu quadam per triginta annos perduraſſet, niſi angeli ſepties quotidiè eam eleuaſſent ad audiendam cœleſtem harmoniam? Et quomodo *S. Paulus* primus Eremita ſexaginta annis in alia ſpecu permanſiſſet? & *S. Antonius* vigenti annis in quodã ſepulchro, niſi ipſemet Deus in ſolitudine adeò aſpera dulcem ſe illis comitem præbuiſſet? Et quid dicemus de glorioſis Patriarchis religionũ, *Benedicto*, *Bernardo*, *Dominico*, *Franciſco*, *Ignatio* & plurimis eorum filijs? Qui admirandis cœleſtibus fauoribus præuenti fuerunt, vt ad ſublimes gradus ſanctitatis, quam habuerunt, & ad ſtupenda inſtituta, quę fundarunt, peruenirent: & in hodiernũ diem non deſiſtit Dominus noſter, huiuſmodi fauoribus eos proſequi, quos vult habere valdè perfectos.

M. Magdalena.

Patriarchæ ordinum.

ET in multis angulis mundi habet Deus ſelectas aliquas perſonas cum quibus agit, & conſuetudinem habet extraordinariam, oſtendens interdum externa ſigna ad exempla bonorum, quamuis interdum etiam omnia velit occulta eſſe, propter inuidiam & malitiam incredulorum, quibus commodè licèt obijcere illud Iſaiæ l *nunquid abbreuiata eſt manus Domini*, aut exhauſta diuina eius ſapientia, aut charitas tepefacta, aut eius liberalitas contracta, aut eius omnipotentia imminuta, vt neſciat, nolit aut *nequeat* reipſa huiuſmodi fauores *præſentibus nunc* exhibere, quos *antiquis* exhibuit & communicauit? Quod ſi hoc nullo modo dici poteſt, cùm DEVS ſemper ſit idem; credendum omninò eſt, habere eum ſemper, & nunc amicos multos in ſua Eccleſia, cum quibus agit, cum ea familiaritate & facilitate, ad quam ineffabilis ſua charitas eum inclinat. Quod ſi Dæmon aſtutia ſua ſtudet omnem opinionem verarum reuelationum & viſionum falſis aliis aſſictis eneruare, & contendit heroicas virtutes per alias, quæ ſpeciem tantum habent infamare: qui propterea incredulus eſt; & res alias extraordinarias, quæ ad ipſius notitiã veniũt contemnit: iam de eo triumphat Satanas, ſiquidem, quod verum eſt, ſimul cum eo quod eſt falſum negat, nõ diſcernẽs inter

l *Iſa.* 59. 1.

Deus non deficit.

Mendacio non inuoluitur veritas.

ter bonum & malum spiritum; & absq; vllo examine omnia reijcit. m *Nolite*, ait S. Ioannes *omni spiritui credere*, sed neque omnem spiritum reijcite, sed *probate spiritus si ex Deo sunt*, aut ex Dæmone: siquidem quemadmodum certum est, Dæmonem extraordinarias deceptiones efficere in animis superbis: ita meritò, tanquam certum est habendum, quòd faciat DEVS extraordinarios fauores animis humilibus ac demissis.

m 1. *Ioan.* 4. 1.

§. 2. *Quibus hæc Dei studia & fauores ostendantur aut negentur.*

VT intelligamus, in quibus hominibus extraordinarij hi fauores proueniant ab *electione* & vocatione ipsius *Dei*, præmittendum est, infinitam eius charitatem & liberalitatem prætermisso ordinario suo agendi modo, Communicare aliquando extraordinarios huiusmodi fauores magnis aliquibus peccatoribus, quod fecit cum *Saulo* Ecclesiæ suæ persecutore, quem a *circumfulsit lux de cælo*, & ita per triduum illum ad se rapuit, vt corporis quidem oculis nihil videret; animæ tamen viderit res stupendas. Hoc autem agit ob varias causas, respiciens bonum *ipsius*, qui hac ratione vocatur; ostendens misericordiæ suæ magnitudinem in hominem adeò indigentem, & in prauis moribus ac tepiditatibus inueteratum, qui nisi extraordinarijs fauoribus præueniretur, periret, & in æternum maneret suis miserijs immersus. Item, vt hoc exemplo *reliqui* peccatores imbecilles & tepidi animum resumerent, cõfidentes diuinæ misericordiæ, quod velit ipsis manum porrigere & fauere, audi eundem Apostolum: b *misericordiã*, inquit, *consecutus sum, vt in me primo ostẽderet Christus* IESVS *omnem patientiam ad informationẽ eorum, qui crediturí sunt illi in vitã æternam.* Et hâc ratione aperit *iustis* magnitudinem suæ charitatis, & omnipotentiæ: qua potest quicquid vult, & absq; alicuius iniuria vtitur ingentibus misericordiis erga alios. Et vt *omnes* intelligant, non suæ industriæ, aut meritis hæc dona attribuere debere, sed liberalitati ipsius dantis: seipsos, quando ea accipiunt, humiliantes, suumque iudicium, quando non dantur, subiicientes. Deus enim D. N. vna & eadem opera multa expedit. nam, dum alicui indigno peccatori benè facit: probat humilitatem, patientiam, & charitatem iusti: quemadmodum videre licet rem totam, quasi penicillo quodam delineatam in historia filii prodigi, in quem parens insigne studium suum & extraordinarios fauores ostendit: ob quos æquum fuisset, vt natu maior frater gauderet, cernens tum insignem patris charitatem, tum fratris felicem sortem. Sed adeò procul fuit ab hoc bono animo, vt inuidia tactus, manifestauerit imperfectionem suam, & iustas causas, cur parens non id

a *Act.* 9. 3. *Deus aliquando peccatores exaltat. variis de causis.*

b 1. *Tim.* 1. 16.

c Luc. 15. 29.

studij in ipsum ostendisset, audi enim illum: c *ecce*, inquit, *tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui; & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* In quibus verbis *quinque* satis magnas imperfectiones suas aperuit, ex quibus prouenit, vt iusti, etiamsi diu seruiuerint Deo, non tamen sint digni qui huiusmodi fauores extraordinarios experiantur.

Inuidia iustos impedit.

1. *Superbia.*

PRIMA imperfectio est, occulta quædam *superbia* & arrogantia ob diuturna sua seruitia, & antiquitatem, quam habent in domo Dei; & obedientia, quam semper sunt professi: putantes se propterea quasi obstrictum tenere ipsum Dominum nostrum, ad huiusmodi fauores eis exhibendos. Hoc enim indicant verba illa: *ecce tot annis seruio tibi*: atque si diceret, an non recordaris, Domine, quòd multos annos in obsequio tuo expenderim, nihil negligens eorum, quæ mihi incumbebant. Quomodo igitur te offendenti indulgens, seruientis fideliter obliuisceris? Sed satis hic se prodit defectus *humilitatis*: verè enim humilis, postquam fecerit quicquid Pater eius cœlestis iussit, dicit, iuxtà consilium ipsius CHRISTI Domini nostri, d *quod habebam facere feci, seruus sum inutilis.* Non sum dignus, cui DEVS tale impendat beneficium: quod si facere voluerit: id erit ex mera gratia.

d Luc. 17. 10

2. *Impuro amore.*

Secundam imperfectionem aperuit, defectum scilicet in *amoris puritate*, qui non adeò erat sincerus & purus, atque meritò debuisset filius adeò antiquus in seruitio, erga talem parentem habere. Siquidem insinuat non illi seruire sincerè propterea, quod sit parens; sed vt *hœdum* ab illo accipiat fauorum ac deliciarum sensibilium. Nec vacat mysterio, quòd cùm parens in gratiam filij prodigi instituisset conuiuium, ex *vitulo saginato*, hic alter non petat nisi *hœdum*, figuram scilicet eorum; qui in die iudicij e *ad sinistram Iudicis manum collocabuntur*, vt significetur: hos fauores extraordinarios, & sensibiles non esse pro eo, qui sit infectus vanitate, ad sanctitatem ac veram deuotionem procurandam: potiùs præberent illi occasionem superbiæ, & vt inter reprobos computetur: eò quòd donis adeò præclaris abutatur.

e Matt. 25. 32.

3. *Intentione impura.*

ET hoc magis adhuc apparet ex *tertia* imperfectione, defectu scilicet *puritatis intentionis*, quâ dona illa & fauores desiderat, siquidem eos non quærit, vt magis placeat ipsi Deo largitori; sed *vt epularer*, inquit, *cum amicis meis*: vana scilicet ostentatione & iactantia, manifestando omnibus illa dona quæ accipit, vt habeatur familiaris & charus apud ipsum dominum, qui tanti illum facit, vt his fauoribus illi blandiatur. Et quamnis obducat colorem & prætextum, quod fauores optet, vt possit proximis benefacere: verè tamen seipsum potiùs quærit, quàm illos.

CVIVS certum signum est *quarta* imperfectio, quam aperuit in defectu fraternæ charitatis, dum inuidebat fratri suo fauores & blanditias parentis, contemnens eum & tanquam eis indignum damnans: cùm potiùs ex charitate gaudere & congratulari debuisset, quod videret illum sanitati restitutum, & Patrem eius cœlestem adeò esse bonum, vt indignum filium adeò benigne exciperet. Et multò adhuc magis suum hunc defectum aperuit, quod cùm famuli & omnes serui parentis ipsius lætarentur de conuersione filij prodigi, ac de benignitate, quam parens illi exhibebat: ipse solus est contristatus, & ex hocipso indignatus. vt ex hoc discamus, sæpiùs sinceros & imperfectos homines lætari de felicibus his euentis, propter bonum ex eis emanans in proximos, & gloriam Deo cum eis exhibitam: qui verò perfectos se existimant, tristantur, quòd ipsi alia similia non obtineant. *4. Inuidentia.*

Ac denique hoc totum prouenit ex defectu *resignationis*, quâ se suumque iudicium non subijciunt, consilijs & iudicio Dei; sed existimant, potiùs aliam viam meritò esse tenendam: quòd non sit æquum prodigis filijs ita indulgere, & negligere obedientes; præbere *vitulum* saginatum ijs, qui multos annos in eo offendendo consumpserunt, & nec vnum quidem *hœdum* dare iis, qui contra semper in rebus eius obsequij sese occupauerunt. Et hinc querelæ & murmurationes interiores, tædia & fastidia in proprium Patrem suum cœlestem, & quidem eousque, vt & obedientia ipsis fastidium adferat; ac propterea à bene cœptis pedem referant. *5. Resignationis defect.*

Hæ sunt causæ præcipuæ, cur DEVS huiusmodi fauores deneget multis iustis, etiamsi per multos annos ipsi seruiant, custodientes eius mandata, quemadmodum filius hic, quem retulimus, cui parens non respondit, fallum dicis, aut deceperis, cùm asseris te à multis annis mihi seruire, & obedire; quia id quoad *substantiam* verum erat: sed eius correxit *imperfectionem*, vt dignus fieret, qui alia multò ampliora dona reciperet, quàm ipse cũ sua imperfectione optabat. Quæ autẽ hæc dona erãt, nisi ipsemet DEVS, & omnia quæ eius erat? Ac propterea dixit: *omnia mea tua sunt*. Quasi illi dixerit: ne respicias ad hos fauores fratri tuo à me exhibitos, sed in ea dona quę tibi habeo præparata, & quę in me solo inuenies: si mihi propter me ipsũ, & nõ propter te deseruias: nã in me omnia inuenies; &, si me habueris, habebis omnia, quę tibi conueniunt; & quod præstat hœdo, & vitulo, omnibusque aliis donis quæ extra me habere possis; & ego tibi dare. Quare ex ordinaria lege DEVS Dominus noster extraordinarios hos fauores illis exhibet, qui cum tanta perfectione ipsi seruiunt, vt careant *quinque* prædictis imperfectionibus, sunt verò contrarijs his perfectionibus ornati: aut si omnes non habeant, idem fauores iuuant ad eas comparandas in magna excellentia. Quales *Deus meus & omnia*

sunt

Quinque perfectiones donorum Dei.

sunt profunda *humilitas*, qua se indignos iudicant donis Dei, & potiùs pœnas sibi, quàm huiusmodi fauores ac delicias deberi, purus *amor* Dei propter seipsum, non intendendo aliquam mercedem rerum creatarum, sed summum gaudium & præmium iudicando, illud amare illique placere, *intentio* sincera Deo ipsi placendi absque inani respectu placendi hominibus, & opinionem nostram apud eos promouendi, sed occultando dona, quæ habemus, *charitas* & magnus erga proximos amor, ita vt de bonis illis collatis gaudeamus, etiamsi excedant ea, quæ nobis sunt collata: & quâuis illi recentiores sint nobis in seruitio Dei, & exteriùs videantur magis indigni; ac denique perfecta proprii iudicii *resignatio* in omnibus quæ Deus constituit: iudicando, ea optima esse; & æquè gaudendo, quod eisdem donis careamus, atque si ea haberemus, quando Deo ita placet. Eius enim diuina ordinatio & voluntas præferri debet omnibus aliis donis: siquidem cum ipso Deo reliqua omnia habentur.

Dispositiones ad extraordinarios fauores.

HAEC *quinque* prædicta sunt etiam *indicia* certa, quod vocationes ad res extraordinarias, quæ cum eis sunt connexæ, sint à Deo. Et quamuis non sit tutũ eas desiderare, & quærere: (vt inferiùs videbimus) expedit tamen non facere nos earum indignos. Hoc autem obtinebimus, si in praxim deducamus ordinarias virtutes cum quinque prædictis conditionibus, quæ *dispositiones* quædam sunt ad extraordinarias recipiendas, relinquendo earum distributionem Patri nostro cælesti, cuius charitas non nouit se intra certos limites cõtinere, & coarctare ad dandum, quamdiu dispositio est ad recipiendum. Et ita semel dixit S. Angelæ de Fulgino: non est minor charitas & dilectio mea nunc erga homines, quàm fuerit tempore seruorum meorum Dominici & Francisci: quod si nunc similem in aliquibus dispositionem inuenirem, non minores nunc fauores eis ostenderem, quàm illis ostendi. Et fortè propterea Richardus de Sancto Victore dixit: vitæ nostræ tepiditatem & amoris nostri imperfectionem in causa esse, cur excessus illos anagogicos supernaturales non sentiamus, quos Dominus noster solet feruentibus suis amicis communicare.

Inuita eius, quæ coniuncta habetur cum vita S. Francisci. Lib. 4. de gratia Contempl. c. 16. & lib. 5. f. 3.

CAPVT

CAPVT XIII.

PERICVLVM ESSE IN MODIS VITAE extraordinarijs, & nostras electiones versari debere circa ordinarios.

QVAMVIS extraordinariæ vitæ rationes, de quibus proximo capite actum est, habeant prędictas ibi excellentias: non est tamen dubium, quin sint ex se magis *periculosæ*, habeantque plures occasiones magnarum illusionum, & deceptionum Satanæ, qui non rarò a *transfigurat se in angelum lucis*, vt superbos decipiat, deducatque in infernum, peraliquam non ita tritam & vsitatam semitam, quam ipsi, regia & trita via, quæ securior erat, relicta, breuiorem & certiorem existimabant. Hanc viam tenent, qui sunt addicti nouis reuelationibus, suspensionibus & raptibus; & qui nouas vitæ asperitates adinueniunt, non vsitatas in vestitu, cibo, & modo agendi cum hominibus, vt eos quasi suspensos teneant, & ab eis in honore habeantur; & reliqui omnes, qui à proprio spiritu ducti sub maiori sanctitatis prætextu, à regia & trita via recedunt, vt nouam à proprio superbo iudicio adinuentam, sequantur. Quorum calamitas depicta est in lamentabili illo casu, quem refert Ieremias Propheta b *octoginta virorum, qui venerunt de Sichem & de Silo & de Samaria*, in habitu pœnitentium extraordinario: *rasi barba, & scissis vestibus & squalentes & munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.* Quos cum impius *Ismael a longè vidisset, egressus est in occursum eorum, incedens & plorans*, & inuitauit *vt* cum ipso *irent ad Godoliam* Chaldæorum gubernatorem in Masphat. Qui *cùm venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos Ismael*, exceptis *decem viris*, qui mortem euaserunt, dicentes, *se habere* magnos *thesauros in agro* absconditos. Sunt enim hi homines figura valdè similis eorum, qui audent ambulare per semitas valdè singulares, cum inani suarum virtutum ostentatione. Radunt barbam externis humiliationibus; scindunt vestimenta ieiunijs & pœnitentijs corporalibus; dona & thus ferunt in manibus, facientes opera & orationes publicè, vt ab omnibus videantur: qua ratione ipsimet prouocant contra se Dæmones. Nam, vt Sanctus Gregorius ait, *depredari desiderat, qui thesaurum publicè portat te via.* vana enim illa ostentatione latrones prouocat, Dæmones scilicet tentatores, vt eum aggrediantur, & in grauia peccata deturbent. Qui nonnunquam astute id faciunt, fingentes se amicos & socios, & inducentes ad res magis gloriosas; vt sic eos præcipitent in abyssum superbiæ, & confidentiæ propriæ quos,

a 2. Cor. 11. 14.

Periculosa sunt extraordinaria.

b Iere. 41. 5.

Illusiones Dæmonis.

Homil. 17. in Euangel.

quos, cùm maximè securos sese existimant, iugulant, & in internum præcipitant: nisi Dominus noster cælesti luce in medio illo periculo existentibus oculos aperiat, quemadmodum decem illis viris qui mortem euaserunt dicentes, se habere thesauros in agro absconditos. Qui enim hi sunt thesauri, (ait Sanctus Gregor.) nisi opera veræ pœnitentiæ, quæ cùm non videatur oculis corporis, abscondita est in agro cordis: & per eam euadunt pœnas, qui suos agnoscunt errores.

Lib. 1. Moral. c. 19.

Ita multi ex Doctoribus Hebræis.

QVOD si interpretari velimus, *octoginta* hos viros rectâ intentione habitum illum pœnitentium induisse, & munera sua tulisse: etiam in hoc ipso ostenditur periculum, de quo nunc agimus. Nam illi securi omninò per suam viam pergebant ad templum Domini, quod erat alias in Ierusalem: (necdum scientes fuisse à Chaldæis destructum.) At impostor ille Ismael abduxit ex via, ac deduxit in Maspha, vbi erat quoddam oratorium & altare priuatum, dicens illis, quòd ibi possent munera sua offerre ac de suis negotijs cum Godolia conferre: & tunc deceptos, vitâ priuauit. Quæ autem tragœdia hæc est, nisi eorum, qui cùm viam regiam & veram tenerent pœnitentiæ & orationis; gressusque suos ad templum Dei quod est in Ecclesia dirigerent, decipiuntur à Satana, specie qua iam boni alicuius apparentis: ac deducuntur ad priuata Oratoria, vitæque rationes singulares, vt liberiùs tutiusque eos perdat? Propterea aptè conuenit huic tentatori nomen *Ismael*, quod significat *exauditionem Dei*, eò quòd fraudes suas occultet, asserens, viam, quam docet, aptiorem esse, & magis compendiosam, vt Deus eos exaudiat; thusque ac dona quæ in suis manibus portant, acceptet. Sed illi *decem* fuerunt ipso prudentiores, qui aduertentes, se à recta via aberrasse, constituerunt in eam redire, quam reliquerant, dicentes se in patria sua thesauros habere absconditos in agro; media scilicet certa ac secura pœnitentiæ ac religionis Christianæ, quam Christus Dominus Noster c *thesauro in agro abscondito* comparauit. Nam in specie externa est tanquam ager pluribus communis; interiùs autem rara est ac preciosa, ob singularem, quam in se occultam habet, sanctitatem. Externa illa specie, quæ communis est, conseruat humilitatem; interiori autem præstantiâ auget Sanctitatem. Et qui hanc viam deseruerit, procul dubio decipietur à Dæmone, siquidem deceptus iam est à proprio spiritu superbo, qui ordinarias & communes vias contemnit, vt inusitatas & extraordinarias sequatur, propter quas laudari magnique fieri ab alijs possit.

Communia sequere, vitæ singularia.

c *Matt. 13. 44.*

Via pœnitentiæ secura.

§. 3. *De ingenijs excelsis & arrogantibus.*

Homil. de modestia in Disputatio. seruanda.

PERPENDIT pulchrè hæc prædicta S. Gregorius Nazianzenus in præclara illa homilia, quam habuit contra ingenia excelsa & arrogantia, quæ res nouas & non vsitatas, necà Maioribus dictas adinueniunt, tam in doctrina, quam in moribus, contemnentes antiquas, quas eorum maiores triuerunt; aut etiam nunc reliqui fideles tenent: iudicant enim, exiguam esse virtutem communem, quam sequuntur homines; & vile esse ingenium, quod satis ibi existimet, eas veritates nosse, quas alij nouerint. Et quemadmodum superbi huius mundi, non sunt contenti vestimentis & habitu ordinario, quo reliqui ipsis pares vtuntur, sed nouum modum adinueniunt, vt inter cæteros emineant, & singulares sint: ita hi superbi, & inanis gloriæ captatores, non sunt contenti communibus & tritis moribus ac doctrinis, quæ ab antiquitate & vsu maiorum authoritatem acceperunt; sed alias viuendi ac sentiendi rationes inusitatas inueniunt, quibus videantur posse alios excellere, Pharisæum illum imitantes qui iactabat: a *non sum sicut cæteri hominum*, quia multa facio, quæ illi non faciunt: & hac ratione, ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, reliquos contemnunt, & nihili ducunt. Hinc igitur inchoare debet eorum superbiæ curatio: *noli*, inquit, *ignominâ afficere consueta: noli venari noua quo inter plurimos excellas. Melior est portio parua, cum securitate; quam magna, cum anxietate*, ob periculum scilicet pereundi, cui te exponis. Attende illud Sapientis: b *noli esse iustus multum: neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas*, cuius hic est sensus, si inanis excellentiæ desiderio motus non es contentus iustitia & scientia communi & ordinaria, sed conaris iustior & sapientior esse cæteris, obstupesces, & incides in deliria, quia hostis Dæmon accurret, vt te decipiat, Deusque hanc permittit deceptionem in tuæ superbiæ pœnam.

Antiqua semita calcanda.

a *Luc.* 18. 11.

Idem S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 18.

b *Eccl.* 7. 17.

2.

Regia via incedito.

ADHÆC, quis prudens, cùm possit viam tenere regiam & tritam, certam ac valdè securam, quam tenent omnes: velit solus ire per semitam non tritam, & periculosam, per quam nemo proficiscatur? Hoc enim est velle perire, aut in vanum laborare. Si igitur potes in cælum peruenire regia & trita veritatum & consuetudinum antiquarum via, quam tenuerunt Sancti, & Doctores Ecclesiæ: vt quid noua quæris diuerticula? *tu quid salute maius quæris?* Nam, si etiam honorem, perdis vtrunque; &, si alij adulationibus te facient euanescere: alij murmurationibus te deijcient: iudicantes, te hypocritam, & illusum, quem vident pergere viam parum tritam & valdè difficilem: cuius finis fortè erit infernus. Expedit ergo regiam tenere viam, per quam multi assecuti sunt salutem, & magna

Nazianz. suprà.

Dei dona: *qui egregia donat; & per communia saluare nouit.* Ita vt, quòd sint communia, non desinant esse preciosa.

3. *Sacramentorum materia communis est.*

QVOD si velis hoc ipsum clariùs videre, respice ad præcipua Sacramenta, in quibus noster Saluator totum nostrum remedium collocauit. Quid enim est in mundo magis commune, quàm aliquid *aquæ* naturalis, sicut ex fonte aut puteo accipitur? Hac igitur & non alijs angelicis aquis conficitur Sacramentum Baptismi, per quod DEVS iustificat, & admittit ad ius suæ gloriæ. Et quid magis ordinarium quàm frustum *panis*, & particula *vini*, quæ sunt commune hominum alimentum? At sub eorum accidentibus latet res preciosissima omnium, quas DEVS habet in cælo & in terra, corpus scilicet & sanguis Vnigeniti sui: quo alit perficitque te illustrissimis gratiæ suæ donis. An non igitur hac ratione te monet, ne res communes & ordinarias contemnas, in quibus ipse res adeò precioſas deposuit?

4. c *Eccl.9.14. Amicus antiquus seruandus. Rabanus & Iansenius.*

MEMOR etiam esto, non sine mysterio dixisse Sapientem, c *ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi: vinum nouum, amicus nouus*: est enim instar musti non coacti, de quo nescitur, quale sit futurum. solet enim initio esse dulcius: sed paulò pòst acescit: at antiquus amicus est tanquam vinum vetus, iam defæcatum, proprio suo commodo sapore perfectum, quod potest vtiliter delibari, & bibi. Qui autem sunt amici antiqui, nisi Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ, qui nos præcesserunt? Et quod est vinum vetus, nisi consuetudines & antiquæ doctrinæ, quas illi seruarunt, & coluerunt: quæ & purificatæ, & conditæ satis sunt, vt sine periculo possint conseruari?

5. d *Luc.5.39. Leges nouæ suspectæ.*

AT nouæ sunt tanquam vinum nouum, nam initio dulces videntur, veræ ac sanctæ, postea verò in acetum & falsitatem conuertuntur. d *Nemo* (ait CHRISTVS Dominus) *bibens vinum vetus, statim vult nouum, dicit enim: vetus melius est.* Si igitur potes habere vetus veritatis & sanctitatis vinum, cur vis nouo inebriari, sensumque tuum amittere? Noli esse nimium iustus, *ne obstupescas*: hoc est, tali hausto sensum amittas, si stuporem tibi adferat, aut torporem in rebus agendis, qui tuam cruciet conscientiam. e *Ne transgrediaris*, ait Sapiens, *terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Patres nostri fuerunt Apostoli & Doctores, & sacratum religionum Fundatores, qui filijs suis præscripserunt modum sentiendi, & operandi, quem tenere deberent. Noli nouos alios modos inuenire: si enim non eadem via pergas, qua illi, non venies ad locum, in quo illi sunt. Quis te adeò fecit audacem, vt nouas rationes vitæ tuæ adinuenires? *Noli esse lege legalior, nec regula æquior, nec mandato sublimior*, dixit Nazianzenus. melius est, vt legi te conformes; regula dirigaris, teque præcepto accommodes, ac sequaris eam vitæ rationem, quam te

c *Prou.22. 28.*

docet

docet Euangelium, non adinuemendo regulas & leges nouas, quę te ab antiquis & veris retrahant, prætextu illo, vt magis in eis emineas.

ADVERTE quoque quas diuisiones & schismata adferas toti communitati in qua habitas, cùm hæc noua excogitas. Hi sunt (ait S. Bernardus) vnitatis diuisores: inimici pacis: charitatis expertes: vanitate tumentes: placentes sibi: & magni in oculis suis ignorantes Dei iustitiam: & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat: tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? vt reliquos post se trahat. væ illis qui faciunt se proprij iudicij idololatras, venerantes vitę rationem, quam sibi adinuenerunt, tā quam diuinam: cùm sit diabolica, & mundana; eaque decipiunt simplices, vt illos sequantur. Quamobrem seueriſſimè punientur sicut populus ille, cui Deus per Amos Prophetam dicebat: non parcam ipsius scilicet grauibus sceleribus, f *eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandū terminum suum.* Quæ (ait S. Gregorius Papa) sunt prægnantes Galaad, nisi animæ simplices, ac sinceræ Ecclesiæ plenæ sanctis, magnisque Deo seriò seruiendi desiderijs? Has secas ac diuidis verbis & exemplis singularitatis tuæ; ob dissensionem ac discordiā, quam in eis efficis: vbi enim huiusmodi sunt nouitates, simul etiam sunt partialitates, & factiones: deficiente autem charitate, diuisio sequitur cordis, & mors animæ: & vtrumque tibi tanquam causæ tribuetur.

6. *Serm. 1. de Resurrect.* " " " *Singulares communitatem euertunt.*

f *Amos 1. 13.*

§. 2. *In electione Status non esse refugiendum ad res extraordinarias quas consequi non possimus.*

EX omnibus prædictis intelliges, quod cum alicuius Status, Sortis, aut vitæ rationis electionem facere volueris, non debeas oculos tuos cōijcere in res extraordinarias, quas consequi nō possis; aut quæ in tuū cedāt detrimentum, sed in res receptas & approbatas in Ecclesia & Republica in qua habitas, iuxta consilium Sapientis dicentis: a *ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ & volabunt in cœlū, sed prudentia tua pone modum:* eos tantum spirituales diuitias quęrens scientiarū gratiarum ac donorum, quas Dominus noster solet concedere diligentibus ac prudentibus, in eis quærendis, alioquin inuenies te deceptum ac defatigatum; eisque non obtentis; laboris tui feceris iacturam, eò quod inaniter eas quæsieris. Conijce oculos in vitas Sanctorum, quibus Dominus noster similes gratias communicauit: gratiasque agens pro extraordinarijs fauoribus illis exhibitis, eorundem imitare virtutes: hæc enim via est ad obtinendam raram virtutem & sanctitatem, quam illi sunt consecuti. Sunt inquit S. Bernardus vitæ Sanctorum similes conuiuijs magnorum Dominorum, in quibus delicati cibi vinaque pretiosa apponuntur in vasis aureis & argenteis. Sed cibi & vina conuiuis proponuntur, vt comedant & bibant;

a *Prou. 23. 5.* *Beda hic.* *Virtutes imitare, signa mirāre.* n *Serm. de S. Martino.*

non tamen permittuntur aurea & argentea vasa secum accipere: quia non fuerunt ad hoc apposita; sed vt conuiuæ recrearentur ex eorum pulchritudine, & agnoscerent inuitantis Principis diuitias & excellentiam. Sic etiam Sanctorum virtutes locum tenent ciborũ, & precioſorum vinorum, vt eas in nos ipsos traijciamus, & imitemur, ac ex eis proficiamus: miracula autem & extraordinaria dona illis communicata, propterea tantùm proponuntur, vt admiremur, & glorificemus Deum, qui talia illis donauit; & animemur ad feruenter ei seruiendum, sperantes quod ex sua liberalitate si ad nostram salutem expedierit, daturus sit nobis cum cibo orbem argenteum; & cum vino poculum aureum: siquidem vtrumque illi est æquè facile: quod si non fecerit, non id parcitati, sed alicui alteri eius gloriæ fini tribuendum est. Præcipuè cùm aliquando soleat ipse in testaceis scutellis & vitreis scyphis, cibos & vina precioſiora tribuere potiùs, quàm in argenteis & aureis: vt sapientiæ suæ profunditatem ostendat, qui excellentem valdè sanctitatem internam communicet, per media, quoad exteriora, communia & ordinaria: vt ipsius nostri Saluatoris vestigia sequamur, qui docuit nos modum quendam singularitatis, quem omnes optare debemus. Fuit enim *singularis* ipse in virtutibus *internis*, & in operibus spectantibus ad obseruationem legis diuinæ, & consiliorum Euangelicorum, in quibus perfectio summa consistit, In *exterioribus* autem eam vitæ rationem elegit, quæ similis esset ei, quam reliqui homines *communiter* seruabant, in vestitu, cibo, & modo cum eis agendi, exprimens in se: vt S. Thomas perpendit, consilium illud, quod eius Apostolus ab illo accepit, cùm dixit: b *omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrarer, & facerem saluos*, eum in modum debes te exterius cõmuni & ordinariæ rationi vitæ accõmodare, quã habent reliqui tibi pares. Studeto autem præcellere & singularis esse, quoad virtutes internas, & opera in quibus cõsistit perfecta legis Euangelicæ obseruatio, iuxta tui Status rationem, ita vt singularitatem, & nouitatem illam angeli admirentur, & ipsi homines, videntes te singulari quodam, valdeq; perfecto modo, cõmunia alias opera exercere: vt de te dicatur, quod Sapiens dixit de magno illo Sacerdote, quòd c *non esset inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi* & quod Dauid de se ipso dixit, d *singulariter sum ego donec transeam*, ita enim statuebat, se velle singularem esse in vita, vt nõ solũ subtraheret se cõgregationi peccatorũ, sed tepidorũ etiã, ac imperfectorũ, vt posset e *electus esse sicut Sol*, qui est inter stellas singularis. Hæc singularitas valdè tuta via est, magnãq; fiduciã adfert in Deũ; & pignora præbet perseuerãtiæ vsq; ad mortẽ, iuxta illud eiusdẽ Dauidis, f *in pace in idipsũ dormiã & requescã: quoniã tu Domine singulariter in spe constituisti me*, & curam & sollicitudinem meam tibi cum singulari sanctitate seruiendi, remuneraturus sis singulari & certa spe ad regnum tuum perueniendi.

Intus singularis, foris sectare communia.

3. h. q. 40 a 2.

b 1. Co. 9. 22.

c Eccl. 44. 20.

d Psal. 140. 10.

e Cant. 6. 9.

f Psal. 4. 9.

CAPVT

CAPVT XIV

ELENCHVS OMNIVM ORDINARIORVM meatorum ad magnam sanctitatem in quocunque statu consequendam.

VT huic tractatui finem imponamus, ad consolationem eorum, qui desiderant singularem sanctitatem in suo Statu consequi, elenchum hic ponemus mediorum ordinariorum, quæ ad id sunt magis efficacia, sequentes quod S. Ioannes dixit de cœlesti Ierusalem: quod a *haberet duodecim portas, ab Oriente, ab Aquilone, ab Austro, & ab Occasu.* Ad huius similitudinem dicere possumus Sanctitatem habere multas portas, per quas ad eius interiora aditus pateat: quę sunt in quatuor ordines distributæ.

Media sanctitatis.

a *Apo.* 21. 12.

PRIMVM enim habet suum Orientem; hoc est, *Fidem*, per quam Soli iustitiæ communicare incipit lucem doctrinæ, triplici nos cognitione illustrans, b *in qua est vita æterna*; cognitione scilicet DEI Trini & vnius; CHRISTI Dei & hominis Saluatoris nostri; ac *nostri* ipsorum, & miseriarum nostrarum; ad quas cognitiones tanquam per portas quasdam patet aditus, per triplex exercitium, quod fidem clarificat ac disponit ad contemplationem: *Audire* scilicet Conciones, *legere* libros bonos & *meditari* diuina mysteria: dando operam, vt veritatum cognitio voluntatem alliciat ad procurandas virtutes.

1. *Fides.*

b *Ioan.* 12. 3.

ET quoniam solet interdum Sanctitatis aliqua imminutio fieri, habet etiam suum Aquilonem siue Septentrionem, *pœnitentiam* scilicet: cuius *tres* sunt portæ; *Contritio, Confessio, & Satisfactio*: Contritioni addenda sunt feruentia vitæ renouandæ proposita; Confessioni, frequens conscientiæ examen; Satisfactioni, ieiunia & aliæ pœnæ quæ carnem macerent ac doment. Hinc transitus patet ad Austrum siue Meridiem Sanctitatis feruorẽ scilicet *charitatis*: cuius tres præcipuè sunt actus. *amor* DEI super omnia; amor *proximorum*, siue amici illi sint, siue inimici; & *zelus* contrà omnia peccata: ita vt amor & zelus hic etiam in operibus appareat. Ad hunc feruorem aditus patet per tres insignes portas, quæ sunt familiaritas cum Deo in *oratione* mentali & vocali; frequentatio sacræ *Communionis*, & assistentia Sancto *Missæ* Sacrificio, vbi ipsemet Christus Dominus adest, ad hunc feruorem in suis electis excitandũ. Denique cùm perfecta charitas consistat in extinctione cupiditatis, habet sanctitas etiam suum Occidentem; perfectam scilicet *mortificationem* sui ipsius, quâ mundo, & amori proprio moriatur. Eius *tres* portæ sunt tres insignes mortificationes trium appetitionum, *deliciarũ*

2. *Pœnitentia.*

3. *Charitas.*

4. *Mortificatio*

diui-

duitiarum, & inanium *honorum*: acceptando simul cum humilitate & patientia crucem, quam in his tribus rebus hominū malitia nobis imposuerit.

Hæ summatim sunt omnes portæ heroicæ Sanctitatis, de quibus Dauid c *aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas cōfitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabūt in eam.* Iudicabat pius hic Rex, Sanctitatem & perfectionem esse instar magni cuiusdam templi multarū portarum, sed quæ sint clausæ: desiderans autem ingredi, clamabat, vt eas ipsi aperirent: vt tutò sese occuparet in diuinis laudibus, in societate reliquorum iustorum. Et quamuis portæ sint multæ, ipse tamen adiecit: *hæc porta Domini.* ita innuens, omnes duodecim portas reduci ad vnam, ad perfectam scilicet diuinæ d *voluntatis executionem* in rebus omnibus, & perfectam Christi D.N. imitationem, qui dixit: e *ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.* Omnes etiam duodecim appellantur vna, ob insignem vnitionem & connexionem inter se. Nam ingressus per vnā, dispositio est aut fructus ingressus per alterā: & qui benè per vnam ingreditur etiam benè ingredietur per oēs: & qui aliquā cōtēpserit, non inueniet facilè aditū per alias. Quod si desideras esse iustus necesse est per illas intrare; nā *iusti intrabūt per illā* Non est via alia ad iustitiā & Sanctitatem; nisi per has portas cum connexione prædicta. danda autem semper est opera, vt magis semper ingrediamur ad intima omnium. Quotidiè ingrediendum tibi est per aliquam earum, designando horam lectioni & orationi mentali & vocali; conscientiæ examini, auditioni Missæ in qua piritualiter communices. Certis etiam temporibus per alias portas est ingrediendum, frequentando Sacramenta Confessionis & Communionis. Semper & in omni hora paratus esse debes, vt ingrediaris portas mortificationis, implēdo præcepta omnia pœnalia, quæ occurrēt & molestias euenientes acceptādo; felicitati tribuendo, quod multæ occurrāt occasiones exercendę patiētiæ. Quæ omnia non in specie tantùm sunt peragēda, vt ea sola sis contentus: quia hoc nō est intrare portas iustitiæ; sed extra eas remanere. Quia externa tantùm opera nō sunt nisi facies quædā domus Sanctitatis & qui ea sola est contētus, in ipsa porta hęret, nec ingreditur ad interiora virtutis; in qua præcipuè cōsistit f *gloria filiæ regis* cœlestis, & Sanctitas perfecta.

Ob hanc causam *tria* magni momenti documenta sunt tibi seruanda, quę regius Propheta in his verbis attigit. *Primum* est, vt profundæ humilitatis fundamentum iacias, agnoscens has portas Sanctitatis tibi esse quasi occlusas, nec proprijs viribus te posse eas reserare (nisi Deus illas aperiat) ob innumera impedimenta, quæ Dæmon: mundus & caro quotidiè apponunt. Ac propterea Christus D. N. dixit: g *portam ad æternam vitam esse angustam, & viam arctam, & paucos inuenire eam.* Quod si ex numero paucorum velis esse oportet te demittere, ac demisse Deo dicere cum Dauide; *aperi mihi portas*

iustitiæ.

c *Ps.* 117. 19.

Voluntas Dei, imitatio Christi.

d *Mat.* 7. 21. & c 19. 17. e *Ioa.* 10. 9.

Virtutes cō nexæ.

Interiora virtutum penetraa.

f *Ps.* 44. 14

I. *Humilitas.*

g *Mat.* 7. 13.

iustitiæ, & iuua, vt per omnes ingrediar. Cogita aliquando te ob tua peccata valdè procul ab eis esse, quemadmodum reus aliquis fugiens iustitiæ ministros volentes ipsum capere: qui veniens ad Ecclesiam, si fores inueniat obseratas, clamat, & pulsat, petens sibi aperiri, vt ingressus, ab imminenti periculo, liberetur: Ita videns te à vitijs & passionibus tuis vrgeri & solicitari: si effugere velis pœnas iustitiæ DEI, tibi minantis: recipere te debes ad portas Sanctitatis, Sacramentorum præcipuè, petens, tibi aperiri; vt ingressus, remedium obtineas.

2. Quotidie inchoandum est.

ALIAS cogitare poteris, te ob torporem tuum manere tantum extra ad portas Sanctitatis: quia tota tua virtus exterior est, & tantum in specie, & ob humanos respectus: quare de hoc erubescens clamabis ad Deum, vt tibi aperiat, vt ingrediaris, ac de interna Sanctitate & perfectione cum illo agas. Et quamuis valdè sis progressus ad interiora, adhuc tamen multum tibi supereſt, vt possis propterea existimare, te adhuc in porta versari; ideò enim Ecclesiasticus dixit: h *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet*: & quoniã impedimenta solent renouari: ita semper oportet clamare ad DEVM, vt eadem tibi portas iterum aperiat, dicens: *aperite mihi*: ô Deus Trinus & Vnus, etiamsi iustitiæ portæ alijs pateant volentibus per eas intrare: at ego illas tanquam mihi obseratas aspicio, ob grauissimas meas culpas ac imbecillitates: aperi mihi illas, Domine, adiuuans me, vt feruẽter per omnes ingrediar. Quare huic humilitati coniungere debes fiduciam, de prouidentia & liberalitate huius Domini, quod cum magna tua oblectatione illas aperiet & implebit promissionem suam, qua dixit i *pulsate, & aperietur vobis.* Deus est præcipuus harum portarum ianitor, & in suis manibus habet claues ad aperiendum, quæ sunt *inspirationes* & illustrationes cœlestes. Et vt dicitur in Apocalypsi, cùm k *ipse aperit, nemo claudit, & cùm claudit, nemo aperit.* l *Ego* dicit Dominus, *aperiam coram te ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo*, ac ducam: *& glorioſos terræ humiliabo*, qui tibi obsistunt: *portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*, omniaque impedimenta remouebo: *& dabo tibi thesauros* in his operibus *absconditos*: quapropter animum resume, vt ingredi possis ad fruendum eis.

h *Eccl.* 18. 6.

i *Matt.* 7. 7. *Claues cæli.*

k *Apoc.* 3. 7.

l *Isaiæ* 45. 1.

3. Inspirationi parendum.

Quandocunque igitur horum exercitiorum aliquod incipies, hac confidentia petes à Deo, vt portam tibi aperiat, quâ possis ad eius interiora penetrare, missa aliqua inspiratione, quæ tanquam clauis aperiat & inducat in secretissima orationis & contemplationis, & reliquarum spiritualium exercitationum. Quam inspirationem vbi acceperis, mox ei parendum esse statue; & ingrediendum, vt id præstes, quod inspirat. quemadmodum S. Ioannes ait: m *Vidi ostium apertum in cœlo, & audiui vocem dicentem, ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc*, & subijcit, *& statim fui in*

m *Apoc.* 4. 1

spiritu, vt videret ea, ad quæ inuitabatur. Qua promptitudine docet nos, nõ debere moras trahere, quando Deus portam aperit; sed statim ingredi, nè ipse fortè iratus eam occludat in pœnam nostræ pigritiæ. Rarò enim amissa bona occasio redit, aut recuperatur. Et qui inspirationi diuinæ non obtemperat, ea se reddit indignum. Quòd si n *Deus stet ad ostium* cordis tui, & *pulset*, vt ad te ingrediatur; tu verò nõ statim ei aperias, præbendo cõsensum: non erit mirum, si tibi petenti, vt Sanctitatis portas aperiat, ostendat se nõ audire; nec eas aperiat, vt specialem illum fauorem exhibeat, quem tu cuperes.

n *Apoc.* 3. 20

4. *Ianitores cæli Angeli & Homines*

EXPEDIT tamen attendere, quòd Dominus noster nolit semper ianitoris officium solus præstare, sed alios *duos* adhibet adiutores: angelos scilicet custodes, qui suis impulsibus nos mouent, & adiuuant, vt per has portas ingrediamur, remouendo impedimenta à dæmonibus posita.

Apoc. 21. 12.

Propterea S. Ioannes de *duodecim* illis *portis* cœlestis *Ierusalem* dicit, *fuisse duodecim angelos in eis*, quasi earum ianitores, quibus incumberet custodia earum, quas suis temporibus etiam aperirent. Etiam *Prælati* Ecclesiæ, Prædicatores, Confessarij, & Patres spirituales, sunt ianitores, quorum industria & directione aperit Deus istas portas. Et manibus *Sacerdotum* & Confessariorum claues regni cœlorum commisit ad remittenda peccata, & corpus eius consecrandum, & fidelibus distribuendum. Ad hos omnes ianitores dirigenda est petitio illa Dauidis, *aperite mihi portas iustitiæ*; accedendo scilicet demissè, & confidenter ad illos, vt in Dei nomine te inuent; vt cum fructu intrare possis per portas horum exercitiorum, præcipuam spem tuam in ipso Deo collocans, qui per suos ministros te dirigit.

5. *Gloria Dei noster finis.*

DENIQVE, cùm per aliquam ex his portis ingredieris; facies quod dixit Dauid; *ingressus in eas, confitebor Domino* constituens tibi ingressus tui & omnium exercitiorum tuorũ finem DEI tui *gloriam*, eiusque perpetuas laudes, absque aliquo alio fine terreno, desiderans Deum in te, & per omnes creaturas laudari: vitaque tua sit talis, vt omnes propter eam, illum glorificent.

Non tibi sed Deo.

ET quando fauorem aliquem eius in ipso ingressu experieris, debes eundem propterea laudare; & quicquid boni habes, ac recipis non tuis diligentijs tanquam tuis, sed diuinæ misericordiæ & liberalitati attribues. quæ tuæ miseriæ est compassa, concipiesque noua & feruentia proposita redeundi vt per easdem portas continuè ingrediaris, donec in fine vitæ ingrediaris per portas cœlestis Ierusalem ad videndum & fruendum Deo in eius gloria in æternum.

Finis primi Tractatus.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

DE PROVIDENTIA DEI, CIRCA COMMVNES TENTATIONES, ADVERSVS OMNIVM STATVVM PERFECTIONEM: Ac de ratione eisdem occurrendi.

CAPVT PRIMVM.

INDICANTVR SVMMATIM TVM DAEMONIS Tentationes, tum Dei ad easdem vincendas auxilia.

EST sanè admirabilis prouidentia diuina circa oppugnationes, ac tentationes contra vocationem & perfectionē Christianam insurgentes, tam in communi omnium Christianorum Statu, de quo in primo Tomo actum est, quàm in particularibus Statibus, & Officijs trium Rerum-publ. Sæcularis, Ecclesiasticæ, & Religiosæ: de quibus nunc agere aggredimur. Dei enim & hominum hostis Sathan habet quoque triplicem suam Rem-publ. ex quibus militum suorum exercitus, ad impugnandos Electos Dei educit. *Prima* ac præcipua eius Res-pub. est ipsius *Inferni*, vnde innumeros educit *dæmones*, omnium vitiorum tentatores. *Secunda* est ipsius *mundi* Res-pub. cuius ipse appellatur Princeps, in qua magnum habet canalium ac mundanorum *hominum* numerum, qui ad ipsius nutum mentemque deseruiunt. *Tertia* est aliquo modo metaphorica intra *abbreuiatum hominis*, eiusque carnis oirginali culpa infectæ *mundum*, in quo ingens est *imaginationum*, ac *passionum* agmen, virtutes ipsas oppugnantium. Sed prouidentia diuina admirabilem se planè ostendit: tum in hisce *conflictibus* permittendis, sine cuius licentia & permissione non licet ipsis tentatoribus in campum prodire: tum in *auxilijs* magnis contra eosdem prouidendis. Cùm & ipse triplicem suam Rem-

Respublica Dæmonis Triplex.

Christi triplex Respublica.

pub. habeat, ex qua milites conuocet. Vnam *Angelorum* in cœlo; alteram valdè electorum *ministrorum* in Ecclesia; tertiam *virtutum* in ipsius iusti spiritu consistensium: quas potentibus suis inspirationibus in ipso conflictu mirificè adiuuat.

Vt autem intelligatur, qua ratione totum hoc ipsum geratur, præmittendum est: tentationes, de quibus nunc agimus, esse res illas omnes, quæ dicuntur, aut fiunt, aut intra, aut extra ipsam animam geruntur: vt nos ad *peccandum*, aut vocationi diuinæ resistendum, ad non perseuerandum in bono, aut in bene cœptis non progrediendum, permouent. Et in hoc sensu ingens censeretur blasphemia, quòd Deus homines tentet. a *Deus* enim (vt S. Iacobus Apostolus ait) *intentator malorum est, & neminem tentat*, cum sc. ad aliquid mali, aut in malũ finem inducendo. Quòd si huiusmodi tentationes ei aliquando in sacra Scriptura tribuuntur, id fit, quia iustas ob causas, de quibus dicemus postea, illas permittit, faciens dæmoni potestatem illas proponendi. Qui dæmon in eadem sacra Scriptura per excellentiam appellatur b *tentator*, &c. *qui tentat*, ad significandum, hoc esse proprium ipsius munus, quòd perpetuò, astutè, valdeque ferociter exercet. Quam ferocitatem & astutiam nobis indicat, dum ipsum diuersis feris comparat, quarum feritatem & sagacitatem imitatur, aut figuras, ad nos oppugnandos inducere solet. d *Serpentis* enim figuram & speciem induit, vt primos nostros parentes aggrederetur. Et interdum (vt ait S Gregorius) illum comparat e *Behemoth*, quod est ferum quoddam terrestre animal; interdum *Leuiathan*, qui piscis est marinus: imò etiam f *volucribus* per aëra volantibus, ad significandum, quòd omne genus hominum persequatur, ac in omni vitiorum genere impugnet, occasione sumpta ex rebus omnibus, quæ in his elementis inueniuntur. Si verseris in terra, rebus ad vitam ducendam necessarijs occupatus, ibi inuenies *Behemoth* qui g *sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus*: vt ad sensuum carnisque delitias te alliciat: *protegunt enim vmbræ vmbram eius*: quia voluptatem ipsam contegit vmbra necessitatis. Si mare legere aut transfretare velis, vt maiores conquiras diuitias: occurret tibi *Leuiathan*, de n *cuius ore lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ & halitus eius prunas ardere facit*; vt cupiditatem foueat, teque totum accendat. Quòd si voles per aëra, honores ac dignitates quærens, sequentur te volucres istæ rapaces, vt te oppugnantes superbia, in abyssum culpæ detrahant. Et omnibus hisce tribus figuris crudeliter impugnat vocationes diuinas. semper enim (vt quidam Propheta dixit) est i *cibus eius electus*; quia valdè appetit, satagitque, eos deuorare, quos à Deo eligi videt, in quibus gratiæ suæ thesauros recondat. Qualis est autem eius cibus, talis etiam est pectus. Ferus enim hic *Behemoth* (ait ipse Deus) k *absorbebit fluuium, & non mirabitur*;

a *Iac.* 1. 13.

Dæmon tentator.

b *Matt.* 4. 3.
c 1. *Thess.* 3. 5.

d *Gen.* 3. 1. *Lib.* 33. *Mor* c. 14.

e *Iob.* 40. 10. 20.

f *Matt.* 13. 4. 19.

g *Iob.* 40. 16.

Luxuria.

Auaritia.

Hieb 41. 10.

Superbia.

i *Habac.* 1. 10.

k *Iob.* 40. 15.

rabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanus in os eius. Nam, vt S. Gregorius exponit, non magni facit, quod infideles absorbeat, & ambulantes l *per speciosam viam, quæ ducit ad perditionem*: sed omnes suos conatus eò diriget, vt etiam absorbeat accedentes ad sacri Baptismi Iordanem, & Pœnitentiam, vt peccatorum suorum maculas abluant. Et vix ipsas aquas contingere cœperunt, cùm maledictus hic piscis *Leuiathan*, qui ibi latebat, prodit ad eos deuorandos, sicut m *piscis ille immanis, qui exiuit ad Tobiam deuorandum, cum is ad fluuium Tigris* accederet, *vt lauaret pedes suos*. Singultus enim & lachrymæ, quas diuina vocatio efficit in ijs, qui conuertuntur, excitant hanc feram, de qua S. Gregorius, quòd dormiat, valdeque requiescat in peccatoribus, profundo suorum peccatorum somno sopitis. At quando Dei vocatio & pulsus eos excitat, vt ad nouam vitam resurgant: tunc ipsum Leuiathan prouocant, vt excitetur, & fortioribus tentationibus ac machinis in suo seruitio eos detinere contendat. Quid verò dicam de celeritate, qua hostes isti (quos Christus n *volucres cœli* appellat, eò quòd inde ceciderint, & in aëre isto hæreant) sequuntur gressus diuini seminatoris; vt statim atque vident sementem diuini verbi, hoc est, vocationem & inspirationem diuinam in hominis corde seminatam, rostris maledictis suæ suggestionis illam rapiant, ne fructus vllus sequatur.

Lib 33. Mor. c. 6.
l Matt. 7. 13. Dæmonis cibus electus.
m Tob. 6. 3.
Lib. 4. Mor. cap. 31. in id. Qui parati sunt suscitare Leuiathan.
n Matth. 13. 4. 19.

Sed præter hoc totum, quis varios modos referet, quibus dæmon in huiusmodi oppugnationibus & conflictibus vtitur? sunt enim proculdubiò innumerabiles, quamuis frequentiores sint *duo*, indicati (vt S. Augustin. aduertit) duobus etiam nominibus à sacra Scriptura inditis, quæ illum appellat *Leonem*, & *Draconem*. Leo, est in ipso impetu; Draco, in astutia & calliditate. Cùm intentant minas persequutionum, hostis est publicus tanquam *leo*: quando autem fraudulenter insidiatur, hostis est quasi *draco* occultus. Vt plurimum tamen vtrumque coniungit. Quamobrem de eo dixit Dauid, *quòd* o *sedeat in insidiis, & insidietur in abscondito, quasi leo in spelunca sua*: id enim (vt S. Gregorius ait) insinuat, quod pugnet aduersus electos *potentia*, & *fraude*: minis scilicet tormentorum, quibus debiles vincat; & rationibus, fictisque miraculis, vt simplices decipiat. Et hac ratione, quemadmodum dixit S. Petrus, p *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: vt infernalem suam ciuitatem repleat. Cùm igitur Spiritus noster regis instar suis potentijs ac sensibus præsideat, continuumque gerat bellum contra regem hunc filiorum superbiæ: opportunum erit, iuxta Christi Domini nostri consilium, diligenter attendere, quos habeat milites, quæ arma, & bellica instrumenta, quibus nos aggrediatur; simulque perpendere numerum, robur, ac fortitudinem militum, quos ex nostra parte habemus; armaque ipsa, quibus in nostri defensionem, eius verò offensionem

Præfat. in Psal. 69.
Dæmon leo, & draco.
o Psal. 9. 30. Lib. 32. mor. c. 12.
p 1. Pet. 5. 8.
Luca 14. 31.
Fœdus nullum cum dæmone.

nem vtendum sit. Si enim benè rem perpendamus nunquam erit opus, fœdus cum tanto hoste inire: sed magno & alacri animo eum aggredi. Si enim vires eius, naturales nostras superent: nostræ tamen supernaturales multis partibus eius vires excedunt: quare quòd multi ei succumbant, propterea euenit, quòd his viribus non vtantur.

§. 1. *Lustrationis vtriusq; effigies duabus S. Ioannis Euangelistæ visionibus delineatur.*

VTRIVSQVE huius *lustrationis* effigiem pulcherrimè delineatam habemus in duabus insignibus visionibus, quas habuit S. Ioannes Euangelista. *Prima* fuit in qua vidit *Luciferum*, qui alio nomine *Sathanas* appellatur: a *Ecce*, inquit, *Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem; & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* vt intelligamus, ferum hunc tenebrarum Principem, esse *Draconem*, non solùm *astu*, vt supra est dictum, sed etiam *veneno*, quo inficit animas: estque *magnus* propter altos spiritus, quibus iactat se omnibus superbiæ filijs præesse, ac regnare: est etiam *rufus* ob crudelitatem, qua effundit hominum sanguinem, vt delictorum sanguinem hauriens, ipsos peccatores deuoret. Ratio suæ *gubernationis*, *tentationum* instrumenta, & *milites*, ipsi, quos ex *triplici* sua execranda Re-pub. educit: optimè delineata sunt in monstroso eius corpore.

a *Apoc. 12. v. 9. S. Greg. libr. 22. Mo. c. 12 Lustrum Dæmonis.*

I.

S. Th. 1. p. q. 114. a. 1. Cassian. Col 8. c. 17. & 17. & 20.

SEPTEM eius *capita* indicant malignorum spirituum multitudinem: quorum opera ad nos aggrediendos vtitur, studens ipsius Dei gubernationem imitari: assignans (vt sentiunt sancti Patres) *singulos* dæmones singulorum hominum tentatores; & *peculiares* præterea dæmones, qui vehementiùs in peculiaribus vitijs eos oppugnent: ad quos superandos mutuò se iuuant. Horum autem præcipui sunt illi, qui circa *septem* capitalia vitia oppugnant: quibus maximam edunt stragem. Et, quoniam plurimas obtinent victorias, gestant in capitibus *diademata*. Quosdam vincit in materia *superbiæ*, & inanis gloriæ; alios in *gula* & *lasciuia*; alios in *ira* & *auaritia*; de aljs triumphat propter *inuidiam* & *acediam*: quos omnes per septem capitum suorum ora in execrandum suum ventrem traijcit, vt securiùs eos retineat, æternis posteà tormentis cruciandos. Septem his capitibus oppugnat etiam septem præcipuas vitæ Christianæ virtutes. Aliquando enim effundit suum venenum aduersus tres virtutes Theologicas, suggerens cogitationes infidelitatis, & obscuritatis contra *Fidem*; animi dejectionem, ac diffidentiam, contra *Spem*; odium & auersionem, contra *Charitatem*. Aliquando suum virus effundit contra quatuor virtutes Cardinales, vt *Prudentiam* obfuscet; *Iustitiam* peruertat; turbet *Temperantiam*; & abijciat ac debilitet *Fortitudinem*. Eisdem septem capitibus graue

7. *Vitia.*

7. *Virtutes.*

excitat

excitat bellum contra 7. Sacramenta, & Vocationes, quibus ad ea percipiẽda vocamur. Infideles aggreditur, ne *Baptismum* accipiant; reliquos peccatores, vt *Pœnitentiam* horreant; Iustos, vt fastidium ex *communione* concipiant; infirmos, vt extremam *Vnctionem* auersentur; alios deniq; Christianos, vt in *Status* electione aberrent; & Sacramentis abutantur, quæ ad bonam electionẽ diriguntur. Deniq; malignus hic spiritus contra 7. Spiritus S. dona pugnat, proijciens per 7. illa ora, verborũ sagittas in audientiũ corda, vt execrãdæ eius suggestionis bonũ fructũ impediant diuinarũ inspirationum.

7. *Sacramenta.*

7. *dona S. Spiritus.* 2.

Nec tamen draco hic pernicioſissimus satis sibi esse existimat, quòd per suos dæmones nos impugnet: sed 10. etiam *cornibus* se armat, quæ violẽtiæ & tyrannidis instrumenta significant. quibus contra 10. legis Dei *mandata* nos oppugnat: adhibens ad id reges, & principes, ac mundi huius potentes: quorum siue *minis*, siue *promissis*; tormentis, ac delitijs; opprobrijs & vanis honoribus, aliisq; mille violentiarum generibus vtitur, ad paruulos terrẽdos: vt præcepta diuina conculcent. Nihil enim aliud sunt tentationes, quã cornutæ huius feræ minæ, quę instar ferocis alicuius tauri eos vexat, ac perturbat, quos aggreditur, vt à bene cœptis desistant. Qua etiam ratione multas obtinet victorias. Quamobrem de alio monstro huic simili ait S. Ioannes, quòd b *haberet cornua decem, & super ea decem diademata.*

Decalogus.

b *Apoc.* 13. 1. 3.

Maxima verò huius draconis fortitudo est in *cauda*: quæ (vt ait S. Greg) vltima refert instrumẽta, quibus ad nos decipiendos vtitur: rationes sc. apparentes, ficta miracula, & vitia obducta siue latuata, adhibens ad id, genus illud hominũ, quos S. Ioan. *Antichristos* appellat, eò quòd ad similitudinẽ vltimi Antichristi oppugnẽt & aduersentur vero Christo in eius seruis; studẽdo eos fasis suis doctrinis, ac perniciosis hypocrysiæ simulationib. perdere; Adeoq; magnã efficit stragẽ, vt *tertiam* stellarũ partem in terrã deiiciat; aliquos etiam sibi subiiciens, qui d *fulgebant* quasi splendor firmamenti.

Lib. 32. *Mor c.* 14. c 1. *Ioann.* 2. 18 & c. 4. 3. *Hypocrisis.*

d *Dan.* 12. 15 4.

Sed, ne genus aliud armorũ silẽtio prætereamus, quæ draco in suo vẽtre inclusa tenet: ait enim S. Ioan. e *misisse eũ ex ore suo post mulierem*, quæ ex eius præsentia fugiebat, *aquã tanquã flumen*: Signũ igitur est, ipsum intra propriũ ventrẽ copiosas aquas habere, quas certis temporib. & occasionib. per *septẽ* ora sua emittat, ad persequendos, & à tergo impugnandos fugiẽtes apertos ipsius congressas. Quæ autem hæ sunt aquæ, nisi *persecutiones*, tribulationes, ac tentationes, quas simul, & quasi in cumulo contra Iustos iaculatur, vt eos submergat: & quos *apertè* aggrediẽdo, superare non potuit: eos proditoriè, & à *tergo* inuadens, quasi non timentes prosternat? in quẽ finẽ aliquãdo vtitur multitudine populi f *aquæ* enim multæ, ait S. Ioannes *sunt populi* multi, communi voce fauẽtis vitio, & tanquã virtutẽ approbantis. Aliquando etiam coniunctissimis sibi *amicis* vtitur, quos intra ventrẽ suum secum

e *Apoc.* 12. 15.

Exemplum malum.

f *Apoc.* 17. 15.

vni-

vnitos habet, execrando suo igne accensos, & inflammatos: qui detestandæ ipsius sapientiæ sectatores facti, eam tanquam *aquam* propinant, & audientes suffocant. Nullus denique tentationum eius impetus euadere potest. *Variæ tentationes.* *Tepidos* enim per terram repentes, suis oribus mordet, aut cornibus ferit: altius verò se *erigentes*, sicut stellas cœli, furiosa sua cauda percutit, vt deijciat ad terram: in eos verò, qui ipsius præsentiam fugiunt, mittit magno impetu vehementem *fluuium* tentationum: vt in cursu hærere faciat, & submergantur. Hæc est horrenda figura Luciferi, eiusque corporis mystici; quæ est congregatio dæmoniorum, & insignium peccatorum, qui eius sunt ministri ad aggrediendos & peruertendos cæteros homines. Et cum toto hoc bellico apparatu collocauit se (vt ait S. Ioannes) *coram* cœlesti quadam g *muliere*, quæ referebat Ecclesiam, & fidelium congregationem: & *habens in vtero clamabat parturiens.* Duo autem ille intendebat: matrem scilicet terrere ne, parere auderet, existimans minus malum non parere filium, qui mox futurus esset adeò feri draconis esca: illa autem non pariente, ipse sui fiebat voti compos: siquidem necesse erat *filium* in matris vtero remanentem mori; ac proinde etiam ipsam *matrem*. Quòd si tamen illa pareret: contendebat ipse *filium* natum statim deuorare; ita vt ex materno vtero prodeuntem in suum ipse per os aliquod ex suis traijceret. ex quo facilè intelligitur studium ipsius Sathanæ in suis tentationibus contra Dei *vocationes*: quæ sunt *semenis*, in cuius virtute *concipit* homo, & spiritualiter in anima sua generat Christũ, vt viuat intra ipsum per viuam fidem & Charitatem; aut etiam in aliquo statu perfectionis. Tunc autem illum *parit*: cùm bonum suum conceptum, & internum sensum bonis externis operibus manifestat. Et quoniam hoc totum fit gemitibus, partusq; doloribus, etigitur hæc fera ad hunc fructum ita impediendum, vt *non prodeat* in lucem; aut, si prodierit, mox pereat. Ipsos quoque Euangelicos ministros, quorum officium (vt ait Apostolus) est, spirituales h *filios parturire donec* in eorum animabus *Christus* ipse *formetur*: illos, inquam, etiam deterret: vt ab officio desistant, aut eo minus rectè fungantur: quò insurgentes contra se persecutiones euadant, quemadmodum alibi est dictum.

g *Apoc.* 12. 1.

Dæmonis æstus & sæuitia.

Christum concipere & parere quid?

h *Gal* 4. 19. *Mercenarius. Ducis Spirit. Tractat.* 4.

§. 2. *De bellico apparatu, quo nos prouidentia Diuina ad resistendum Draconi præmunit.*

Lustrum Christi.

VIDEAMVS nunc bellicum apparatum, quo nos prouidentia diuina præuenit, & ad resistendum draconi præmunit. Id enim eleganter exprimitur in mystica illa a *muliere*, quam diximus. *Quæ apparuit in cœlo amicta Sole, & Luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim*, quo ornatu significantur *milites*, *arma*, & spiritualia auxilia, quæ habet

a *Apoc.* 12. 1.

my-

mysticum Christi Domini corpus: hoc est ipsi Christiani, ad resistendum Dæmonibus. Nam, esto Draco ipse sit magnus: hæc quoque sancta mulier est in oculis Dei *magna*, adeoque excelsa, vt eius habitatio in ipso sit *cælo*; & pedibus insistens *Lunæ*, attingat capite cœlum ipsum *stellarum*; quam ipsius sponsus admirandis ornamentis; non terrenis sed cœlestibus, in omni virtutum genere exornat. Quod si Draco *rufa* naturæ suæ pelle cooperitur: hæc mulier à capite vsque ad pedes tanquam pallio quodam operitur ipso *Sole* iustitiæ, cuius protectio est illi fortissimæ *loricæ* instar aduersus omnes ictus, & impetus hostium suorum. Cùm igitur S. Iob dixerit b *pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*: quomodo timebit Draconem, qui est adeò prope ipsum Deum, vt ab eo tanquam pallio cooperiatur? & qui poterit tentationis *sagitta* eum lædere, si protectio diuina tanquã *lorica* illum defendit? cur timebit decem Draconis cornua, qui protegitur a Sole, cuius radij sunt tanquã ignis? c *ego* (dicit ipse Dominus) *ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* qui hostes capere poterunt ciuitatem, cuius mœnia non sunt ex terra aut lapide, sed ex *igne* horrendo? Sit igitur Deus ipse talis est tibi murus, & mœnia: idem glorificabitur in te ob tuam victoriam. Quid ergò dicemus de corona duodecim stellarum, quæ exercitum significat innumerabilium *Angelorum*, circumstantium ac protegentium iustos; vt triùmphent de Dracone, & glorioſas victoriæ coronas obtineant? hoc confirmat quod subijcit S. Ioanes: d *& factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone; & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* vicerunt ergo Angeli Draconem, qui infestabat mulierem. Et Dauid ait e *Angelos custodire nos in omnibus viis nostris, vt super Aspidem & Basiliscum ambulemus, & conculcemus Leonem & Draconem.* Hoc est, vt omne genus Dæmoniorum superare possimus: siue qui interiores aures nostras tanquam *Aspides* obdurant; & qui tanquam *Basiliſci* ad curiositatem nos impellunt, aut qui ad superbiam tanquam *Leones*, aut ad hypocrisin, tãquam *Dracones* instigant: nam contra omnes huiusmodi hostes remedia nobis Angeli inspirant, quibus victores euadamus. Eandem Ecclesiam coronant etiam *duodecim stellæ*, viri scilicet Apostolici: quorum munus est, eos, qui impugnantur, adiuuare, monitisq, & orationibus defendere, animumq; illis addere, vt viriliter agẽtes, victoriam reportent. Si enim f *lectulum Salomonis sexaginta fortes* ambiunt, ex fortissimis Israel: cùm anima iusti sit lectulus, in quo requiescit Christus: quid mirum, si eam ambiant Angelorũ & *Apostolorum* exercitus, qui quòd videant, aut contemplentur Deum, appellantur *Israel*: suntq; fortes coram ipso, *duodecim* quoq; aliæ *stellæ* eius caput coronant: quæ sunt omnium cælestiũ *virtutum* exercitus, porentium destrue-

Mulier.

1.

Magna.

2.

Sol amicta.

b *Iob.* 17. 3.

c *Zach.* 2. 5.

3.

Corona stellarum 12.

d *Apoc.* 12. 7

Angeli.

e *Psal.* 90. 11.

Varia dæmonia.

Apostoli.

f *Cant* 3. 7.

Virtutes.

re exercitum vitiorum; & glorioſiſſimas ex hac pugna coronas obtinere. Quãuis enim *vitia* ſint hoſtes valdè robuſti, & importuni ob *affinitatẽ*, quàm habent cum *carne*: *virtutes* tamen ſunt ex ſe robuſtiores eò quòd *Spiritu* ſint quaſi *connaturales*. quas etiam Deus ſupernaturalibus alijs corroborat, quæ à diuina ipſius gratia procedũt. Et quamuis g *Draconis cauda* adeò ſit potẽs, vt *tertiam ſtellarum partem* deijciat: nunquã tamen duodecim illas attinget, quibus coronatum eſt g *Eccleſiæ caput Chriſtus* Dominus noſter: qui corona eſt inſigniũ horum virorum, & omniũ ipſum cum perfectione imitantium: qui boni diſcipuli (vt ait Apoſtolus) gloria ſunt & h *corona* ſui magiſtri. Quis verò eſt, qui coronam in capite geſtans, eam non defendat? quod ſi hic ipſe Dominus voluit in hac vita, infixis capiti ſuo ſpinis coronari, ad ſignificandã regni ſui ſtabilitatem & firmitatem: quanto magis ille, volet iuſtos, qui viuum ſunt ipſius regnum, & quos harũ ſpinarum ſanguine ſibi cõparauit, eſſe tanquam ſtella fixas, ita vt draconis ipſius furia ad eas nec accedat, neq; deijciat? propterea enim de ijs loquẽs, quos Pater illi dedit, dixit: i *nemo rapiet eos quiſquã de manu mea*. Contende igitur, vt ſis *corona Chriſti*: ita viuẽs, ſicut ipſe vixit: & ille te proteget à dracone eiusq; oppugnationib⁹ & impulſibus.

g *Apoc.* 12. 4

g *Eph.* 1. 22. h *Phil.* 4. 1.

Iuſtus corona Chriſti.

i *Ioan.* 10. 28.

4. Quod ſi aliam myſticæ huius mulieris ſtabilitatem ac firmitatem cognoſcere velis: aſpice baſim & fundamentum cui pedibus innititur, *Lunam* ſcilicet: quæ, quà pulchra, & plena ſemperque duratura, Symbolum eſt throni Ieſu Chriſti, de quo æternus Pater per os Dauidis dixit: k *thronus eius, ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum*. Quis verò thronus hic Chriſti, niſi *Virgo* ſanctiſſima? in cuius vtero clauſus manſit filius Dei nouem menſibus; quem per plurimos dies in ſuis etiam vlnis geſtauit: obitque Lunæ officium in Eccleſia; quam, ſicut *baſis columnam* ſuper ſe collocatam, ſuſtentat: ſua enim interceſſione ſtabilitatem hãc aduerſus omnes tentationes impetrat, ita vt ab ſtatione ſua deijcere eam non poſſint. Eidem Virgini innititur firmitas & conſtantia iuſtorum: in qua illi affectuum ſuorum pedes, omnemque ſpem pericula feliciter euadendi collocant. Eſt autem inſignis honor huius Virginis, quòd hoc erga Eccleſiam præſtet officium, vt in terra eam ſtabiliat ac firmet, & poſteà in cœlum transferat; cuius ſubſidio pretioſam veſtem, & coronam, qua eſt exornata, conſeruat.

k *Pſal.* 88. 38.

B. Virgo Luna & Thronus Chriſti.

5. Nec tamen finis hic eſt apparatus & ornamenti cæleſtis huius mulieris, ad reſiſtendum draconi: ſunt enim aliquæ tentationes *fuga* vincendæ, non ex puſillanimitate, ſed quòd hic ſit aptus pugnandi ac vincendi modus. Ad id igitur ſua etiam arma habet. ait enim idem S. Euangeliſta: l *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum*, quem Deus illi ad ſecuritatem ſuam præparauit. Quæ autem ſunt hæ *duæ alæ*, niſi duæ notitiæ & cognitiones, quę principium ſunt bonorum operum, & vi-

l *Apoc.* 12. 14.

Peccandi occaſiones fugendæ.

ctoria-

ctoriarum contra tentationes? *cognitio* scilicet Dei, *Christique* Domini nostri, à quo certissima speramus auxilia; & propriæ nostræ *debilitatis*, ac omnium miseriarum, propter quas non sufficimus absque Dei auxilio (quod vnicum est earum remedium) nobis subuenire: ex quo affectus oriuntur demissionis ac *diffidentiæ* propriæ, cum magna tamen *fiducia* de misericordia & omnipotentia diuina. His duabus alis Iusti fugiunt draconem, quando ad eundem vincendum expedit fugere: deserendo scilicet *peccandi occasiones*, quæ sunt in mundo; & volando in desertum, ad spiritualem *quietæ* vitæ *solitudinem*, à prauis societatibus remotam. & nonnunquam ad solitudinem vitæ *religiosæ*, in qua maior est securitas. Ne tamen draco *fame* illos capiat, ac vincat: prospexit etiam diuina prouidentia insigni huic mulieri de alimento. Addit enim Euangelista, quòd in loco illo *alitur a facie serpentis*: contra eius scilicet furorem. Quia duas illi suauissimas mensas sternit: mensam scilicet Sacræ Scripturæ de qua Dauid: m *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*; & mensam Sanctissimi altaris Sacramenti. cuius esca (vt S. Chryso. dixit) tanquam Leones nos reddit fortes, ipsisque Dæmonibus terribiles.

Denique, quoniam pauperum, debilium, & afflictorum remedium est, auxilium a *potentibus* petere: de hoc etiam remedio prospexit Deus Dominus noster Ecclesiæ suæ: aperienti.n. os suum in oratione, ad hoc auxiliũ petendũ, semper Deus mittit valdè copiosũ, vt hic apparet: eius enim mandato n *adiuuit terra mulierem fugientem, & aperuit terra os suũ, & absorbuit fluuiũ, quod miserat draco de ore suo.* Omnes enim *creaturæ* obediunt suo Creatori: quarũ operatur Deus, vt suos adiuuet electos; & à persecutionibus ac tentationibus, quib. affliguntur, eripiat. Quod si naturalia media ad id nõ sufficient, addet etiã *prodigia*: constituendo, vt ipsa terra aperiatur, & ipsos persecutores ac tentatores viuos absumat. & sic maneat Ecclesia ipsa libera, & ab eis secura.

Hvivsmodi autem auxilijs, quid mirum, quod n *mulier* omni draconis timore deposito, *pariat filium masculum* quem in suis gestabat visceribus? & cur non sit securus filius, *qui*, antequam draco nocere ei posset, *raptus est ad Deum, & ad thronũ eius*? An non aperte nobis significat: iustos, huiusmodi auxilijs roboratos, *opere* ipso exequi bona proposita, quæ *conceperant*, non attendentes ad terriculamenta sibi à dæmone opposita? sciunt. n. se Deo esse curæ, qui bona ipsorum opera sit promoturus, & ad se accepturus, recipitq; in se, præmiũ pro eis in throno suæ gloriæ redditurũ. Qui iusti, si ex officio ipsis incumbat *saluti proximorũ* attendere, etiã non abijciunt animum, ob timorem draconis, sed potius studeant viros generare perfectissimos: plrimũ confidentes, quòd æternus Pater rationem illorum sit habiturus, & in loco tuto eos collocaturus: vbi etiamsi oppugnentur, nõ expugnentur tamẽ.

Duplex cognitio Dei & nostra.

6. *Mensa duæ cælestes.*
m *Psa.22.5. Hom. 61. ad pop.*

7. *Dominus auditor inopum.*
n *Apoc.12. 6.*

n *versu 5.*

Deus iuuat propria & aliena salutis amantes.

Hæc summa est *tentationum* Satanæ, & *auxiliorum*, quæ ad eas vincendas habemus: quarum fusior explicatio in huius Tractatus progressu ponetur.

Lib. de perf. Spirit c. 94.

Hvic verò capiti finẽ imponamus insigni quodam documento, quod S. Diadocus Phontensis Episc. tradidit, dicens: omnes has dæmonis ac ministrorum eius tentationes, & persecutiones, esse *Secundum martyriũ Confessorũ*, quod antiquorum *martyrũ* cruciatibus & martyrio succesſit. Idem enim dæmon, qui per Tyrannorũ & carnificũ ora dicebat martyribus, vt Christum abnegarẽt, horrendis eos crucians *tormentis*, nisi facerent: idẽ nũc per occultas suas *suggestiones*, & per *os* mundanorum hominum dicit, vt eundem Christum operibus abnegemus: crucians nos varijs tribulationibus: vt si non fidem, saltem Charitatem & Christianam perfectionem abijciamus. Quamobrem plurimum (inquit) refert, valdè cautè, & patienter conscientiæ nostræ martyrium tolerare, & constantes esse in bono testimonio, & confessione ipsius Christi, dum tot nos vrgent tentationes. Siquidem etiam in his occasionibus locum habet, quòd ipse Christus dixit, o *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, & p *coram Angelis eius*. Si enim magna erat Christi gloria, quòd *martyres* eius fidem coram Tyrannis confiterentur, etiam cum iactura facultatum, honoris, & vitæ: etiam cedit in magnam eiusdem gloriam, quòd *iusti* fidem seruent, & Charitatem cum magna fidelitate, in despectum dæmonis, & ministrorum eius eligentes potiùs omnia sua amittere, etiam vitam ipsam, ne ipsum opere aliquo abnegent. quamobrem digni sunt, qui coram Deo honorentur: sicut è contra confundentur, ac damnabuntur, qui in hoc martyrio & confessione, adeò glorioſa, ex animi abiectione deficient.

Secundum martyrium Confessorũ.

o *Matt. 10 32.*
p *Luc. 12. 8.*

CAPVT II.

DÆMONIS TENTATIONES A DIVINA PROVIdentia limitari in magna Electorum commoda: & quænam hæc sint.

Dæmon multos superat.

DÆMONIS ferocitas, ac tentationum *terribilitas*, de quibus diximus, nouæ cuiusdam tentationis adferunt occasionem. cõque tuntur enim tentati de DEO D. N. quòd astutum adeò, ferumque *draconem* cum horrẽdis adeò armis permittat homines adeò imbecilles aggredi, & oppugnare: cùm doceat experientia, innumeros succumbere, pauciſſimos verò victores euadere. Verùm huius querelæ fundamentum faailè euertetur, iacto verissimo alio fundamento: quòd omnes in vniuersum feræ huius tentationes à paterna Dei nostri prouidentia limitẽtur, & intra certos terminos ab ipsa præfixos contineantur. In quare infinitam suam sapientiam, omnipotentiã, & charitatem manifestat. Quare neque error aliquis, aut culpa; aut crudelitas, aut defectus amoris; inordinatio, aut alius defectus in ea facultate & permissione, quã Deus prescribit

Nil potest absque Deo.

inue-

inueniri potest. Nam huiusmodi defectus non potest ab *ignorantia* procedere: cũ Deus sit infinitè sapiẽs: sintq; ei manifestæ omnes Sathanę *astutiæ* quantisq; viribus polleat; & exiles nostræ *vires*, ad ei resistendum; & *auxilia*; quæ nobis dare potest ad eum superandũ: Nec ea auxilia offerre negliget ex *imbecillitate*: cùm sit infinitè potens, ad quæcunque voluerit: sine cuius nutu & facultate Dæmones: quantũuis feroces appareant, nihil omninò possunt; cum ipsius verò auxilio homines, etiam debilissimi, possunt omnia: & eadẽ facilitate potest debilis fortem quemuis superare, qua robustus debilem: nã per inermem a *pastorem* vincit multis armis munitũ *Gigantem*; & iacto *vnico, lapide*, integram deijcit turrim carneam; cuius proprio a *gladio præcidit capiti eius*. & quoniam, quod quis aliquid possit, nihil valet, nisi etiam velit: nõ potest deesse DEO *voluntas* auxilium suum omnibus dandi, cùm sit ipse infinitè bonus, ac beneuolus: ad cuius bonitatẽ pertinet, cùm tentationes permittit, sufficientia subsidia ad eas vincendas, & vtilitatem ac fructum ex eis capiendum conferre. Nam, vt S. Augustinus ait: tanta est DEI bonitas, vt nũquam hæc mala permitteret, nisi sciret, ac posset maiora ac præstantiora bona ex ijs elicere pro suis Electis. Et propterea dixit Apostolus b *fidelis est Deus qui non patitur vos tẽtari supra id quod potestis; sed faciet etiã cum tentatione prouentum*. Dicit autem: Deum in hoc esse *fidelem*: quia facit iuxta ea, quę faceret qui esset talis, atque ipse est; & quod bonitati suæ, verboque & promissioni nobis factæ debet. Ad hanc igitur fidelitatẽ spectat, non facere dæmoni potestatem in ea extẽsione, & plenitudine, quam ipse petit ac desiderat: aggrediendi quoscunque, & quocunque tempore, & loco, ac modo, quo ipse vellet; sed cum eo termino, ac limite, quem ipse Dominus præscribit. Quemadmodum patuit cum facultatem petijt aggrediendi ac vexandi S. Iob: quã bis limitauit, & in ipso modo eam facultatem petendi, ostendit, se aliàs habere ligatas manus. dixit enim Deo, c *Extende paululum manum tuam*. quasi diceret: manu tua meam comprimis, & tua potentia contines meam: laxa itaque paululum manum tuam, vt possit mea liberè eum aggredi: & videbis, an, sicut antea, benedicet tibi. Cui primum respondens Deus, permisit *extendere manum suam ad cuncta, quæ Iob possidebat*: quia *ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantum ne in eum extendas manum tuam*, quam voluit DEVS ad id esse ligatam. Ex quo colligit S. Augustinus, dæmonis *voluntatem* semper esse malam, *potestatem* verò semper esse bonam: quia est potestas ab occulta Dei prouidentia, iusta tamẽ, concessa. Et hoc modo Christus Dominus noster corripuit superbiam Pilati dicentis: d *potestatem habeo crucifigere te* dixit enim ei Christus: *non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Quod etiam S. Gregorius confirmat, dicens Satanæ *voluntas* semper iniqua est: sed nunquam *potestas* iniusta: quia à semet-

Deus sapiens,

Potens.

a 1. *Reg.* 17. 49.
a1. *Reg.* 17. 51.

Bonus. in Enc. c. 11.

c 1. *Co.* 10, 13 *Fidelis.*

Iob.
c *Iob.* 1. 11.

Dæmonis mala voluntas, bona potestas. Præf. enar. ratio. 2. *ad Asaf.* 29.

d *Ioa.* 19, 11.

lib. 2. *Mor. c.* 6.

ipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem: & quod ipse faceret, nisi quæ appetit, hoc DEVS fieri, non nisi iuste, & ob aliquos diuinæ suæ gloriæ fines, permittit. Quare addit (idem Sanctus) formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet: ille autem est timendus, & honorandus, eidemque seruiendum; cuius est potestas, & cui dæmon ipse paret, & obsequitur in eo, quod sibi permittitur. Non igitur est, cur nimium draconem hunc timeas, qui absque DEI voluntate, nec *septem* capitum oribus mordere, nec *decem* cornibus lædere, nec ferocem *caudam* mouere, nec aquarum *flumina* per execrandum os suum mittere potest: eò quòd ad hæc omnia ligatus sit ab Omnipotentia diuina. hæc igitur est timenda ne illum in tuum damnum, prauæque vitæ punitionem soluat. Si esset prope ingens aliquis ac ferox Gigas cum gladio vaginæ incluso; & ex parte altera magnus aliquis tuus amicus Gigante ipso potentior, qui brachium eius contineret, ne gladium posset euaginare, nec se loco mouere: non esset certè cur Gigantem timeres sed operam dares vt potentis adeò amici gratiam conseruares. Talis igitur est ferocis *Behemoth* potestas, de quo in libro Iob: quod sit e *principium viarum Dei, & qui fecit eum applicabit gladium eius.* quæ sententia nobis significat: quamuis eius potestas ob generosam & robustam naturam, quã accepit à creatore, magna sit: totã tamen illã tanquam *gladium* esse *vaginæ* inclusum, qui absque creatoris licentia nec extrahi, nec vsui esse possit: non solum ad nocendum hominibus, qui sunt imago DEI; sed nec ad ingrediendum e *in gregem porcorum.* ne te huic gregi per imitationem bestialis vitæ coniungas: & non erit cur Dæmonem formides, ad ipsum enim DEVM spectat eum infrœnare, potestatem ei facere gladium euaginandi: vt impugnet homines intra limites à sua diuina prouidentia designatos. Sed quoniã hæc prouidentia variè splẽdet in varijs tentationũ euẽtibus, aperiemus in particularia aliquos magis præcipuos.

Deum time.

e *Iob.* 40. 14.

Dæmonis gladius in vagina Dei

e *Mat.* 4. 1. *S. Greg l.* 32. *Mor. c. vlt.*

§ 1. *Prædicta confirmantur adductis in medium aliquot iustorum exemplis.*

INCIPIAMVS à Iustis destinatis ad cœlum, & per *Iacob* significatis de quo ait Sapiens, quod a *certamen forte dederit illi, vt vinceret*: & ipsa experientia *sciret quoniam omniũ* hostium *potentior esset* diuina *Sapientia.* Siquidem adeò facilè, & per homines alioqui imbecilles, gratia tamen ipsius corroboratos, oẽs illos vincit; quorũ fortitudinem, quia apprimè nouit, vult probari, vt adhuc magis perficiatur. Et quoniã dæmon non audet eos aggredi timens succumbere, solet ipse Dominus aliquid insinuare, quo ille facultatem sibi dari petat ad gladium in illos euaginandũ quia nouit Dominus, euasuros illos victores. Eo. n. spectabãt verba illa Dei ad Satanã: b *considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra*? quid. n. aliud insinuare Deus voluit, quã ipsum Saranam inuitare, vt Sancti Iob sanctitatis aliquã sumeret ex-

a *Sap.* 10. 12 *Iacob.*

b. *Iob.* 1. 8.

perien-

perientiã: ad quod ipse Satanas facilitatẽ peteret: vt suis eũ tentationib. aggrediẽs, magnas eius virtutes agnosceret. Nouerat benè Deus (ait S. Gregorius, (Sanctũ Iob victorẽ ex ea pugna euasurum, propterea. n. illũ corã ipso eius hoste laudauit, vt solita sua inuidia excitatus, optaret crudeliter eũ aggredi: qua occasione Iob multò amplio proficeret tali obtẽta victoria. Nec exiguũ existimat Cassianus profectũ esse, quod quis ita dexterè vtraq; manu pugnare discat, saltẽ ne Satanas dicat: c *nũquid Iob frustra timet*, aut *colit? Deũ* quasi nõ ei seruiret, quòd sit DEVS; sed quòd blãdè ab eò tractetur, bonisque plurimis repleatur. Vt igitur hũc dæmõ deponat errorẽ, iustusque intentionẽ suã, qua Deo seruit, aperiat, aut purificet, & perficiat, permittit ipsum tẽtari, & aliquam ei euenire persecutionẽ, nã, si etiã tũc sit constans firmusq; in DEI obsequio, ostẽditse illũ, diligere, eiq; seruire, non quòd blãdè suauiterq; ab ipso tractetur; sed quod ipse tali obsequio, amoreq; sit dignus. ADDE, quod, hoc cõflictu accedẽte maiores in humilitate iaciat radices; & agnoscat, quãtoperè Dei auxilio indigeat, & ab ipsius misericordia dependeat; clareq; aduertat imbecillitatẽ propriã. Nã, vt S. Greg. ait, nemo vires suas in pace agnoscit: &, si bella desunt, virtutum experimẽta non prodeunt. Improuidus, miles est, qui fortẽ se in pace gloriatur, & propterea aptè dicitur in Iob d *tabescet caro illius, & ossa, quæ tacta fuerant, nudabũtur*. cũ enim flagellis premẽtibus, exterior omnis Iusti voluptas ãtteritur: internæ fortitudinis & reliquarũ virtutũ ossa nudantur. PRAECIPVE autem id euenit in aliquibus virtutibus, quæ nõ possunt heroicos suos actus, nisi in medijs tẽtationibus manifestare. Perfectissima *castitas* in medijs maximè flammis resplẽdet; heroica *fiducia*, in maiorib⁹ periculis; firma *fortitudo*, in timoribus; profunda *humilitas*, in opprobrijs; & inuicta *patientia*, in grauissimis calamitatibus: quæ omnia adferũt tẽtationes, &, quod plus est, plurimũ conferunt ad ipsasmet virtutes cũ maiori excellẽtia cõparandas. ac propterea Christus D. N. Sanctæ *Catharinæ Senesi* dixit: quãdo quis ab ipso petit castitatẽ, aut aliã virtutẽ: se permittere, ipsũ grauiter contra ipsã virtutẽ tentari nãtentationem impellere ad orandum, variaq; media queréda, actusque exercẽdos, quibus eadẽ virtus citiùs ac solidiùs comparetur. Quid verò dicã de experimentali scientia multarũ rerum magni momenti, quæ in huiusmodi cõgressib. addiscuntur? quãobrem dixit Sapiẽs: e *qui nõ est tentatus, quid scit?* quomodo sciet tẽtaris cõsulere, pericula eorũ præuenire, eosq; adiuuare, & illis cõpati? Ipse itẽ Saluator mũdi voluit, (vt ait Apostol.) tentationes experiri: vt in ijs disceret f *eis, qui tẽtantur, auxiliari*: nõ quod ipse experientia op⁹ haberet. sed vt nos intelligeremus, quãtoperè eis indigerem⁹; & crederemus, ipsù g *cõpati infirmitatibus nostris*, ex ijs *quæ* ipse g *passus est*. Et propterea perpendit Scriptura diuina h DEVM *reliquisse Cananæorum & Philistino-*

Deus Satanam inuitat ad tentandũ fortes.
Lib. 2. Mor. c. 5.
1.
Colla 4. c. 6. c Iob. 1. 9. Lxx. legunt: colit. Iusti sunt ambidexiti.
2.
Tentatio illuminat. Lib. 23. Mor. c. 18.
d *Iob. 33. 12*
3.
Virtutes perficit.
In visa eius
4.
rudit. Eccl. 34. 9.
1.
f *Heb 2. 18. g Heb. 4. 15. 2. c. 5. 8. Iud. 3. 1.*

listinorum gentes in terra promißionis; *vt in ipsis erudiret Israelem* in virtutum scientia, & discerent orare, & in DEO confidere; otiositatem excuterent, essentque periti pugnandi: vt se ab hostibus defenderent. Qui fructus & alia maiora commoda cessarent: si pugnæ illæ non essent imò periculum immineret, quæ obtinuissent amittendi. NIMIA enim pax securitatem nimiam generat, quæ mater est negligentiæ, quam sequitur tepiditas, & hanc perditio. Quemadmodum sæpè docuit experientia in primæua Ecclesia: quæ, cùm pax erat, remittebat feruorem; qui, obortis tentationibus, crescebat: virtusq; erat multò perfectior. HAEC omnia pulcherrimè declarauit ipse Dominus, dicens apud Zachariam: i *partes duæ in terra dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum: & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam populus meus es; & ipse dicet*: *Dominus* DEVS *meus*. quid autem tota hæc sententia significat, nisi quod si *duæ* partes hominum culpa sua peribunt, *tertia* Electorum saluabitur, purgata prius in igne tentationum & tribulationum; quemadmodum argentum, & aurum ex igne magis pura & splendentia prodeunt. Et hac ratione magna erit ipsorum cum DEO familiaritas in *oratione*: & ipse DEVS gloriabitur, quod talem habeat populum, & tanquam rem suam tractabit: ipsique exultabunt; quod talem habeant DEVM: cuius obsequio se totos consecrabunt. O felicem tentationum *ignem*; in quo iustus tanquam aurum purificatur, & perficitur, abijciens à se omnem vitiorum scoriam; liquescit tanquam argentum, ac feruentibus affectibus emollescit, & quasi k *holocausti hostiam* Deo offert, consumptis in se inordinatis ad creaturas propensionibus: vt totum suum amorem dirigat ad Creatorem, ascendens *thuris* instar in altum, vt suam conuersationem habeat in cœlis. l *Proba me Domine & tenta me: vre renes meos, & cor meum*: bonum enim mihi est vt tenter, & m *igne examiner, sicut examinatur argentum*. Siquidem ex eo ad tantam me deducis quietem. n *Omne gaudium mihi esse existimabo* (vt San. Apostolus Iacobus dixit) *cum in tentationes varias incidero*, sciens, te eas ad meam in fide probationem dirigere, & ad patientiam exercendam: vt maiorem obtineam puritatem, & quasi compendio quodam ad perfectionem perueniam.

5. *Pax periculosa.*

6. i *Zach.* 13. 8.

Tertia pars vix. nec sine tentatione saluatur.

k *Sap.* 3. 5.

l *Psal.* 25. 2.
m *Ps.* 65 10.
n *Iac.* 1. 2.

Tentationis vtilitas.

I

Electi aliquando ad horam succumbunt.

o *Luc.* 22. 31.

SED non omnes *Electi* statim per tentationes hæc bona consequuntur. NAM DEVS D.N. dat aliquãdo licentiã Satanæ, vt illos aggrediatur, etiamsi videat, illos vincẽdos: quãuis in eũ finẽ lapsum illũ permittat: vt maiores ex eo hauriant vtilitates. Quemadmodum videre licet ex eo, quod noster Saluator nocte ante suam Passionem Sancto Petro dixit o *simõ, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cibraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: quibus

ver-

verbis, ait S. Ambrosius, significari, Dæmonẽ facultatem petiuisse aggrediẽdi Apostolos, & hinc inde magna vi illos gyrandi, ad eũ modũ, quo triticum *cribro* in gyrum mouetur, vt à sordibus perpurgetur; & hanc facultatem illi fuisse concessam, etiamsi multi illorum ea tentatione essent vincendi. At ipse Dñs, qui occultis suis iudicijs nõ rogauit, ne tentarentur, & propter scãdalum, quo affecti fuerunt, dispergerentur: orauit, vt illa tentatio in maiorẽ ipsorum vtilitatẽ cederet, essetq; illis tanquã cribrũ ex vsu, vt magis purificarentur. Ex ea enim surrexit *S. Petrus* multò humilior & cautior; atque magis *attentus* ad sibi in cauẽdis occasionibus prospiciendũ; magisq; *feruens* ac zelosus in obsequio Domini, qui culpam illi remiserat; magis *compatiens* fratribus suis, vt lapsos erigeret, & firmiores postea starent. Similem quoque fructum reliqui *Apostoli* ex hac cribratione acceperunt, excepto Iuda: nam p *impii*, ac reprobi *tanquã puluis sunt, quẽ proiicit ventus à facie terræ*: pereuntq; ab Ecclesia in æternũ excluſi, iusti autem tanquam solidũ q *frumentum* permanent (vt dixit Amos Propheta) in ipso *cribro*, & quamuis *concutiantur*, & iacturam aliquam faciant: illa tamen breui tẽpore durat, & ita reparatur, vt in maiorem soliditatem ac firmitatem conuertatur. In quibus impletur, quod ipse Dominus per Isaiã dixit: r *ad punctũ & in modico dereliqui te & in miserationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abscõdi faciẽ meam parũper à te, & in misericordia sempiterna miserius sum tui.* Desertio enim breui tempore durauit, vt suam imbecillitatem agnoscerent: *misericordia* verò fuit perpetua, quæ ad maiorem illos firmitatem erexit. quòd abscõderit faciem suam, ex *indignatione* fuit, parumper: cui tamen adiuncta fuit *misericordia* quæ eò tendebat, vt illi miseriam, quam ex seipsis habebant agnoscentes, magis ei Domino afficerentur, qui poterat ab illa liberare.

Lib. 1. de Vocat. Gent. c. vlt. & S. Cypr. lib. 4. epi. 4.

Cribrũ purgat triticum pulverem abijcit.

p Psal. 1. 14.

q Amos. 9. 9

r Isai. 54. 7.

Deus ad tẽpus deserit.

Ex his colligere licet præclaram aliam causam, cur Deus D. N. tentationes permittat: vt scilicet ipsius electi, etiamsi alioqui valdè imbecilles, audeant tamen dæmonem ipsum contemnere, & irridere: tantum fructum haurientes ex eo ipso, quòd hostis in ipsorum perniciem machinabatur, quantũ ipse Dominus dixit S Iob: s *Nunquid illudes Leuiathan, quasi aui aut ligabis eum ancillis tuis? concident eum amici, diuident eũ negotiatores? nunquid implebis fagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite ipsius pones super eum manum tuam?* voluit autem hoc dicere: id quod hominibus est impossibile iuxta illorum vires: est facillimum, si meæ accedant. Ego, ego sum, qui t *draconem* hunc *formaui, vt illuderent ei* non solum mei serui, viri scilicet robusti & fortes, sed *ancillæ* quoque meæ, quæ sunt animæ debiles. Hæ enim, gratia & auxilio meo accedente, temerariam eius audaciam compriment; eumque tanquam *auem* capient qui audebat eas aggredi, vt caderet: & *irridebunt* eum, qui, vt ipsas irrideret, veniebat, &

2. *Tentationes docent insultare Sathanæ.*

s Iob. 40. 24

t Ps. 103. 26

S. Aug. conc. 4. in Psalm 110.

hac ratione conuertent tentationum eius feritatem in præclarissimarum coronarum materiam, *amici* mei, *& negotiatores* Ecclesiæ meæ *concident* eum, eiusque spolijs ditabuntur, elicientes ex his conflictibus diuitias heroicarum virtutum, & prædicationis *reti* eripient ex eius potestate animas, quas deuorauerat, secumque tanquam membra maledicti sui corporis coniunxerat: ita vt maneat ipse suspenso naso. Quòd si scire velis rationem & modum, quo diuina prouidentia in hac re vtitur: id ad viuum quasi depictum perspicies in stupendo illo euentu iunioris *Tobiæ*, cum profectionem quandam instituturus, suasu parentis exiuit ex domo, vt comitem aliquem quæreret, à quo duceretur: cælesti verò consilio & directione inuenit *S. Raphaelem* in habitu peregrinantis, qui obtulit se illi in itineris comitem. Et prima die itineris, v *primaque mansione* propè fluuium Tigris volens ipse *lauare pedes, exiit* repentè *immanis piscis* ore hiante *ad eum deuorandum. Quem* vehementer *expauescens Tobias clamauit* ad comitem, & hæc sola verba dixit: *Domine, inuadit me: cui dixit Angelus: apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te:* & resumpto animo, *attraxit eum in siccum.* Eiusdem autem Angeli mandato *exenterauit piscem, & cor eius, fel, ac iecur reposuit sibi; reliquum verò assauit*, & in sale positum secum acceperunt, vt in via comederent. Piscis igitur, qui exiuerat, vt ipsum deuoraret, ab ipso est deuoratus, & in ipsius nutrimentum conuersus: cuius felle vsus postea est ad liniendum oculos Patris, & visum ei restituendum: corde verò ad reprimendam dæmonis furiam. Num fortuitus talis fuit euentus? aut habet aliquot sub cortice latens mysterium? habet proculdubio, & quidem magnum; depingit enim nobis curam & solicitudinem DEI Domini nostri de ijs, qui perfectionis Christianæ vias ambulant; quos peculiari prouidentia per *se* ipsum, & custodes *Angelos*: suæque Ecclesiæ *ministros* deducit. Certum est enim, eodem die, quo statuis aqua *Pœnitentiæ* & lachrymis te lauare, pedesque tuos à luto & puluere ex negotijs huius vitæ contracto perpurgare, mox in primaipsa mansione, & primis bonorum tuorum exercitiorum gressibus exire in occursum immanem piscem *Leuiathan*, ore aperto, magnaque rabie ad te deuorandum. Sed vnde exit? ex *eodem* omnino flumine, in quo te lauare statueras. nam ex ipsa asperitate operum Pœnitentiæ, & ex decursu exercitiorum studiosorum occasionem arripit ad te impugnandum, incutiens magnum metum terribilitate & asperitate, quam in eis tibi obijcit. Nisi dicere velimus, illum exire ex fluuio *Tigris*, qui figura est tranſeuntis & inconstantis huius *mundi*: cuius peritura bona ex vsu illi sunt ad eos pertentandos, qui amore inordinato illis appropinquant. Sed non deest tamen tunc prouidentia diuina: nam eodem timore, quem tentatio infert, te excitat ac suggerit, vt clames ad Deum, & recurras ad Angelum, & eum qui te dirigit,

Tobias.

v *Tob. 6, 2.*

Prudentia diuina.

Dæmon non tardat.

Tentatio docet orare.

vt tibi

vt tibi adsint: & per hæc media ad cor tuum loquitur verbum quoddam, vehementem scilicet suam inspirationem, per quam timorē omnē repellit, quem Dæmon ingessit: animā pacificat, & animū addit nō solū ne fugiat, sed etiā vt ipsū aggrediatur, exenteret, ac cōminuat: educendo ex ipsis tentationib. fructus stupendos. Nam *fel* amaritudinū, quas ex ipsis tentationib experiris, clarificat internos oculos, vt ipsa experientia & *tuas miserias*, & *curam Dei* ad eas reparandas agnoscas: quorum alterū te *demittat*, alterū *erigat*. Et *cor* piscis, inordinatus sc. affectus, qui suggeritur, impellit te ad quærendos accensos feruentium actuum charitatis *carbones*: qui affectū ipsū cōsumāt, ac dissoluant; ascendente fragrāti feruentiū orationū *fumo*, qui dæmones abigit; & causa est, cur eos Angelus liget, ne ad impugnandum redeant, aut lædendum. Deniq; ipsæ tentationū victoriæ *nutrimentū* erūt & spiritualis animæ tuę refectio: quę magnum animū addent ad multas alias victorias obtinendas. *Memoria* quoq; earum, sanctæ discretionis *sale* condita, perget porrò iucundum tibi alimentum præbere; teque ad varia virtutum exercitia, quę diximus, prouocare. Hoc igitur modo prouidentia diuina in tuum conuertit commodum, quod dæmones intentant in perniciem.

Tentationū commoda.

Pro vltimo tuo in his congressibus solatio, credendum tibi est firmiter, Deum D.N. eos reputare *suos*, eò quòd Satanas contra iustos pugnet propter odiū, quo ipsummet Deum prosequitur: volens vindictā quasi de eo sumere in eius domesticis, & creaturis, quas ad suā imaginem & similitudinē cōdidit, capacesq; fecit gloriæ, quam sua culpa ipse perdidit. Et quoniā Pater noster cęlestis hoc benè nouit; causā nostram reputat *suā* proditq; ad nostrā defensionē, accipiens nos sub protectione sua; nostrumq; subsidium ita dirigens, vt victores euadamus. Huic fiducię innitebatur strenuus ille pugnator; qui etsi pauper & inermis esset opilio, opposuit se tamen feroci illi Gigānti, qui aspectu solo alios terrebat. Et cum alij capitanei illum fugerent, ipse aggressus in nomine Domini Dei Israel: x *ipsius enim* (ait) *est bellum*, non meum: ipsius Dei intuitu & causa geritur: & de illius honore agitur, vt victor euadam, quia eius est gloria futura. Ad cuius imitationem recurrendū tibi est in huiusmodi pugnis ad cælestem hūc Regem; dicens cum eodē Dauide; y *exurge Domine, & iudica causam tuam*, eripe me ab inimicis meis, qui ex odio, quo te prosequuntur, me aggrediuntur, & impugnant. Creatura tua sum, meque ad tuum obsequium condidisti. Sed Satanas in tuum despectum contendit me ducere in captiuitatem. Confunde eius superbiam, meque ab eius Tyrannide defende: quia tuum in hoc honorem propugnabis. Certus verò esto, si hoc cum magna fiducia feceris, Deum pro sua gloria pugnaturum: quemadmodum fecit cum Moyse & Aaron, cùm à populo vexarentur. z *fugerunt enim illi ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi*

3. *Deus nostrā causam reputat suam.*

x 1. Reg. 17. 47.

y Psal. 73. 22 *Dei bellum est.*

z Nu. 16. 42

esset, operuit nubes, & apparuit gloria Domini: quia ipsius erat propria causa. Quare si in tentationib. & tribulationibus tuis ad Dei tabernaculũ confugeris, & ad protectionẽ sub eius alas te receperis: descendet statim *nubes* protectionis ipsius ad tuam defensionem, vt suam in ea gloriam manifestet.

CAPVT III.

ALIÆ CAVSÆ, CVR DEVS TENTATIONES PERMITtat, licèt multi succumbant & cur alii vincant, alii pereant?

QVoniam plurimi sunt, qui ita tẽtationibus succumbunt, vt nunquam à lapsu resurgant: operæ pretium erit ipsius Dei honorẽ propugnare; sicut ipse fecit, postquam recensuit sancto Iob feritatem illius Leuiathan, quamq; pauci essent, qui illum vincerẽt: a *non quasi crudelis* (inquit) *suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo? quis antè dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad precandum compositis.* Hæ præcipuè sunt rationes, quibus Deus D.N. causam suam iustificat, & ignorantium querelas intercludit: cùm tentationes, aut aliæ quæuis tribulationes exurgunt, vndecunque illud proueniat.

a *Iob* 41.1.

1. *Deus misericors & iustus.*

Prima ratio est: quia ipse Deus est infinitè *misericors*, & in omnibus suis actionibus *iustus*: quare in hac permissione non excitat ipse dæmonem, aut creaturas aliquas spiritu aliquo crudelitatis, & odij; sed spiritu misericordiæ & iustitiæ. *Iustum* est enim fidelitatem hominum, qui seruire ipsi tenentur, experiri: vt occasionem inde accipiat *fideles* maioribus misericordijs remunerandi; *rebelles* verò pro meritis puniendi: cùm oẽs habeant *liberum arbitriũ* adeò generosum, & ingenuum, vt nec dæmon vim eis inferre possit; nec ipse Creator cogere velit. Nam potius (vt Sapiens ait) b *ante hominem vita & mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: ita vt libera sua voluntate mortem eligat, & peccatum, succumbẽdo tentationi, ac dæmoni: & eadem voluntate cum cælesti, quod habet, auxilio eligere potest vitam & virtutem, suoque Creatori esse fidelis. Vt ergo fidelitas hæc appareat, has contradictiones homini euenire permittit: quẽadmodum permisit c *falsos Prophetas* & d *dimisit gentes, vt erudiret in eis Israelem: & in ipsis experiretur, vtrum audiret mandata Domini, an non*: sed facilè ea transgrederetur ad illarum nationum persuasionem.

b *Eccl.* 15.18.

c *Deut.* 13.3.
d *Iud.* 3.4.

2. *Deus sapiens & potens.*

Præterea: magnus Deus noster adeò *sapiens*, & *potens* est, vt neque homo, neque dæmon, aut Angelus resistere possit ijs, quæ ipse efficaciter vult, & constituit: & ideò dicit: *quis resistere poterit vultui meo*; & rationem exigere eorũ, quæ ego facio? nullus est, qui hoc facere possit, e *omnes enim quasi non sint, sic sunt coram eo*, ad eius consilia impediẽda. quare si tentationes & turbationes in mundo permittit; id nõ ex eo prouenit, quòd impedire illas non possit: cum nullus ei possit resistere: sed quòd hac via velit il-

e *Isa.* 40.17

le insi-

se infinitas suas perfectiones manifestare; aliaque ingentia bona, & ipsis hominibus commoda ex eis deducere. Nam, si non essent in mundo improbi: quomodo *Charitatem* suam ostenderet Deus erga suos inimicos? & *liberalitatem* in benefaciendo ingratis? & suam *misericordiam* in remittēdis tot peccatis? & quomodo *bonitatis* suæ sublimitatem aperiret: vt fieret homo *mortalis*, & passionem, mortemque adeo horrendam pro eisdem hominibus sustineret: & si in mundo non essent tot miseriæ; quomodo exercerentur tot heroicæ *virtutes* in earum reparatione, & tolerantia? & si non fuissent Tyranni adeò crudeles: quomodo fuissent tot insignes *martyres*? & si non essent dæmones: quomodo essent *viri* adeò strenui & insignes? Stude itaque vnus ex illis esse, & f *non resistas ei*, alioqui *pacem non habebis*. g *Resiste verò diabolo*, & statim *fugiet à te*: Deus animam reddet quietam; efficietque ne bestiæ campi, & omnes hostes tui te impugnent: aut, si impugnauerint, noceant.

Deus ex malis elicit bona.

f *Iob.* 9.4.
g *Iac.* 4.7.

Sed huius rationis vis adhuc magis apparet ex *altera*, quam statim ipse Deus subiecit, *quis*, inquit, *antè dedit mihi, vt reddam ei*? quasi dixerit: ego sum fons primus, & origo bonorum omnium, quæ homines habent, & quibus cæteræ creaturæ gaudent: Ego ea illis distribuo, non ex debito, sed ex *gratia*: quia nullus primus mihi aliquid dare potuit, quo me obligaret ad eidandum ipsum Esse, & bonum quod habet: Et hoc solùm sufficit, ne quis iure possit de mea gubernatione cōqueri, aut de re vlla, quam ego faciam: etiamsi nonnihil laboris aut molestiæ sit sustinendum. Quare, ne oculos tuos in id conijcias, quòd te dæmon aggreditur, aut prosequitur hostis, aut mali quippiam tibi euenit: vt de Deo id permittente conqueraris: sed in ea bona potiùs respice, quæ ex sua misericordia tibi est largitus, aut in mala, à quibus te eripuit: & nisi tu ipse tibi desis, cupit te semper liberare, vt gratum te ipsi exhibeas, & fideliter seruias: nec propter hostis tui consilia & suggestiones ab eius obsequio discedas: h *Væ* inquit Isaias, *qui contradicit figulo suo. nunquid dicet lutum figulo suo: quid me fecisti ex tali massa*? aut cur mihi talem dedisti figuram? i *an non habet potestatem figulus luti*, vasa conficere, sicut illi placet, & in finem quem vult? Subijce ergo te humiliter Creatori tuo, qui potens est præclaros k *thesauros* etiam *in vasis fictilibus* reponere, & ne in tentationibus frangantur (in despectum inimici ea frangere conantis) conseruare.

3. *Deus nihil tibi debet, cur ergo de eo quereris?*

h *Isai.* 45.9.
i *Rom.* 9.20.
k 2. *Cor.* 4.7

Eodem tendit *quarta* ratio, quæ est admiranda l *Omnia*, inquit, *quæ sub cœlo sunt, mea sunt*: & quia opera sunt manuum mearum: non odi illa, sed amo, quare si homines permitto tentari & vexari, non id ex odio, sed ex *amore* facio: vt perfectiores euadant. Et hoc est, quod Ecclesiasticus dixit in confirmationem similitudinis proximæ: m *Vas*, inquit, *figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Significat enim, quemadmodum figu-

4. *Deus ex amore tentationes permittit.*

l *Iob.* 41.2.
m *Eccl.* 27.6

lus vasa mittit in fornacem, non quòd ea oderit: nec vt frangantur: hoc.n. esset laboris sui fructum amittere; sed vt coquantur, & fortiora reddita vsui esse possint ad destinatum finem: quamuis aliqua nihilominus contra mentem figuli frangantur, eò quòd ex mala temperie non possint igni resistere. Ita igitur ex Dei consilio homines, qui ex seipsis sunt vasa fictilia, mittuntur in fornacem tribulationum, non quidem, vt ibi frangantur, & pereant: hoc enim alienum valdè esset à Dei bonitate, & fini aduersaretur, in quem eos condidit; & intentioni, qua illos vocat, vt iustificet: sed vt mortificetur & omnem humiditatem, & terrenæ vitæ superfluitates exuant, purgantes seipsos hoc igne ab admissis peccatis: vt sic fortiores euadant, & constantes sint in virtutibus: possintque firmiter & constanter diuinæ gratiæ *liquores* retinere, & in varijs Ecclesiæ ministerijs seruire: vt postea transferantur in cœlum, & tanquam *vasa* electa collocentur in mensa *gloriæ*. Nisi enim per huiusmodi tentationum & tribulationum ignem transirent, essent tanquam vasa ex luto non cocto, fragilia, inutilia, & paruæ firmitatis, ad quamcunque rem applicarentur. Et quamuis nulli essent dæmones, qui tentarent, facilè ruerent, & frangerentur, ob naturam massæ fragilis, & ad malum propensæ: ex qua sunt constituti, tanquam n *domus lutea, quæ terrenum habent fundamentum*: & quasi *vestis*, quæ comeditur à tinea. Quod si multi in tentationibus franguntur, id prouenit ex culpa liberi arbitrij: quia terrentur ob angustias fornacis; ob horrendam vim ipsius ignis; & spissi fumi importunitatem, quæ illos premit, affligit, & excœcat. Quod tamen ipsum cedit in maiorem Dei gloriam, & iustorum perfectè constantium vtilitatem. nã magnus Deus noster, vt Sapiẽs dixit: o *nõ concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium*: sed potiùs gloriatur de *paucis* perfectis, ipsiq; fidelibus; quam de laxis, & infidelib. & plus gloriæ accedit illi ex paucorũ strenuorum victoria; quã ex lapsu decedat multorũ timidorũ: *labi* enim ex nobis est, consistere verò, ac vincere ab ipso est. Est.n. insignis gloria pugnantis, quòd p *cadãt* (vt dixit Dauid) *a latere eius* sinistro *mille*, & *decẽ millia a dextris eius*; ipse verò stet firmissimè & *conculcet Leonem & Draconem* tentatorem, qui tot alios suis pedibus conculcauerat: qui erectũ se & stantẽ videns in medio tot lapsorũ, diligenter attendit, quid sit facturus, ne sicut illi corruat. Et hac ratione qui vasa erant *fictilia* ex seipsis, *aurea* fiunt ex gratia, multoque amplius splendent in toto mundo, & ideò dixit Apost. q *oportet hæreses esse*, & schismata, & aliquos in fide & Charitate deficere, *vt qui probati sunt*, veri ac perfecti Christiani, quorum fides & amor similib. oppugnationib. nõ mutatur, magis splẽdeant, & *manifesti fiant*; & coram Deo & hominibus honorem habeant. Imò & Plutarchus, etiamsi Ethnicus, dixit: quòd quemadmodum pulsamus testaceam amphoram, vt ex eo pulsu de-

prehen-

Sine tentatione plures pereunt.

n *Iob.4.19. S.Tho.1.p.q 114.a.3.*

o *Eccl.15.22 Pauci electi.*

p *Psal.90.7 13.*

q *1 Cor.11.19 Paucorum maior gloria. Lib.de discrimine adulatoris & amici.*

prehendamus, fractane sit, an solida; vacua, an plena: ita tribulationum ac tentationum pulsus indicare, & manifestare, an, qui pulsatur, integer sit, & solida virtute sanus, & an vera sanctitate plenus; an contrà fissus sit, & fractus, etiamsi integer videretur, quia sonum edit impatientis, & virtutis vacui: Siquidem eam non habuit, vt resisteret pulsui, quo probatur. Cùm autem tot sint, qui ineptum hunc sonum edãnt, valdè iucundus & pretiosus est *perfectorum sonus*, qui sonant, sicut verè sunt, suamque perfectionem toti mundo manifestant.

Tentatio virtutem probat.

Finem denique Dominus imponit sermoni suo dicens: *non parcam ei*, Leuiathan, *etiamsi verbis potentibus & ad deprecandum compositis* mecum agatur, vt parcam. Quasi dixerit: ita res meas amo, vt oderim dæmones, & in peccato, sicut illi, obstinatos: quia non potest mihi placere malum, nec illud punire negligam. Quòd si permitto dæmones contra alios homines prævalere; non est, quòd illos ego amẽ, aut eis faueam: quibus potius horrenda supplicia præparaui. Quare ex alieno malo cautiores euadite: nec me ad iram prouocetis, consentientes tentatoris suasionibus: alioquin eandem cum ijs pœnam experiemini. Quòd si tamen ex vestra debilitate succumbetis, ne animũ abijciatis: nã quòd tentati fueritis, impellit me ad vestri commiserationem, & auxilium vobis ferendũ: vt resurgentes ex lapsu victorem ipsum prosternatis. Hoc ipsum docuit nos idem Dominus, cùm instituit iudicium cum serpente, qui Euam aggressus, eam prostrauit: animum. n. ipsi Euæ addidit, vt rursus cum illo congrederetur, cum magna spe victoriæ; ipsi verò serpenti non pepercit, sed æternùm maledixit, & minatus est r *inimicitias inter ipsum & mulierem, de qua nasciturum esset semen, quod ipsius* Serpentis *caput conteret* Nam in virtute Christi D. N. qui ex Virgine natus est, etiam *debiles*, sicut mulieres, conterunt & calcant serpentum infernalium superbiam.

5. *Alieno lapsu cautiores & à proprio resurge.*

r Gen. 3. 14.

§. 1. *Causæ cur alij eisdem tentationibus succumbant, & percant, alij easdem profligent, ac saluentur.*

CVm igitur vera sint quæ diximus, operæ pretium erit causas adferre, ob quas ex parte hominum eueniat, vt eisdem tentationibus alij *vincantur* & pereant; alii verò eas *vincant* ac saluentur, iuxta Saluatoris sententiam loquentis de tribulationibus iudicium præcedentibus. a *duo*, inquit, *erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur.* b *duo erunt in lecto vno: vnus assumetur & alter relinquetur.* per quæ *tria* personarum genera, vt aduertit Remigius, intelliguntur *tres* status, *Matrimonii, Continentiæ, & Prælationis*, significati per tres illos viros iustos *Iob, Daniel, & Noë*, vt suprà indicauimus. Et quoniam in omnibus his statibus tentationes sunt, alii eas *superabunt*, quos Deus in cœlum accipiet; alii *succumbent*, & in infernum descendent. Cuius rei præclara in diuina

Dispar exitus.

a Matth. 24. 40.

b Luc. 17. 34. *Tres status. Refert Ianenius in hũc locum.*

scri-

scriptura extant exempla: vt videre licet in duobus illis fratribus Cain & *Abel*; in *Esau* & *Iacob*, in duobus illis Regibus Saule & *Dauide*: & in Pharisæo & *Publicano*, qui ascenderunt in templum orare, in duobus *latronibus*, qui fuerunt cum Christo crucifixi. Sed in omnibus plurimùm eminet exemplum, quod primo Tomo retulimus, de venerabili *Ruth*, Orphaque eius socia in quibus depicta sunt horrenda Dei iudicia in hac materia. Quia vtraque in eadem ciuitate, & inter idololatras nata fuit & educata: imò aliqui volunt (vt refert Abulensis) eas fuisse *sorores*. quòd colligunt ex verbis Noëmi dicentis ad illas: c *ite in domum matris vestræ*. nam cùm vtrique loqueretur, & diceret *matris vestræ*, & non *matrum*, indicauit eas vnam tantùm habuisse matrem. Vtraque etiam nupsit duobus *fratribus* ex populo Israel, filijs Noëmi: Et vtraque eandem habuit *vocationem* à Deo, vt socrum suam Noemi comitaretur, *legemque* ipsius, quæ vera erat, amplecteretur. Vtraque easdem *tentationes* est experta: quia amor patriæ, parentum, notorum, ac Deorum, quos coluerunt, vtramque retrahebant, ne comitarentur ipsam Noëmi: sed vtriusque euentus fuit planè contrarius: nam Orpha, quæ maior erat natu, victa fuit & repulsa: Ruth verò fuit victrix, & electa. Hæc exẽpla refert Scriptura sacra, ne timidi excusent se, dicentes, se peccasse, eò quòd tentati fuerint: siquidem alij ipsorum socij similiter tentati, non ceciderunt: ac proinde præcipuam lapsus causam, non tentationem, sed ipsorum in resistendo *negligentiam* fuisse. Quod significauit Christus Dominus noster in parabola hominis sapientis, d *domum suam supra petram ædificantis, & stulti, ædificantis super arenam*; nam cùm vtraque à pluuijs, fluminibus, & ventis concuteretur: *sapientis* domus firma permansit; *stulti* verò corruit. Ex quo, vt Cassianus ait, satis apparet, domum aut conscientiam stulti non corruisse propterea, quòd à *tentationibus* esset concussa, quas *pluuias*, *flumina*, & *ventos* significant: cùm sapientis domus eisdem concussa non corruerit. Causa igitur fuit, quòd *fundamenta* illius domus non essent firma: quia stultus fundauit super *arenam*, sciens propterea illi periculum imminere. Quare stulto intelligens, aut iustus peccatori nõ interest, quòd alter tentetur, alter non tentetur: sed quòd sapiens etiam magnis tentationibus non vincatur, ex eo prouenit, quòd sit benè in virtutibus *fundatus*, stultus verò vincatur interdum etiam à leuibus tentationibus, ob eius *debile* fundamentum. Nam tentatio (ait Thomas de Kempis) non efficit hominem improbum; sed, qualis sit, ostendit: manifestat scilicet, quale sit vitæ fundamentum, quod hominum oculos latebat.

Ruth electa.

c *Ruth.1.8.*

Colligitur ex eo, quòd maiori nupsisset.

d *Matth.7 24.*

Col. 18.c.13. in med. 43 par.5.

Negligentia non tentatio facit Labi. Cassian.5.

I.

Si igitur velis magis in particulari nosse horum fundamentorum diuersitatem, discurre per exempla illa superiùs insinuata, ac deprehendes, domum *Cain* corruisse ab *inuidia* oppugnatam, quia eius fundamentum

erat

erat inane quoddam desiderium *honoris*, quo cupiebat à DEO affici, ostendendo, gratum sibi fuisse eius sacrificium: Abelis tamen domus firma permansit, quia eius fundamentum erat *pura* & simplex *intentio* DEO placendi, eique offerendi optimum & pretiosissimum quod habebat. *Esau* domus cecidit: quia innitebatur fundamento carneo & amori proprio; cui vt indulgeret, vendidit primogenituram: Iacob autem fratris eius domus firma permansit, eò quòd inniteretur *fiduciæ* in Deū, ad quem in omnibus suis calamitabus per *orationem* confugiebat. Perijt domus & regnum *Saulis*: eò quòd proprio iudicio & voluntati tota inniteretur, contemnens & quasi conculcans obedientiam DEO debitam, prætextu & pallio quodam offerendi, ex proprio iudicio, eidem sacrificium; domus verò & regnum Dauidis firmum permansit: quia eius fundamentum erat *cor*, ipsius DEI cordi, eiusque voluntati valdè *conforme*: quam certò statuerat in suis omnibus rebus adimplere. *Pharisæi* ædificium à ventis fuit dissipatum: eò quòd vanitatis vento inniteretur; Publicani verò domus steterit firma: quia eius fundamentum fuit vera humilitas & cognitio sui; Fluctus dolorum & tribulationum nō potuerunt deijcere domum boni latronis in cruce: quia illam fundauit in cognitione suorum peccatorum, & quòd esset dignus tali supplicio, at alteram *impij latronis* domum funditùs subuerterunt: eò quòd in obstinata sua voluntate pertinax constiterit. Et vt ad historiæ nostræ euentum veniamus, eædem tentationes domum Ruth, & Orphæ oppugnarunt, vt prædictum est; sed *Orphæ* domus corruit, eò quòd inordinato affectui ad suā patriam patriosque DEOS, & leui cuidam voluntati, in specie tantum Socrui suæ placendi eam comitando, inniteretur, sed Ruth domus firma & illæsa permansit: eò quòd illam fundasset super firmum quoddam propositum, comitandi ipsam Noëmi vsque ad ipsius patriam, eumque pro DEO suo accipiendi, quem illa colebat, & adorabat. Et cùm vtraque in *mola* esset infidelitatis, rotaque peccatorum verteretur, quam idololatria agitabat: altera fuit electa, vt esset *Vas misericordiæ*, in qua Deus fidem, diuinamque suam gratiam deposuit: ipsa etiam ad gratiæ acceptionem cooperante, altera fuit in sua miseria relicta, tanquam *vas iræ*, à Deo propter culpam & resistentiam suam reprobatum.

Cai ninuitia.

Esau gula.

Saul inobedientia.

Pharisæus fastu.

Latro obstinatione.

Orpha inconstantia perijt.

2.

Ex his, iuxta allata exempla, colligere licet, quasi omnia media non succumbendi tentationibus, ad hoc vnum reduci: ne conscientiæ domus super mobilem *arenam* construatur, ne scilicet debili suæ *naturæ* innitatur, aut propriis tantum *viribus*, aut proprio *iudicio*, & studio cui ad res *terrenas* affectio milceatur: sed euellatur ex corde omnis inordinata affectio ad res perituras, siue *delitiæ* sint siue *honores*, aut *diuitiæ*, aut *personæ* etiam coniunctissimæ: fundetur verò super firmam bonitatis, &

Exue te in Deum.

omnipotentiæ Dei *fiduciam*; & super *merita*, *exempla*, *& verba* viuæ petræ, quæ est Christus Dominus: iuxta consilium & iudicium suorum superiorum, & spiritualium Patrum; & super veram cordis *humilitatem*, cum continuo recursu in *oratione* ad misericordiarum Patrem: à quo nostrarum miseriarum reparatio, & perseuerantia in bono, quod ipse in te inchoauit, dependet. certò tibi persuadens, discrimen successuum prædictorũ non ex

c 1. Co. 4. 7. solo *libero arbitrio* prouenire, quemadmodum monet Apostolus, dicens: c *quis te discernit?* ab alijs scilicet. *quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* quasi hoc dixerit: si alij sunt infideles, & tu Christianus; si alij peccatores, tu verò iustus; si alij tanquam tepidi tentationibus succumbunt, tu verò feruore eas vincis: intellige hanc differentiam non ex tua *sola* voluntate, & fortitudine prouenire; sed præcipuè

Non ego, sed gratia Dei mecum. Osse. 13. 9. ex *diuina gratia*, imbecillitatem tuam præueniente, & adiuuante: sine qua gratia æquè esses infidelis, & improbus, & à tentationibus vincereris, sicut alij. Sed cum eius virtute facis, quidquid te ab alijs peccatoribus discernit. Quibus tamen, si ipsi voluissent, non defuisset sufficiens gratia ad benè operandum, & vincendũ. nam *perditio tua est ex te*, ait Dominus, *tantũmodo in me auxilium tuum.* Culpa *tuæ* voluntatis relinqueris in *mola*; desereris *in lecto*, aut in *campo*: sed si ex illis locis assumeris cum victoria in cœlum; non tuæ soli voluntati, sed gratiæ DEI gloriam debes: per quam tua voluntas *potuit*, & *voluit* ita strenue pugnare, vt coronam consequeretur.

CAPVT IV.

ARMA ADVERSVS TENTATIONES PRAEparanda: & luxprudentiæ occultas agnoscendas.

a *Eccl.* 2. 1. IIS, qui Deo seruire incipiunt, & cupiunt non vinci à dæmone, suadet Sapiens, vt a *præparent animas suas ad tentationem*, necessarijs ad id remedijs, & armis se munientes; quibus *seipsos* defendere, *hostes* verò offendere possint. Quemadmodum enim Israelitæ aggressi quidem sunt expugnationem Hiericho

b *Ios* 6 8. 13. cum b *Sacerdotibus buccinas iubilei portantibus*, *& cum arca testamenti*, omnes tamen *præparati* incedebant, variisque armis, benè instructi;

ad

ad pugnandum contra hostes, eosque vastandos: ita etiam ad spirituales pugnas munire te debes sanctissimis *Sacramentis*. Confessionis, & Communionis: de quorum virtute & efficacitate iam aliàs est dictum. Simul etiam aliis armis spiritualibus te meritò munies, iis præcipuè, quæ tuæ necessitati, conditioni, & statui magis erunt *accommodata*. eum in modum, quo Dauid proditurus ad pugnandum cum Gigante Goliath, reiecit c *arma Saulis*: *tulit verò baculum suum, & fundam*: & sic processit aduersus Philistæum: Quia *illorum* vsum non habebat: *hæc* verò erant illi familiaria. Quare si prodeundum tibi est contra Satanam, ne armis illis te munito, quæ vanitatem, propriamq; *fiduciam* sapiant, aut à tua professione *degenerent* sed arma DEI accipe, quæ sua manu tibi offert; & arma *Christi* Domini, qui in *baculo crucis* Principem huius mundi teterrimum deuicit fortissimeque profligauit.

His, inquam, armis tempestiuè te munies, iuxta consilium Apostoli dicentis: d *induite vos armaturam Dei*, *vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates tenebrarum harum, & contra spiritualia nequitiæ. Propterea accipite* tempestiuè *armaturam* DEI, *vt possitis resistere in die malo, id est, tentationis, & in omnibus perfecti stare*. Nullus enim prudens miles, si versetur in campo, aut sit in præsidio, præparationem suam differt ad horam illam, qua conclamatur ad *arma*: sed multò *antè* se præparat: ne hostis imparatum inueniat. Quemadmodum idem Dauid, antequam in Gigantis conspectum veniret: e *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum; & fundam in manu tulit: & sic processit aduersum Philistæum*: & obtinuit victoriam. Cùm igitur certum sit & exploratum, quòd hostis te sit aggressurus, & oporteat te cum fero hoc Gigante congredi: magnæ prudentiæ erit, arma necessaria defensiua, & offensiua, in tempore præparare, lapidesque colligere, quos iacias in aduenientem. Alioquin si eius aduentum exspectes, dum huc illucque ad eos quærendos te vertes prævalebit hostis; & victoriam amittes, quam facilè obtinuisses præparatus. Quare Sapiens dixit: f *tempus esse spargendi lapides, & tempus colligendi*. qua sententia nos monet: tempus tentationis aptum non esse ad lapides colligendos; sed ad proijciendos collectos. Quod si cupias scire, quænam ista sint arma, & qui lapides illi *quinque* aduersus tentationes colligendi: dico esse quinque præcipuas res nostræ fidei, de quibus dixit Apostolus: g *in Ecclsia volo quinque verba sensu meo loqui*. Quæ vt Sanct. Thomas explicat, sunt *credenda, agenda, vitanda, timenda, & speranda*. CREDENDA enim sunt mysteria omnia, quæ DEVS reuelauit. AGENDA sunt omnia opera, quæ

Præparatio per Sacramenta & media accommodata.

c 1. Reg. 17. 38.

Arma dei apprehende.

d Ephe. 6. 11.

Præparatio ante pugnam fiat.

e 1 Reg. 17. 40.

f Eccl. 3. 5.

Quinque præcipua fidei.

g 1. Co. 14. 19

Lect. 4. in eum locum.

Credenda. Agenda. Vitanda. Tuenda. Superanda.

ille iubet, consulit; VITANDA sunt omnia peccata magna & parua, quæ prohibet; TIMENDA sunt supplicia: quæ minatur; SPERANDA sunt præmia gloriæ, & bona gratiæ quæ promittit: omni possibili conatu adhibito ad ea consequenda, per viam & rationem ab ipsa præscriptam. Hæ *quinque* res sunt omnium supernaturalium veritatum summa, omnium virtutum fundamentum, argumentum meditationum, & arma DEI contra omnes tentationes. Sunt arma fortissima defensiua & offensiua, quæ *loricæ* cuiusdam instar, & solidissimi ex chalybe *scuti* à capite vsque ad pedes hominem contegunt; & ab omnibus sagittis, globis, & ictibus, dæmonum defendunt. Quorum prima iacula ad hæc arma confringenda, & conterenda diriguntur, vt eis munitum perdant: persuadendo tibi, ne *credas* firmiter aliquid eorum, quæ DEVS dicit: aut, perfectè *obedias* ijs, quæ ille præscribit, aut, ne cum celeritate *fugias*, quod ille prohibet; aut illius minas, & promissa *non tanti* facias. Verùm omnibus eius tentationibus strenuè omninò est resistendum: & ex eisdem veritatibus arma conficienda & contra hostem præparanda, & in eum tanquam hastæ aut limpidissimi lapides proijciendi ad eius caput conterendum, & humiliandum superbiam. Quod si tantum tibi sit animi, ac in DEVM fiduciæ, sicut fuit Dauidi, vel *vnicus* lapis satis erit, vt ferum Gigantem prosternas. Aliquando teipsum defendere, illum verò offendere debes virtute *fidei*, heroicos eius actus circa veritates, quas docet, exercendo: quia DEVS id dicit, & nec decipi potest, nec te vult ipse decipere: eò quòd ipse sit summa veritas; dæmon verò mendacij pater. Aliquando teipsum defendes, & illum confundes feruentibus *obedientiæ* actibus: quia scilicet DEVS ita iubet, aut prohibet: & hoc tibi sufficit. cùm non sit æquum, dæmoni hosti tuo plus tribuere, quàm DEO Patri benefactori tuo infinito. Interdum denique actus edes *timoris*: ne te puniat, minasque suas in te exequatur: aut *spei* actus, vt eius promissis gaudere possis. & hanc eandem virtutem actu ipso feruenter exercebis circa auxilia, quæ ipse promittit, ad vincendas tentationes, quibus te hostis oppugnat.

Iacula dæmonis.

Arma Christi.

§. 1. *Hæc arma in Sacra Scriptura inueniri.*

S. Scriptura.

ARMAMENTARIVM, & torrens, ex quibus prædicta arma & lapides accipiuntur, est ipsa *Sacra Scriptura*: præcipuè verò doctrina & *lex Euangelica*: in qua res à DEO *reuelatæ*, & *præscriptæ* cum *minis* & *promissionibus*, sunt magis expressæ: & quoniam est lex *gratiæ*, eam largitur per *Sacramenta*, quæ iubet accipi; infundens per ea *supernaturales virtutes*,

tutes, & specialia auxilia ac subsidia aduersus tentationes, sicut ex his, quæ diximus, constat. Sed quoniam non omnes nouerunt, aut possunt arma eligere, sibique applicare: habet aliud quoddam viuum armamentarium, Doctores scilicet, *Concionatores*, & *Confessarios*; in quorum mentibus eædem veritates tanquam in depositо custodiuntur; & de quorum ore eas accipimus, & per quos ipse Deus ea loquitur, nobisque attribuit, sicut ad nostra studia, & intentiones opus est. Ex quo intelligitur, cur Ecclesiæ a *collum Dauidis turri comparetur, ædificatæ cum propugnaculis*, ad suam defensionem, *ex qua plurimi clypei pendent, & omnis armatura fortium* pro strenuis militibus. Quid verò aliud, ait S. Gregorius, *collum* significat Ecclesiæ, nisi Dei *verba* quæ per suos Prophetas, Apostolos, & Euangelistas profert: quæ sunt in ipsa Scriptura Sacra, & hæc est instar *turris* & arcis ad suam defensionem omnibus medijs ornata, quæ ad strenuè cum hostibus nostris pugnandum, omneque genus tentationum superandum, sunt possibilia. In ea enim proponuntur illustria Sanctorum *exempla*, pugnæ ab ipsis deuictæ, & arma, quibus pugnarunt. Ibi sunt *præcepta*, omniumque virtutum consilia, remedia contra omnnia vitia, documenta ad superandas tentationes, præmia vincentium, & victorum supplicia: denique omnes *veritates* à Deo reuelatæ, & ab ipso prolata verba, tanquam *mille clypei* sunt pro defensione: *mille* dicuntur, ob multitudinem & perfectionem; *clypei* verò: quia nos muniunt contra sagittas & globos inimici: quę b *tela nequissimi*, quamuis *ignea* sint vt ait Apostolus, *extinguuntur* tamen, vimque suam amittunt, cùm primùm clypeos ipsos fidei, hæc verba certissimè credentis attingunt: modò cũ perfecta & integra *obedientiâ* illos nostræ *sinistræ* aptemus: perfecta verò *Charitate cordi* nostro applicemus, proferentes ea spiritu ipsius Domini, qui ea est locutus. Ex hac turri eduxit Christus Dominus noster sententias illas, quibus tria illa c *tentatoris* tela in deserto retudit, & in ipsum retorsit. Et ex hoc clarissimo sacrarum Scripturarum torrente elegit verus noster Dauid tres illos limpidissimos lapides, quos in ferum hunc Gigantem ptoiecit; victumque & cum pudore ex præsentia sua fugere coëgit. Docens nos hoc suo exemplo, vt S. Augustinus ait, ex hac arce, & torrente hoc veritates & remedia accipere, quibus omnes nostræ tentationes sint superandæ. Hac enim præparatione nimium succumbendi metum exuemus, iuxta illud Dauidis: d *scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante, in tenebris ab incursu, & demonio meridiano.* quod est dicere: Dei protectio, eiusque veritas & verbũ ex omni te parte circundabit, vt eius virtute prævalere possis contra omne genus tentationam, apertè & in *meridie* te aggredientium; & contra eas, quæ occultè & quasi laruatè inuadunt, instar hostium *nocte* & retrò aggredien-

Doctores.

a *Cant.* 4. 4.

Hom. 15. *in Ezech.*

Verba Dei arma nostra sunt.

b *Ephes.* 6. 16.

c *Mat.* 4. 4

Lib. 4. *de Trin. c.* 13. *S. Thom.* 3. *p. q.* 41. *a.* 1.

d *Psal.* 90. 5

dientium: siue repentinæ sint, citoq; tranſeuntes, tanquam *timores nocturni* & *ſagittæ* velociter per aëra volantes; siue graues ac diuturnæ, & tanquã *negotia*, quæ animo deliberato & cum mora aguntur: Ac deniq; illas, quæ fundantur in corporis & ſpiritus calamitatibus, quæ per *noctẽ* ſignificantur aut contrà oriuntur ex corporis vel ſpiritus proſperitatibus; aut ex colore & pallio virtutũ, quæ per *lucem meridianam* indicantur. Aduerſus has omnes tentationes muninut ac proteguntnos veritates, & verba DEI, quæ à capite ad pedes tanquã clypeus nos contegunt. Illa nobis Satanæ aſtus aperiunt, & noctis tenebras expellunt, eiusq; falſorum dierum fraudes retegunt, ac docent: quomodo ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, & in omnibus cõflictibus ex eis prouenientibus, nos gerere debeamus: Idq; aliquando (vt S. Bernardus ait) propoſitis veritatibus rerum ſublimium, & *cœleſtium*: quæ inſinuantur per ſuperiorem partem *cetera* (quæ genus quoddam eſt clypei latioris) aliquando verò veritatibus rerum aſperarum ac *terribilium*, quæ per inferiorẽ eiuſdem partẽ anguſtiorẽ & acuminatã ſignificãtur. Modò enim retrahũt nos præmiorum *ſpe*, modò *timore* ſuppliciorũ: nũc detegentes *virtutum* pulchritudinẽ, & beneficiorũ diuinorũ, eorumq; authoris magnitudinẽ: nunc *vitiorũ* fœditatẽ: eorumq; corruptas radices, & peiores affectus.

Ser. 4. & 5. in pſal. Qui habitat.

Hom. 15. in Ezech.

SED latet magnum myſterium in eo, quod perpendit S. Gregorius de hac turri, indicans diſcrimen ſatis notum inter muros, & vallum; clypeos & reliqua arma: vallum enim & muri *immobiles* ſunt, & in eadem parte ſemper fixi: & inde ſunt ciuitatis & ciuium ipſorum defenſio, & propugnaculum: clypeum verò & reliqua arma quiſque ſibi accommodat, & ab vno loco in alterum, vbi opus eſt, ad pugnandum *portantur*. Hunc ergò in modum inter ea quæ Scriptura ſacra refert de myſterijs diuinis, & exemplaribus Chriſti D. N. eiusque Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum vitis, ſunt quædam *prodigioſa*: & hæc ſunt tanquam *muri*, quos accipere non poſſumus, vt in noſtrum vſum applicemus: quia nec poſſibile nobis erit miracula edere; nec tutum eſt id deſiderare. Et nihilominus eadem nos defendũt, plurimumq; adiuuant in tentationibus, confirmando *Fidem*, fouendo *Spẽ*, & *Charitatẽ* inflammando viuis deſiderijs placendi Deo, qui talia & tanta poteſt. At *virtutes*, egregiaq; facinora, & conſilia perfectionis, ſunt tanquã reliqua arma, quæ pòſſumus ac meritò debemus nobiſipſis accommodare; & quocunq; eundum, & quidquid agendum ſit nobiſcum ſemper accipere ad nos contra hoſtes defendendos: d *induentes loricam iuſtitiæ: ſumentes ſcutũ fidei, ſalutis* & ſpei *galeam, & gladium* caſtitatis accingentes, omniumque virtutum exercitatione nos munientes: vt omnibus carnis noſtræ paſſionibus, & ſuperbiæ vitæ inflationibus bellum inferamus.

Miracula ſunt muri.

Clypeus ſunt virtutes.

dEph. 6. 14.

VT verò adhuc magis diſtinctè, & in particulari prædictorum praxim

perſpi-

perspicias, audi præclarissima Spiritus sancti in Sacra scriptura documenta, per os præcipue Ecclesiastici: qui postquam nos hortatus esset, vt animam nostram ad tentationem præparemus, subiungit: e *deprime cor tuum & sustine*: f *humilibus* enim *dat gratiam* & fortitudinem: aufert verò illam, resistitque superbis: & g *si non venerit tibi pes superbiæ: manus peccatoris* & superbi te aggredientis *non mouebit te*, neque deijcier. Inclina aurem tuam, vt audias & impleas, quod iubet, & inspirat Deus. nam h *vir obediens loquetur victoriam*: i *Serua timorem* Dei, *& in illo veterasce*: k *voluntatem* enim *timentium se faciet*; *& deprecationem eorum exaudiet*: *& saluos faciet eos* l. *Ne festines in tempore obductionis* & tentationis, nec properes nimium vt ab ea expediaris. Qui enim nimium properat, citiùs impingit, *sustine sustentationes* & moras Dei, licèt tibi longæ videantur, opportunè enim aderit: *coniungere* Deo, per amoris vnitionem: vnitus enim Omnipotenti, omnia poteris: id enim voluit Iob, cùm dixit: m *pone me Domine iuxta te*, *& cuiusuis manus pugnet contra me*: n *Omne quod tibi applicitum fuerit*, & à Deo missum. *accipe*: *& in dolore sustine*, *& in humilitate*, siue humiliatione *tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum*, & *argentum homines*: verò in cœlũ *receptibiles in camino humiliationis Crede* Deo & ipse auxiliabitur tibi. Quod si in tentatione iacturam aliquam feceris, ipse *recuperabit te*. o *Respice nationes hominum*: *& scito, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est*: *aut quis inuocauit eum, & despexit illum*? ipse enim pollicetur: p *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum*: & q *ipse honorificabit me*, tribuens mihi suam victoriam.

Humilitas.

e *Eccl.* 2. 2.
f *Iac.* 4. 6.
g *Psal.* 35. 12
h *Prou.* 21. 28.
i *Eccl.* 2. 6.
k *Psal.* 144. 19.
l *Eccl.* 2. 2.

Longanimitas.

m *Iob.* 17. 3.
n *Eccl.* 2. 4.

Fiducia.

o *Eccl.* 2. 11
p *Ps* 90. 14.

q *Psa.* 49 15

§. II. *Præparatio contra occultas tentationes.*

Sed quoniam non est satis, remedia nosse Tentationum: nisi, cùm veniunt *occultè*, lux adsit, ad eas agnoscendas: necessaria est alia præparatio à Salomone insinuata illis verbis: a *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*. qua tententia significat Sapiens: nulla esse media ad euadenda tentationum retia, magis efficacia, quàm *oculos* habere acutos ad eas agnoscendas: & *alas* ad volandum, & celeriter ab eis fugiendum. Et quemadmodum parum valerent alæ sine oculis: ita oculi non sufficient, nisi adsint etiam alæ. At non corporis oculi sunt hic necessarij; sed *Spiritus* à fide, cæleste que lumine; à prudentia, & sapientia Spiritus sancti illustrati: sicut nec alæ debent esse corporales, sed *spirituales* cum neruis & pennis virtutum, & feruentium, valdeque firmorum affectuum: quemadmodum de Sanctis quatuor animalibus dicitur, quod essent b *plena oculis ante & retro, & intus*; & c *alas haberent*, quibus *animalia ibant & reuertebantur in simi-*

a *Prou.* 1. 17. *Oculos & alas habeant Iusti.*

b *Apoc* 4. 6. 8.

litudi-

c Ezech. 1 6 14.

litudinem fulguris coruscantis. Ad significandum quòd Sancti habeant cœlestem lucem, ad perspiciendum congressus hostium, *exerte* aggredientium, & proditoriè *retro* inuadentium; ac denique eorum, qui *intra* cor ipsum, proprijs scilicet ipsorum propensionibus eos inuadunt: à quibus omnibus vt se defendant, *alas* habent: quibus aut ipsos hostes *oppugnare*, aut eosdem *fugere* possint: prout ad eosdem vincendos opus erit. Sed quid quando ipse d *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, vt suas occultet tentationes? id intendens, vt homines (sicut dixit Habacuc Propheta (e *sacrificent reti suo*, credentes, tentationem, quæ verè est à malo spiritu, boni esse inspirationem; vitium esse virtutem; & passionem deprauatam, esse rationem. Quamuis enim valdè impios, vt ait S. Gregorius, *aperte* aggrediatur eos impellens ad iniquitatem ipsis placentem: at cum iustis, valdeque feruentibus faciem suam obtegit, *vocemque* mutat, ne agnoscatur? & DEVS dixit S. Iob: f *quis reuelabit facie indumenti Leuiathan? & in medium oris eius quis intrabit*; vt quid ibi cudatur deprehendat? voluit enim dicere: ego solus reuelare possum, & manifestare eius astutias, & laruam deponere, qua propriam faciem tegit, ne agnoscatur. Ego solus possum eius os ingredi, & verborum eius artificium, eloquentiam, & stratagemata, quibus ad homines decipiendos vtitur, cognoscere. Neq; vacat mysterio, quod scriptura sacra verbo *reuelandi* hoc loco sit vsa. Docet enim nos: absque *reuelatione*, instinctu aut illustratione cœlesti non posse astus, & implicatas eius nequitias in particulari agnosci: quamuis vniuersi sciamus, draconem *septem* capitum peculiaria habere vela, aut pallia: quibus septem capitalium vitiorum facies tegat. Gula & auaritia faciem suam velo *necessitatis* tegunt: vt fami satisfaciant, & consulant paupertati; Acedia velat sese pallio *defatigationis*: vt necessarium leuamen assumat; Superbia & Ambitio pro larua vtuntur *gloria* & honore DEI, & commoditate ipsarum dignitatum, & officiorum insignium, quæ ambiunt; Ira & inuidia, velo euitandi proprium *damnum*, aut aliorum auertendi se contegunt: Libido quantumuis alias sit impudens, non tamen illi deest velum, quo carnalem amorem *spiritualis amoris* specie tegat. In his velis & integumentis fundat draco suas astutias, rationem, eloquentiam, & persuasiones: quas aliquibus Sacræ scripturæ sententijs male intellectis aut fictis reuelationibus confirmare nititur: procurando, vt valdè illæ arrideant, tanquam musica vocum valdè concordium. Quamobrem loquens Deus de *Behemoth*, ait: g *ossa eius*, quæ carnibus & pelle sunt tecta, esse *velut fistulas aris*. Significans, (vt S. Gregorius explicat) vehementissimas Dæmonis tentationes esse illas, quæ *latent*, & non agnoscuntur: quæ, dum tanquam fistulæ *aures* delectant, *cor* fraudibus ac deceptionibus peruertunt. Si aduertat, te, ad cupiditatem refrænandam, *contentum*

esse

Dæmonis fraudes.

d 1. Cor. 11. 14.

e Habac. 1. 16.

Lib. 31. Mor. c. 22.

f Iob. 41. 4.

Reuelatio necessaria.

S. Greg. li. 32 Mor. c. 17. Vitia mẽtiuntur virtutes.

g Iob. 40. 13. *Lib. 32. Mor. cap. 7. Occultæ tentationes*

esse ijs, quæ habes: fistulam suam inflat, suggerendo, cur ita te ipsum negligis, & quæ adhuc sunt futura: cùm nescias, quid tibi sit euenturum, attende, vt ex nunc præpares, quod aliàs postea deficiet. An non & terrena potest actio peragi, & tamen in actione culpa declinari: quatenus & exteriora stipendia præbeat, & tamen internam rectitudinem non inflectat? quod si te aduertat, velle rebus omnibus *renunciare*: vt nudus sequaris Christum, suã adhuc fistulam dulcius sonat: vnde hæc temeritatis tantæ surrexit audacia, vt credere audeas, quod, omnia relinquendo, subsistas? an non pleriq; & terrena patrimonia nequaquam deserunt, & tamen ex his per misericordiæ opera supernæ sortis bona æterna mercantur? Si cupias, tuos *proximos* adiuuare, habesq; ad id talentum: fistulam suam musicam sonans, suggerit auribus: quid te ad aliena curanda dilatas? vtinam tuis considerandis sufficias. An non perpendis: quia cùm ad aliena extenderis, erga ea curanda, quæ tua sunt, minor inueniris? quid ergò tibi prodest, ad alios te dilatare; si periculum imminet tibi nocendi? his & similibus alijs rationibus fraudes suas texit draco: quæ si locum in corde inueniãt, difficilè valdè remedium admittũt. Quis enim dæmoni resistat, quem Angelum esse iudicat? aut, quis vitio remedium adferre studebit: quod putat esse virtutem? nec sine causa (addit idem Sanctus) Deus D.N. addidit: *cartilagines Behemoth esse quasi laminas ferreas*, in quibus nec hastæ ferrum: nec sagittæ ictus aliquod vestigium imprimunt: quia vitia, quæ videntur esse virtutes; & per *cartilagines* significantur, quæ videntur esse ossa, sed reuera non sunt: quando animæ possessionẽ accipiunt, tanquam *ferrum* illam *indurãt*: ne eius ictus aut pulsus sentiat, qui cupit illi mederi: quia nec ægrotare se nouit, nec deceptam; sed potiùs præmium sperat ex eo, quod pœnam & supplicium promeretur.

Vitia animam indurant.

Sed hoc ipsum, quòd homines adeò difficilè cognoscere, remedium adferre possunt, est facillimum cũ auxilio Dei, qui cæleste lumen suamque sapientiam tribuit *humilibus*, eam cũ fiducia petentibus: & ex parte sua adiuuant sese lectione, & studio *librorum* sacrorum, & piorum: qui vt sunt quoddam Ecclesiæ *armamentarium*; ita sunt *fontes* luminis cõtra hasce fraudes, quarum ingentem notitiã adferunt. Iidem quoq; humiles, *Magistros* & Confessarios peritos consulunt, quos Christus Dominus h *lucẽ mũdi* appellat: & S. Apostolus ait, eos i *cognoscere astutias Satanæ*, de quibus monent fideles vt caueant: ac propterea k *oculi* diuini sponsi dicuntur esse *sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima*: in quibus (vt S. Gregorius aduertit) & seipsas lauant, & vmbras vident rapacium auium per aëra volantium: quas dum ex vmbris agnoscunt, auolant, & sic earum vngues effugiunt. Sed qui sunt ipsi sponsi oculi, nisi viri spirituales, qui lumen habẽt ad cognoscenda pericula & remedia præuenienda,

Humilitas libri pij.

h *Mat.* 14. i 2. *Cor.* 1. 13.

k *Cant.* 5. 12 *Magistri spirituales.*

hi sunt, quasi colũbæ habentes oculos simplices; & expeditas alas ad fugiẽdum. Semper residẽt iuxta fluenta plenissima aquarum crystallinarũ, *Sacrarum scripturarum*, & piorum aliorum librorum; qui riuulorum instar ex eis fluunt. Et continuò sacræ lectionis & meditationis exercitio replentur *lacte* candido, & puro dulcis eius doctrinæ: qua seipsas lauant, ac purificant; ex rebus autem, quas in eis legunt, tanquam ex *umbra* hostem, eiusq; fraudes agnoscunt: & statim *alis* suis eos fugientes, ad tutum suorum *ordorum* locum sese recipiunt. Et eodem modo reliquos monẽt; & instruunt, quemadmodum Elisæus Propheta indicabat Hebræis k *Syrorum insidias*, ne in eorum manus inciderent.

k 4. Reg. 6. 9.

CAPVT V.

TENTATIONES INTERNAE EX PARTE IMAGInationis, & sensualitatis, eiusq; propensionum: & ratio eas vincendi.

Tentatio duplex. S. Thom. 1. 2 q. 23. a. 1. Interna passionum. De statu hominis interioris. c. 34. Ser. 35. Parvorum.

QVIA non satis est, in genere tantum nosse insidias & tentationes hostis nostri, armaq; ad eas vincendas: operę pretium erit in particulari nunc agere de grauioribus, magisq; vsitatis, ac de ratione & vsu armorũ contra illas. Quare præmittendũ est duo esse genera tentationũ: internarũ scilicet, & externarum. *Prima* cuduntur in corde, & in potentijs imaginationis, & appetitus sensitiui. In *imaginatione* ebullitũt fœdę imagines, & praue cogitationes: *in appetitu sensitiuo* praui affectus, quos *passiones* appellamus. in quib. quatuor sunt præcipue. quemadmodũ enim corpus habet quatuor humores, ex quorũ inordinatione oriuntur morbi, ita (ait Richardus) habet *animus quatuor affectus, amoris, & odii, gaudii, & tristitiæ*; aut desiderij, & timoris: ex quorũ inordinatione procedũt morbi spirituales. istos affectus, ait S. Bernar. esse quasi quatuor *rotas* currus ipsius cordis; & quasi quatuor effrœnes *equos*: qui nisi ab aliquo frœnentur; & sicut oportet, gubernentur, illud præcipitant. *Externa* tentationes sunt *personæ*, aut res aliæ *terrenæ*, quæ materia sunt, & esca imaginationũ, & passionũ: nosq; impellũt, ad optandũ quod in illis est inordinatũ, aut propter *elegantiam*, quam præferunt; aut propter *bonũ*, quod nobis adferunt, aut pollicẽtur, aut propter *damnũ*, quod nobis inferunt, aut minãtur. Vtræq; tẽtationes solẽt simul nos oppugnare: quemadmodũ Apost. de seipso fatetur: a *foris*, inquit, *pugnæ, intus timores*: & Oseas dixit, loquẽs de Samaria: *fur ingressus est spoliãs, & latrunculus foris*: interni scil. & externi hostes illã spoliarũt: quia passiones, & res, quib. illæ fouentur, cor nostrũ, & virtutes: quæ sunt in anima nostra, deprædãtur. Et omnes illas adhibet, eisq; vtitur dæmõ, vt crudele bellũ nobis inferat. Nã; (vt S. Diod oc. perpẽdit) quãdo aliquis bellũ gerit cõtra aliũ, quẽ capere nõ potest, accedit tamẽ quantũ licet

Externa obiecta.

a 2. Cor. 7. 5
b Osea 7. 1.

Lib. de perf. ẽt. spir. c. 1.

licet, & iacit in eum sagittas, vel lapides: vt vulneret & interimat. quod si, aut nō possit, aut non audeat valdè propè accedere: omnib. viribus cōtendit, vt vel ex remotiori loco illos proijciat, vt nos deijciat & posternat. Et Dux, qui non potest ipsā ingredi ciuitatē quā oppugnat: conatur tamen suburbia occupare, ex quibus ciuitatis muros quatiēs, partē aliquam eorum aperiat, per quā ingressus, ciuitatē deprædetur. Hunc in modū dæmon, qui nō potest immeditatè pertingere ad nostrū *spiritū*, nec illum pro voto suo capere (sine nostro enim consensu nihil nobis potest nocere) studet, quàm proximè possit, & illi permittitur, accedere, & suburbia occupare, *potentias* scil. & inferiores carnis appetitus, ex quo loco iaculatur sagittas, & horrendos proijcit tentationū lapides, quò spiritū ipsū expugnet. Nā, vt S. Thom. ait, Dæmon, nisi Deus eius potestatē alliget, sufficiens est ad nostrā phantasiā permouendā, & corporis humores ita commouendos: vt ipsi appetitus magno impetu suas proferāt passiones. Et has tentationes appellat Dauid; *immissiones per Angelos malos*. quē admodū S. Ioan. ait, quod d *diabolus misisset in cor, vt traderet Christū Iudas Iscariota*. Sed quoniā non semper ei licet tā propè accedere, conatur vel ex remotiori loco sagittas & lapides suos iacere, *externa* proponēdo; quib. ad inordinatos affectus pro voto suo nos prouocet. Et hoc modo tantū Christū D. N. in deserto tentauit: cuius tentatio vt ait S. Gregor.) foris fuit, nō intus. Eodē quoq; modo serpēs primos nostros parentes in paradiso est aggressus, ostendens eis *pulchritudinem* fructus, & falsas adferēs rationes, ad eos inducēdos, vt fructū illū gustarent. In illo. n. Innocentiæ statu nō fuissent ortæ interiores tētationes, nisi spiritus externis dedisset locū; & propter libertatē arbitrij contra suum Creatorem rebellasset. At post illud Originis peccatū, aliquando incipit dæmon ab internis, aliquādo ad externis: varijs quidem modis, vt paulatim explicabitur.

c. p. q. 111 a 2. & 1. 2. q. 80. a 2.

c Ps. 77. 49. 1 Ioan. 13. 2

§. 1. *Prauæ cogitationes.*

Hom. 36. in Euā S. Tho. 3. p. q. 41. a. 1. ad 3. & 2. 2. q. 16. a. 2. ad 2.

Frequentatissimvs tentationum modus incipit ab imaginibus & cogitationibus nostræ Phantasiæ, quam hostis noster dæmon cōmouet, imaginibus per sensuum portas intrantibus, aut renouata rerum præteritarum memoria, aut figuris intra ipsam manentibus agitatis, ad nouas alias picturas excitandas. His omnibus *sensualitatem* solicitat, vt prauā desideria, & affectus suos proferat: & hæc irritat *voluntatem*, vt sibi annuat: & consentiat, & tunc interior culpa cuditur, & indè mala *verba* & *opera* exteriora prodeunt. Itaque quemadmodum serpens, Eua & Adamus simul conuenerunt ad Originis peccatum consummandum, quod omnibus hominibus est commune. (*serpens* enim tentauit, *Eua* prouocauit Adamum, & *ille* denique acquieuit: sine cuius consensu non fuisset tale peccatum in mundo) ita, ait S. Augustinus, ad actuale cuiusque peccatum tres

Scala peccatorum.

Lib.12 de Trin.c 12. Ser.35. parvorum.

concurrut Dæmon, Caro, & Spiritus. Et omnes hi tres, ait S. Bernardus habent cõmune a *marsupium*, ipsum scilicet cor: in quo suum quisq; nummum deponit. *Dæmõ* imaginationem, mouẽs, malã suggerit *cogitationem*; *caro* cum sensualitate prauum ponit *affectum*; *Spiritus* libera sua voluntate præbet *cõsensum*: in quo consistit peccatum interius, quod est radix externorũ: omnia tamen alit, fouetque cogitatio. Eum in modum quo b *Pharao paleas dabat Hebræis, & ipsi lutum præparabant, & lateres conficiebant*: paleis verò etiam fornacem accendebant, in qua lateres coquebantur. ita ait S. Bernardus: Dæmõ prospicit imaginationi de vanis & sensualibus cogitationibus, quibus terrena opera cuduntur, & cupiditatis ignis succenditur. & cor instar luti molle, tandem indurescit instar lateris cocti: & fit malo induratum. Et quemadmodum Pharao coëgit postea Hebræos, vt ipsimet discurrentes per totam terram Aegypti, paleas sibi quærerent: ita Dæmon, quos iam sibi tanquam mancipia subiectos videt, instigat violenter, vt vagentur per creaturas; & paleas quærãt, quib⁹ imaginationes suas, & inordinatas affectiones foueãt.

a *Prou.1. 19*

b *Exod 5.7.*

Ser 34. parvorum.

Peccator vimpatitur.

SED hoc idem multò adhuc clariùs apparet in illo infelici Absalonis lapsu, quem scriptura diuina *quinque* his *gradibus* tanquam proprijs coloribus exactè depingit. Primùm enim ipse c *nutriebat capillos* suos longos, & rufos, & gloriabatur in eis. Deinde permisit Deus, *vt caput* eius per capillos d *adhæreret quercui, & penderet inter cœlum & terram*: ita vt non posset ipse expedire. Et eodem tempore accedens Ioab, qui erat dux belli, *infixit tres lanceas in corde eius, & cùm adhuc palpitaret hærens in quercu, cocurrerunt decẽ iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum: & proiecerunt eum in foueam grandem, & comportauerũt super eum aceruũ lapidũ magnũ nimis.* An nõ tota hæc effigies quædam est viua ingentis stragis, quã tentationes efficiũt in eo, qui seipsum negligit & per quinq; hos gradus miserè corruit? nã primùm, *imaginatio* à dæmone instigata cogitationes profert superfluas, otiosas, vanas, & sensuales: in quibus valdè hæret ac delectatur, ex quibus tamen mox Satanas *funes* cõficit, quibus eum ligat, suæq; voluntati mancipatũ tenet: quia miser adhæresci & afficitur perituris terrenis bonis; quibus ita suspensus hæret, vt de rebus alijs nihil cogitet. Quis dicet, *auarum* non teneri suspensum à pecunia quam habet aut quærit? & *ambitiosum* à dignitate, quam ambit? & *inhonestum* ab ea persona, quam deperit? quisque enim e *cor suum habet vbi thesaurum* & affectionem. Et tunc accedit liberè dæmon, & infigit in cor eius tres lanceas, quas S. Ioannes appellat f *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*: Et mortali culpa destruit gratiam, & charitatem, & virtutum elegantiam. Sed quoniam adhuc palpitat, & aliquid vitæ superesse videtur: accurrunt quasi agmine facto *decem* armigeri Sathanæ, exercitus scilicet reliquorum

c 2.Reg.14. 26.

d & 18.9.

Gradus peccatorum.

1. *Imaginatio.*

2. *Seruitus peccati.*

e *Matt.6.21*

3. *Concupiscentia*

f 1.Ioan.2. 19.

4. 10 *Vitia.*

vitio-

uitiorum, & passionum, quæ cum tribus prædictis lanceis conueniunt, vt infelicem animam occidant omninò, & in varia peccato contra *decem Dei precepta*, tanquam in foueam profundam proiiciant; destruentes reliquos virtutum habitus, qui supererant: vt nullum supersit vitæ indicium. Satanæ enim vox ad reliquos suos adiutores est illa: g *exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*: vt nec lapis maneat super lapidem, etiam ipsa fundamenta dissoluantur, fides scilicet, & spes, quæ reliquarum sunt fundamenta. Quid verò hinc sequitur, nisi quòd misera anima in profundam desperationis foueam deiiciatur: & lapidum cumulus, duritiei scilicet obstinationis in peccatis, comportetur, vt in eis permaneat æternùm. Hi sunt gradus, per quos tentationes nos in miseriarum abyssum præcipitant. Cuius mali remedium est statim in initio resistere, prauarum cogitationum furiam præcidendo, priusquàm in fines adeò miseros perueniant. Non enim sine causa (vt ait S. Gregorius) dixit Devs: h *caudam Behemoth duram esse, quasi cedrum: Caput eius molle, sicut fœnum*; vt significaret tentationem initio facilè euelli: postea verò difficilè superari. Quare plurimùm refert, caput eius conterere, initium scilicet tentationis eius, quando per malam cogitationem nos aggreditur; priusquàm indurescat, & affectione ac consuetudine praua profundius radicetur. ideoque Dauid statim atque audiuit tentantium insolentiam ac dicentium: *exinanite vsque ad fundamentum in ea*, respondit ipse: i *beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram*. quasi dixerit: ille se ab infernalibus hisce furijs expediet, qui earum tentationes in ipso initio repulerit, cùm sunt paruulæ: allidendo illas ad petram viuam, qui est Christus: ita vt nec vestigium illarum supersit. Noli esse *Absalon*, qui rufos suos capillos, sicut mulier aliqua nutriebat; nec toto anno illos tondebat: sed statim atque vanæ, & effœminatæ cogitationes occurrunt, illas abscinde; nec admittas, nisi viro dignas. Recordare etiam: *Nazaræos*, etsi k *omni tempore separationis suæ & voti, nouacula non transiret per caput eorum*, vt capillos raderent: *cùm* tamen *dies complebantur, eos rasisse ante ostium fœderis: & capillos ponisse super ignem Sanctuarii*. idque, vt S. Gregorius aduertit, ad significandum: etiam feruentes nutrire interdum vanas & superbas cogitationes: ideoque opus esse, vt certis temporibus rasuram instituant generalem nouacula perfectæ mortificationis: & postquam raserint, ne faciant quod Ab salõ, qui suos capillos seruabat, & in eis sese iactabat, magnique faciebat: nunquam enim amplius debet quis gloriari de inanibus suis, & subtilibus ratiocinationibus (id enim esset nouarum tentationum occasio sed illas planè consumere, & sanctuarij igne, diuino scilicet amore, comburere, cuius cogitationes & affectus ita eos, qui ex proprio amore otiebantur consumunt, vt eant planè in obliuionem.

g *Ps.136.7.*

Desperatio.

S. Greg. l. 32 Mor. c. 16.
h *Iob. 40.12*

Tentationis initio occurrendum.

i *Ps. 136.9.*

k *Nu. 6.18.*

Vanæ cogitationes mortificandæ.

§. II. *Sensualis appetitus passiones.*

Sæpè à carne tentamur. 1.p.114.a.3.& 1.2.q.80.a.4.

MAGIS adhuc solicitos reddere nos debet tentatio, cùm ad *sensualitatem* peruenit, quæ *passionum* suarum motus iam profert: eò quòd maiores vires recipiat: ac proindè periculum sit multò maius.

PRO cuius rei explicatione supponendum est, cum S. Thoma, non esse existimandum primum prauarum cogitationum & affectionum excitatorem semper esse *dæmonem*; sed sæpè nostram ipsam *carnem* malè propensam, & corruptam ex seipsa eas producere: etiamsi dæmon nullus esset, à quo induceretur. quamobrem S. Iacobus Apostolus dixit: a *vnumquemque tentari à sua concupiscentia abstractum & illectum: & concupiscentiam, cùm conceperit, parere peccatum.* Noster tamen infensissimus aduersarius non sinit sibi elabi occasionem: nam (vt S. Ambrosius ait) tunc nobis maximè insidiatur, cùm similes inordinatas passiones aduertit in nobis quasi bullire. applicat enim statim escam, laqueosque disponit, quibus capiamur. Si nos videat commoueri, aculeos suos infigit: suggerens nobis modos sumendæ vindictæ; quibus illaqueemur, & eius desiderio submergamur. Eodem spectat quod S. Bernardus dicit: serpentem mille artes habere, quibus aperit suos astus, b *insidiando calcaneo nostro*; affectus obseruando, quibus in nostro progressu mouemur: & ibi mordet nos, & suum infundit venenum. Cui optimè competit quod Iacob Patriarcha de filio suo Dan prædixit, dicens: *fiat c Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Quis hic est equus, nisi *corpus* nostrũ: cuius ascensor, & qui illum equitat, est *spiritus* noster, qui dirigit illud per viam mandatorum DEI, & per semitam consiliorum eius? at *dæmon* tanquam coluber abscondit se in hac via, & tanquam Ceraste occultat se in hac semita: insidiatur enim gressibus, per eã ambulantis: repentè verò mordet vngulas equi, apprehendendo ipsas *carnis propensiones*, & affectus, vt Spiritum deijciat. Nam quemadmodum equus à serpente in vngula ictus, tam diu saliens tumultuatur, vt ascensorem, nisi equitandi sit valdè peritus à se dijciat: ita caro à dæmone instigata, ita cõmouetur, adeoque effrænatè insurgit, vt rapiat etiam interdum miserum Spiritum, eum trahens ad consentiendum peccato: nisi is dexter valdè sit, artisque huius peritus: vt illi sciat resistere, & eius audaciam reprimere. Sed quoniam hanc dexteritatem spiritus non ex propijs viribus habet, sed ex DEI virtute: adiecit idem Iacob: *salutare tuum expectabo Domine.* quasi diceret; vt me ab his serpentis insidijs & morsibus defendam, fiduciam meam posui, non in brachio & industria mea, sed in *Saluatore*, quem DEVS mihi missurus est, vnigenito scilicet eius Filio: cuius virtute victoriam me consecuturum spero.

a Iac 1.14.

Li.1. off.c 4. Dæmon obseruat opportunitatẽ

Ser.5. in qu. b Gen.3.15.

c Gen.49.17

Dæmon per corpus tentat spiritũ.

Spiritus per Christum vincit.

SED

Sed ex parte nostra oportet nos cum omni celeritate has inordinatas affectiones reprimere, & mortificare, antequam hosti sint prædæ: iuxta illud Sapientis: d *post concupiscentias tuas nō eas. & a voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet in gaudium inimicis tuis*: quia facient ex eis e *fimes*, quibus te tanquam Sampsonem *ligent*, *eruantq; tibi oculos*, *ac faciant molere* tanquam bestiam: & illudent tibi, eò quòd tuis culpis arma illis dederis, quibus te præcipitent. Sed æquum est tamen, vt illos tu potiùs irrideas. & quando serpens incipit *calcaneo* tuo insidiari, vt mordeat: conuertas te contra illum, *caputque* eius contere, resistens, vt dictum est, eius tentationi, cùm primùm incipit apparere.

1. *Principiis obsta.*

d *Eccl.18.30*

e *Iud.16. 13. 21.*

Præterea quemadmodum coluber & Cerastes non possunt apprehendere vngulas equi *celerrimè* currentis, & vix terram pedibus contingentis; sed quando *paulatim* se mouet, pedemque in terra diutiùs figit: ita dæmon non facilè inuenit occasionem tentandi *feruentem* aliquem, magna festinatione per diuina omnia mandata *currentem*: nec partem aliquam in eo deprehendit, qua possit illum detinere, cùm ipse nulla rerum terrenarum affectione teneatur: quia obiter tantum aliquid ex illis accipit, quòd sit vitæ ducendæ necessarium. *Tepidum* autem & passiones suas sequentē, facillimè serpens mordet, ac lædit: quia affectus sui pedem in rebus terrenis figit: & sæpè non animaduertit periculum, donec damnum experiatur: & eueniat illi, quod est scriptum in Iob: f *immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat: abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.* quemadmodum enim *pisces*, ignari, quid faciant, ingrediuntur rete; & *aues* incidunt in laqueum; & *mures* in decipulam: ita *homines* intrant, & incidunt in tentationem, non attendentes, quid faciant, donec se captos videant. Sed in hoc ipso deprehenditur tentatoris *sagacitas*, & astutia: nam quemadmodum in retibus, laqueis, hamis, & muscipulis tales ponuntur *esca*, quæ sint propensioni capiendorum aptæ: vt gustu irritato, illas irruant: ita ait S. Gregorius constituit dæmon suas tentationes: ponens nobis ante oculos escam rerum externarum, ad quas videt nos propendere; & quarum conspectu irritatur & accenditur ignis mali desiderij quod vt expleamus, irruimus in ipsum laqueum. Considerat, inquit, S. Ephrem, aduersarius noster vitium, ad quod quisque propendet: & iucunda cuique injcit vincula, vt in ijs libenter conquiescat, & ita in ipsius maneat obsequio: benè præuidens, quòd, si iniucundis nos vellet vinculis allig are, citius ea abrumperemus, & reciperemus libertatem. Et quemadmodum belli dux, cùm ciuitatem obsidet, diligenter obseruat debiliorem murorum partem, quam deijciat; vt ciuitatem ingrediatur: ita dæmon, ait Cassianus, cùm animæ nostræ ciuitatem obsidet, diligenter obser-

2. *Feruens eludit tentatorem.*

Tepidus inuolaitur.

f *Iob.18.9.*

Dæmon obiectum gratum proponit.

Ex S. Greg. 4. Mor. c.17. Lib.14. Mo. c.17.

Ser. de linguæ morbo & alijs vitijs.

Coll.24. c.17

uat

Dæmon considerat infirmiora terræ.

uat partem eius debiliorem (vt si *concupiscibilis* inclinet ad voluptates, aut *irascibilis* ad vltiones, & ibi sua tormenta collocat, vt globos iaciat tentationum. Et sæpè, si vel in *vnum*, quo delectatur, vitiũ deijciat; deijcit etiam in alia magis *horrenda*: quæ ipsi aliàs non placebant, nisi tantopere primum placuisset. Hoc modo sciens: Israelitas ad sensuales voluptates propendere, suggessit Regi Balac per impium Prophetam Balaam, vt elegantes fœminas ad eorum tentoria mitteret, quæ illos ad fornicationem inuitarent, & pretium peterent, vt earum g *Deos adorarent, & comederent* de cibis idolis sacrificatis: quod reipsa obtinuerunt. Contra hanc Satanæ astutiam præmunire te oportet sententia illa Saluatoris: *estote prudentes sicut serpentes*; vt ex hostis astutia discas, quam tu prudentiam habere debeas ad illum vincendum. Quę in eo consistit, vt prauas tuas propensiones benè & exactè notas habeas, maiusque studium adhibeas, vt ab *eo malo* te custodias, ad quod te magis propensum intelligis: ipsamque propensionem, quæ in anima tua magis prædominatur, maiori feruore contineas, atque coerceas. Et quemadmodũ infirmi, si *membrum* aliquod valdè debilitatum habeant, illi remedia & antidota applicant: eò quòd illud præ alijs patiatur, maiusq; damnũ sentit ex quocunq; caloris aut frigoris excessu: ita, ait Cassian°, meritò debent, qui animo infirmantur, efficaciora & frequentiora adhibere remedia ei passioni, & inordinatæ affectioni, à quibus magis debilitatur, & maiori exponitur periculo æternæ vitæ amissionis. Ad eius itaq; curationem dirigenda sunt *ieunia, vigiliæ, meditationes, orationes & conscientiæ examina.* Nam licèt hostis sit sicut Gigas ille h *Goliath, quinque* his *lapidibus* poterit *prosterni*: quo prostrato, qui nobis aliàs est infensissimus, reliqui minores aufugient.

Ex vno absurdo sequuntur plura.

gNu. 24. 14. & c. 25. 2. & c. 31. 16.

3.

Apoc. 2. 14.

Vitium potentius expugnandum

Supra: & Coll. 5. § 14

h 1. Reg. 17. 40. 49.

4.

Colla. 5. c. 11

DENIQVE nullam passionem aut inordinatum affectum etiam *minimum* oportet negligere: nam vel talis, vt idem Cassianus ait, sufficiet, vtte aduersario tuo tradat, indicando illi portam, qua pateat illi aditus ad ciuitatem animæ tuæ deprædandam. Solus i *vnus homo* qui *egressus est de ciuitate Betel, ostendit* hostibus *introitum ciuitatis*, quam obsidebant. & *illi ingressi percusserunt vrbem in ore gladii.* Et quamuis anima tua sit sicut *Betel*, quod significat *domum Dei*: si non tibi attendas, & passionem aliquam foras abire patiaris, quæ ad res huius mundi afficiatur: per eandem patebit hostibus aditus, ad eam deprædandam, & omnes eius habitatores, scilicet *virtutes* in ore gladij percutiendas. Et quemadmodum ait S. Doroteus, parum iuuat *aquilam*, caput & alas habere liberas, si venator vel ex vno *vngue* captam eam teneat: hoc enim sufficit, vt & plumas euellat, & caput ipsum amputet: ita etiam, quamuis vir sis valdè spiritualis, & contemplationi deditus: si dæmon vel ex *vna* inordinata affectione te captum teneat, periculum tibi imminet pereundi: ea enim passione disponet tibi mille laqueos, quibus te

i *Iud. 1. 24.*

Ne spernas modica.

Serm. 11.

non

non solum *alis* orationis & contemplationis priuet: sed etiam spoliet *vita* gratiæ. Nec debes talem passionem parui facere, eò quòd sit de re parua: nouerit enim dæmon citissimè eam mutare in aliam multò maiorem. Si *crinis* in aquam proiectus paulatim conuertitur in *serpentem*: quid mirum, si aliqua *cogitatio* superflua, vel minima ad rem aliquam *affectio* per astutiam infernalis serpentis conuertatur in colubrum *peccati*. Et cum dicat Sapiens k *quasi a facie colubri fuge peccata*: fuge quoque ipsum *semen*, ex quo ille generatur, *paruas* etiam passiones mortificando, quæ sunt principia magnæ ruinæ. Attende, dæmonem, vt S. Hieronymus ait, appellari *Myrmicoleon*; qui initio ingreditur tanquam *formica*, & rodit grana virtutum: sed cum videt opportunitatem tanquam ferus *Leo* ipsas animas deuorat. Si igitur experiri nolis eius feritatem, cùm agit Leonem: prohibe parua eius furta, & rosiones, cùm agit formicam.

Ex scintilla neglecta oritur incendium.

k *Eccl.* 21. 2.

In id Iob 4. 11. Tigris perijt.

§. III. *Horrendæ imaginationes.*

ALio stratagemate vtitur aduersarius ad nos vexandos, à præcedente nonnihil diuerso: non per voluptates & delicias, sed per cruciatus & inquietudinem cordis. Nam, commouens humores, & internas imagines excitans, efficit sæpè imaginationes terribiles, figuras horrendas, profundas melancholias, iras furiosas, detestandas cogitationes infidelitatis, desperationis, blasphemiæ, odijque in DEVM, & sanctos eius: Aliquando quidē verbis interioribus molestissimis, ad quæ audienda nos cogit: imò & ipsam linguam inuitis nobis ad similia proferenda mouet: Aliquando figuris tristissimis, & fœdissimis impellendo nos, vt eas aspiciamus, variasq; corporis partes commouendo ex horrore eorum, quæ in spiritu geruntur. Quod. n. fecit cum S. Antonio, & magnis alijs Sanctis, induens figuras ferarū, & mōstrorum, quibus horrendis spectaculis *oculos* intuentium affligebat, & tremendis vocibus *aures* vexabat, & *corpora* ipsa grauibus vulneribus lædebat: hoc ipsum facit nunc sine his figuris cum multis: non dico peccatoribus, sed viris valdè probis, & iustis: qui similia patiuntur inuiti, & superiori spiritus parte strenuè resistentes. Cuius sufficiens signum est, *pœna* qua afficiūtur cùm talia sentiunt; & *studium*, quod in eijs reijciendis ponunt; & *clamores*, quibus diuinæ gratiæ feruorem ardenter petunt: quæ tamen illis continuè adest, etiam ipsis non aduertentibus. Nam vt Christus D. N. dixit S. Catharinæ Senensi, cùm similia pateretur: quoniam ego tecum eram, licet in corde latens, hæ tentationes eò non pertingebant, nec te vincebant: sic enim impleo, quod per os Dauidis dixi: a *cùm ipso sum in tribulatione; liberabo eum, & glorificabo eum*: commutans planctum eius in gaudium, & tur-

Dæmonis violentæ tentationes.

S. Antonius.

S. Catharina Sen. 1. p. Vitæ ipsius c. 11.

a *Ps.* 90. 15.

dationem in pacem magnam & lætitiam. Toto autem tempore pugnæ b *in silentio*, vt ait Isaias, *& in spe erit fortitudo tua.* nulla colloquia cum hoste misceas, nec ad turpia ipsius verba respondeas, aut ipsa proferentem cures. Qui, vtpote superbus, valdè fert ægrè se contemni, & nihili fieri, quæ ipse fingit ad terrendum. Præstat itaque conuertere tuum sermonem ad DEVM D. N. humiliter & amanter auxilium petendo, animoque resignato offerendo te ad cruciatum illum ferendum quamdiu DEO ipsi placebit: persuadendo tibi, non esse *infernum* damnatorum, sed iustorum *Purgatorium*, ad te expiandum à præteritis culpis, & à futuris præseruandũ. Quòd si hanc confidentiã nõ amiseris: c *cùm te consumptum putaueris*, vt dicitur in libro Iob, *orieris vt Lucifer*, cœlesti scilicet nouo lumine renouatus & gaudio Spiritus S. d *pace* illa fruens, *quæ exuperat omnem sensum*: nam e *secundum multitudinem dolorum in corde* afflicti, *consolationes* DEI *lætificãt animam* eius. Vltimò est aduertendum: huiusmodi tentationes solere aliquando fundari in abundantia humoris alicuius melancholici: quare expedit *spiritualem medicum* cum *corporali* conuenire, vt applicentur remedia, quæ humores euacuent, & cor ipsum lætificent: cùm videamus, f *percutiente Dauide cytharam manu sua, resocillare* consueuisse *Saulem, & leuius habere. recedebat enim ab eo Spiritus malus*: sublata enim Melancholia, quæ corpori prædominabatur: non habebat dæmon in quo posset hærere. Et vniuersim refert plurimùm *tristitiæ* spiritum vincere, quæ non est secundùm DEVM sed secundùm carnem & mundùm: nam, vt ait Sapiens: g *Spiritus tristis exsiccat ossa*, vires debilitat, tædium adfert bonorum operum, aperit portã tentationibus, imaginationes efficit valdè importunas, succumbit timori & terrori, disponit ad desperationem: imò & h *mortem operatur*: ac denique valdè similis est hic Spiritus ipsius dæmonis Spiritui: qui hoc humore plurimùm delectatur, vt qui ad suos fines valdè sit illi ex vsu. Contrà verò horret Spiritum i *lætitiæ*, quæ est secundùm DEVM: quia reddit ætatem floridam ac vegetam, affertque spiritus feruorem, magnumque animum contra tentationes. Ideò dicebat Esdras populo suo: k *gaudium Domini est fortitudo nostra*, & S. Iacobus Apostolus monet nos, vt l *omne gaudium Domini existimemus, cùm in tentationes varias inciderimus*, ob ingentia bona, quæ ex eis haurimus.

b *Isa.* 30. 15. *Hostem contemne.*

Deo suppli & sustine.

c *Iob* 1. 17.

d *Phil.* 4. 7

e *Ps.* 93. 19. *Humor melancholicus purgandus.*

f 1. *Reg.* 16. 23.

Tristitia nocet homini, placet dæmoni.

g *Pro.* 17. 22

h 2. *Co.* 7. 10

i *Ps.* 50. 14. *Lætamini in Domino.*

k *Esd* 8. 10

l *Iac.* 1. 2

CAPVT VI.

PVGNÆ CONTRA TRES VEHEMENTES APPETITUS voluptatum diuitiarum, & honorum: *& quaratione Christus D. N. eos vicerit & adhuc vincat in nobis.*

LICET multi sint, & horrendi interni & externi Christianæ perfectionis hostes: omnes tamen reduci possunt ad *tres* vehementes Appetitus trium rerum, quas mundi huius homines vehementius amant, & ad quas illi impellunt; & in quibus fundantur a *Concupiscentia carnis, Concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: & hi sunt præcipui milites deseruientes dæmoni, ad impediendam peccatorum conuersionem sicut in primo Tomo est dictum: & per eosdem puguam prosequitur: vt eos qui bene cœperunt, faciat retrocedere. Per hos deiecit Orpham, de qua dicit Sacer textus: quòd b *reuersa sit ad populum suum, & ad Deos suos.* Qui autem hi sunt Dij, & quis populus, ad quos victi à dæmone reuertuntur, nisi res huius vitæ, quas priùs cum alijs peccatoribus inordinatè diligebant? primus falsus c *Deus* est *venter*; cui seruit populus hominum carnalium, voracium, ac inhonestorum. Alterum d *idolum*, sunt *diuitiæ*, quod populus *auarorum*, & cupidorum adorat. Tertium idolū est inanis excellentiæ & *honoris*, quod populus colit superborum, & ambitiosorū. Hæ sunt tres illæ congregationes peccatorū, quas vidit Ezechiel: (vt supra est dictū) vna erat e *septuaginta virorum de senioribus domus Israel, qui adolebant idolis depictis in pariete*; secunda erat *mulierum*, quæ sedentes *plangebant Adonidem* Veneris amasium; tertia erat *quasi viginti quinque virorum dorsa habentium contra templum Domini, & facies ad orientem: & adorabant ad Ortum Solis.* Horum populorum operatur Satanas ad aggrediendum, & persequendum populum DEI, congregationem scilicet Discipulorum Christi. Aduersus quem, vt refert S. Ioannes, prodierunt in campū tres equites, eius hostes, in tribus equis ferocib. Primus erat f *rufus*, secūdus *niger*, tertius *pallidus*: qui tria genera significabāt peccatorum, varijs vitiorum coloribus tinctorum: qui instar sunt equorum Satanæ, eos regentis & dirigentis quocunque velit, fræno, & calcaribus execrandarum eius suggestionum: qui in eis & per eos contra doctrinam & legem euangelicam pugnat: prouocādo eius sectatores, vt ei potius obsistant, eamque reijciant: & eosdem postea tanquam instrumenta adhibet, ad cæteros homines aggrediendos & oppugnā-dos. Sed nō potuit prævalere in Christum ipsum, nec in populum electorū eius: nam ipse potius cum ingenti sua gloria, de omnibus illis tribus triumphauit. Cuius triumphum delineat idem S. Ioānes dicēs: g *vidi & ecce equus albus, & qui sedebat super illū habebat arcū, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Quasi

Triplex appetitus.

a 1. *Ioā.* 2. 16. *Ventris.*

Tra. 1. *c.* 16.

b *Rut.* 1. 15. *Opum.*

c *Phil.* 3. 19.

d *Gal.* 5. 20. *Gloriæ.*

e *Ezec.* 8. 10 *Com.* 1. *Tra* 1. *c.* 16. §. 1.

f *Apoc.* 6. 4

S. Thom. 1. 2 *q.* 77. *art.* 5.

g *Apoc.* 6. 2.

sibi non esset satis semel vincere: sed sæpius: primũ per seipsum; & per suos postea discipulos, vsque ad mũdi finẽ. Equitem. n. eum esse *Verbum Dei* asserit idẽ Sanct. Ioannes, dicẽs, h eum *qui super equum sedebat vocari fidelem, & nomen eius verbum Dei*: Et idem S. Hier. & S. Ambrosius asserunt. Nam diuinũ Verbum, de cæl o descendens, coniunxit sibi purissimã suam humanitatẽ per albũ illum equum significatam: In qua manẽs, eamq; gubernans, & mirabilia ac stupẽda per eam faciẽs; & contra suos hostes pugnans, præclarissimas de eis victorias reportauit. In ipso itaq; instanti suæ *conceptionis* data est corona super caput eius: non. n. ita in mundũ ingressus est, sicut filij Adã: qui ingredimur à dæmone victi, & peccato subiecti: sed tanquã victor gloriosus, contẽnens oẽs carnis delicias, diuitias, & honores mundi; amplectẽs verò, vt dixit Apost. & i *sustinens crucem* paupertatem, ignominiã & doloré: quæ cum ipsa cruce coniuncta erant: & sic vicit peccatũ, & obtinuit nobis sanctificationẽ. Eandem porrò victoriam prosecutus est, quãdiu vixit in hac vita, pro armis vsus *arcu* suæ prædicationis, & doctrinæ cœlestis: qua, vt S. Augustinus ait, sagittas iaculabatur admirabiliũ sentẽtiarum contra mundi *voluptates, diuitias, & honores*. Et quando hostis illum in his tribus rebus est aggressus k *in deserto* hoc eũ arcu postrauit, vt suprà diximus. Ad finem tamen vitæ, vt perfectissimam suam concluderet victoriam, *crucis* arcum in manibus suis accepit, vbi violenter fuit extensus, instar chordæ ad arcus extremitates: & sic moriẽs, suos hostes prostrauit: quẽadmodum dixit Habacuc Propheta in eo cantico, quod inscripsit Victori dicens: l *cornua in manibus eius* quasi instrumenta pugnæ, quæ sunt crux & claui: *ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit*, & victa fugiet *mors. & egredietur diabolus*, fugiẽtque territus *ante pedes eius. Contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi* (diuites scilicet ac potentes eius) *ab itineribus* & operibus *æternitatis eius* quæ ipse in nostrum bonum decreuit & constituit.

h *Apoc* 19 12 13. *Verbo Dei vincit Christus dæmonẽ per se.*

In ortu.

Heb. 12. 2.

In vita.

in illud Ps. 7

k *Mat.* 4. 3. *Arcum suũ tetendit.*

In cruce:

l *Hab.* 3. 4.

SED vlterius adhuc progressa est Saluatoris nostri potentia, eiusque victoriæ. Nam, cùm per seipsum gloriosè adeò, vt dictum est, vicisset: voluit semper in ea victoria pergere per suos *Apostolos* ac *Discipulos*, & per reliquos *instos* eorum successores: qui etiam per *album* illum *equum*, super quem ipse sedebat, significabantur. Nam, vt ait Origenes, libenter *frænum* accipiunt disciplinæ ipsius Domini, à cuius diuino Spiritu ducuntur ad quamcunque partem, non voluntate propria, sed Saluatoris ipsius in ipsis existentis, & per eos pugnantis, suosque inimicos vincentis. quod insinuauit Zacharias, cùm dixit: m *posuit eos quasi equos gloriæ suæ*, præparatos *in bellum*. In magnam enim eius gloriam cedit, quod per illos vincat, & propterea in laudibus DEI ponit Ecclesia quòd *vincat in martyribus* qui etiam vincit in Confessoribus, & Virginibus, & in omnibus,

Et per discipulos. Vide Riberã qui ait esse communem expositionẽ.

H. 2. *in Cãt.*

m *Zac* 10. 3.

bus, qui tentationes vincunt. ipse enim eas vincit virtute eius victoriæ, quã illis omnibus comparauit. Quare ita existimare debes, quòd eo die, quo graues tentationes superasti, quæ tuam conuersionem impediebant, cùm peccati statum, aut nequam hunc mundũ deseruisti: id præstiteris, eò quòd Dux tuus Iesus Christus in te illas vicerit. Sed attende, te incepisse vincendo, vt vinceres: quia non debes existimare, satis tibi esse, quòd primam obtinueris victoriam: sed pergendum semper in pugna contra eosdem hostes, cum magna spe, quòd perges etiam in victoria. Quia Dominus, qui primam dedit victoriam, secundam etiam dabit, & plures alias: quia æquè illi facilè est, mille victorias, atque vnam dare: si fiduciam tuam in virtute ponas, quã suis ille tibi comparauit. Nam (vt S. Ambrosius ait) *non sibi sed tibi vicit*, sicut necorauit, aut ieiunauit sibi ipsi; sed in tuum commodum, applicans tibi suæ victoriæ fructum. Animum itaque sume, ô Christiane: (ait S. Basilius) quia eum victorem Regem sequeris, qui te vult suæ victoriæ participem facere: & illi confidens, verè victor euades. m *Confidite*, ait ipse Christus suis discipulis: *ego vici mundum*, & tria illa vitia, quæ in illo regnant: & in virtute mea vos quoque vincetis: & ego ea vincam in vobis.

Sed quibusnam armis Christus in nobis vincit? non certè alijs, quàm *duabus* rebus, quas eius arcus nobis ob oculos ponit, reuocans nobis in memoriam valdè luculenter *verba*, & sententias, quæ ipse dixit in suo Euangelio contra inordinata voluptatum, honorum, ac diuitiarum desideria, *cordi* verò magnum imprimens amorem suæ crucis, dolorum, ignominiarum ac nuditatis, quas pro nobis fuit perpessus. Id quod præstat vehementibus suis inspirationibus, eo tempore immissis, quo nos aggreditur tentatio. *Verba* enim Dei, quæ tu ex diuinæ scripturæ pharetra extrahis, si solis tuis viribus proijceres, essent quasi n *parvuli* alicuius *sagittæ*, ac proinde paruæ vtilitatis ad hostem prosternendum: at, quæ ab *inspiratione* diuina prodeunt, sunt sicut o *sagittæ potentis* sagittarij *acutæ*, *cum carbonibus desolatoriis*, ita scilicet hostes penetrantes, & sauciantes, vt eorum vires comminuant. Sed quoniam non sufficiunt sola verba: *opera* quoque inspirat Deus, facienda: arrepto scilicet ipso arcu in *manu* iuxta illud Iob. p *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. In quem locum ait S. Gregorius: *Arcus in manu est scriptura in operatione*: credendo scilicet, quod illa docet; & faciendo, quod præcipit. Arcus etiam in manu est ipsa *crux* Christi, eiusque mortificatio in praxim deducta: offerendo te ad patiendum pro eius amore, quod ille pro tuo est perpessus: & ex toto corde complectens hanc armaturam crucis, quæ adeò est potens contra omnes dæmones. Quia, vt dixit Apostolus, r *verbũ crucis iis qui salui fiunt, est virtus Dei*: facit enim eos inuictos in pugna. Quis vincet crucis amatorem; & eum, r *qui carnem suam crucifixit cum vitiis*

Iusti sunt equi Dei.

Victoria vna non sufficit.

Lib. 4. in Lucam.

In Prologo in Ascetica.

m *Ioan. 16. 33. Christus nobis vicit.*

Verba sunt efficacia per inspirationem.

n *Psal. 63. 9.*

o *Psa. 119. 4 Psal. 44. 6.*

p *Iob. 29. 20 Lib. 19. Mor cap. 28. Opera & crux Christi amplectenda.*

r *1. Cor. 1. 18*

r Gal.5.24. s Gal.2.10.

& concupiscentiis? quis deijcere poterit, s *Christo confixum cruci, vt mundo mortuus* DEO *soli viuat*? & quemodo verba tua non erunt *sagittæ* fortes in hostes tuos, si prodeant ex *corde* Christi, in cruce extensi? nam quemadmodum arcus, si chordam habeat laxam, leuiter mittit sagittam; sin autem tensam, magna vi illam iacit: ita si tu sis in mortificatione laxior, & ignauus: verba tua, & resistentiæ, quibus repellis tentationes, erunt sicut *sagittæ parunlorum*, quas dæmones nihili faciunt: si autem bene sis *extensus* in cruce, per generosam *mortificationem*: etiamsi illa sit carni *violenta*, tanto feruore sagittas proijcies, vt *victoriam* in tentationibus reportes.

Mortificatio parit victoriam.

t Iob.39.19

DENIQVE multum debes gloriari, quod sis tanquam *equus albus* & generosus Iesu Christi, per quem ipse pugnans glorioſissimas obtineat victorias: cuius equi proprietates retulit ipse DEVS S. Iob, dicens: t *numquid præbebis quo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? numquid suscitabis eũ, quasi locustas, gloria narium eius terror. Terrã vngula ferit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pauorẽ, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinã, dicit: vah, procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus.* Quis hic est *equus*, ait S. Gregorius, nisi vir *iustus*, in quo Christus gerit spiritus bella non enim satis habet, quòd sit *ferculum*, *thronus*, aut *thalamus* eius, portans illum intra se tanquam Regem, Magistrum aut sponsum: sed etiam gloriatur, quamdiu versatur in hac u *vita, quæ tota est militia*, quòd sit tanquam *equus* gloriæ eius, in quo sedet ipse DEVS, tanquam Dux, *hastam vibrans & clypeum*: quæ sunt auxilia iusto ipsi data, ad pugnandum & vincendas tentationes. Præcipuè verò dat illi sex documenta, quæ idem S. Gregorius ex prædictis verbis deducit.

Lib.31.Mor. c.7. Iustus Deũ portat.

u Iob. 7.1.

1. *Latitia.*

2. *Contẽptus.*

3. *Fiducia.*

Primum: *si audieris buccinam*, & signũ ad arma, & videris tentationẽ apparere, *dic: vah*: noli tristari, nec fieri timidior: sed nouum spiritũ recipe & animũ: sperãs lucrum ex ipsa imminente pugna. Quod si Dæmõ horrenda quedã tibi minetur, nisi ipsius suggestionib. consentias: *contene pauorẽ*: & potius *gloria nariũ terror*, hoc est vel odorẽ rerũ terribiliũ repura gloriã tuã, vt fortitudinẽ tuã in eas ostendas; dãdo operam, vt sentias æternas, quas Deus minatur peccatorib. vt ita contẽnas tẽporales. Quod si te persequi pergat, paupertatẽ & res alias acerbas, & ignominiosas tibi inferẽdo: *exulta audacter, & in occursũ perge armatus*: audacter inquã, vt nõ abijcias animũ; sed læta quadã audacia occurre aggrediẽtib. hostibus, etiãsi te omni genere calamitatũ armati aggrediantur: tuã autem fiduciã colloca in Duce tuo, quo in te & pro te pugnante, omnia pericula euades feliciter. Quod si hostis reb. delectabilib. & terræ voluptatibus te inuitauerit: *vngula terram fode*, conculcans & spernens eas, fode terram, hoc est ingredere sepulchrum; vt videas, omnia hæc caduca esse, & nihilum: *feruens & fremens sorbe terram*. magno inquam feruo-

reac zelo te conuerte in ipsum hostem,& carnem tuam, ipsam castigãdo & conterẽdo, eò quòd talia appetat. & sic consumes ac dissolues omnia terrena,quæ peccati occasioné tibi possunt adferre. Quod si te repentè in aliquas occasiones & peccandi pericula induxerit, mox ad Deum recurre per *orationem, & suscitabit te sicut locustas*: vt scil. fugias saltando super talem foueam,& profunditatem, vt periculum euadas. Et quemadmodũ locustæ semper saltando progrediuntur,& maioris æstus tempore saltant frequentius: ita meritò debes cor tuum ad res cæleſtes frequenter eleuare orationibus, & sanctis alijs affectibus: ne huius vitæ rebus nimium adhæreas. & tunc maximè frequentiùs tibi saltandum est, cùm tentationũ ardor magis premit. Deniq; si tentator aliquo tempore remittens, permiserit te tranquillum & pacatum viuere: non tẽ iudices esse securum: sed *procul odorare bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus*: & ad pugnam te præpara. studeas rationes illas addiscere, quas septem *vitiorum* duces adferre solent, vt victores euadant: & attende tibi diligenter, vt *passionum* tuarum agmen possis cognoscere. bene enim paratus non vincetur.

4. *Mortificatio*

5. *Oratio. S. Greg. 5.*

6. *Solicitudo.*

Hæc summatim sunt documẽta, quæ Dux noster suis electis suggerit, cũ residet in eis tanquam generosis glorię suæ equis, per quos pugnat, & vincit, & coronã obtinet, quam in suo capite gestat: hæc enim victoria, ipsius potius est, quàm nostra. Et quemadmodum Apostolus monet: quotiescunque vincimus x *debemus Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per D.N.I.C.* eius filium, ad cuius pedes & thronum mittere debemus coronas nostras, quemadmodum y *seniores* illi faciebant in Apocal. dicentes & confitentes, ipsum Agnum eas comparasse, & ipsorum capitibus imposuisse. Et quandoquidem iple cœpit in nobis vincere eo animo vt victoriam prosequatur: resumamus nos animum cum ipsius auxilio, vtendo prædictis eius documentis contra particularium vitiorum tentationes, præcipuè *septem* capitalium: eo modo, quem in subsequentibus capitibus exponemus.

Victoria Dei est.

x *1. Cor. 15. 57.*

y *Apoc. 4. 10.*

Continuanda est.

CAPVT VII.

PRIMAS PVGNAS ET CONGRESSVS ESSE CONTRA CARNIS concupiscentias, & voluptates, quæ gulã & libidinem fouent: & ratio eas vincedi.

PRIMVM Satanæ instrumentum ad omnes suas tentationes est *caro*, & eius concupiscentia: à qua primus conflictus, & quidem satis cruentus prouenit: cuius ferocitatem depingit S. Ioannes dicens: a *se vidisse equum rufum, & qui sedebat super illum, habebat gladium magnum: & datũ est illi potestas, vt sumeret, & auferret, pacem de terra, & vt inuicem se interficerent.* In qua pugna est *duplex* genus pugnantiũ. quia carnis cõcupiscẽtia duo producit inordinatarũ affectionũ genera, quæ semina sũt grauissimarũ tentationum. *Prima* sunt furentes & importunissimæ sensualium voluptatum

a *Apoc. 6. 4.*

Lib.31.c.10. tum appetitiones, quibus *gula libidoque* fouentur: quas S. Gregorius vitia *carnalia* appellat: eò quòd vehementer impellant ad delectationes in cibo & potu, & fœdas voluptates, quæ sunt propriæ carnis, originalis peccati sanguine defœdatæ. Quæ caro (si ad mysticum sensum attendamus) significatur per *equum rufum*, in quo sedebat primus tentator, qui eam gubernat; eiusque passionibus ac sensibus vtitur ad crudele nobis bellum inferendū, nosque in hæc *duo* carnis vitia præcipitandos. quorum pugnæ; (vt ait S. Isidorus) sunt primæ in vita spirituali, in quibus oportet, nos victores euadere, si velimus etiam reliqua vitia superare: quemadmodum prolixè ostendit S. Gregorius, dicens: prius oportere hostes vincere, qui sunt *intra* ipsam ciuitatem: posteà exeundum ad pugnandum cum iis, qui sunt *extra* illam: si enim ad pugnam exeas cum externis, vastabitur ciuitas ab internis. Cùm igitur gula & libido hostes sint domestici; pugnentque armis nostræ carnis ad delicias propensæ; nosque etiam seorsim manentes & inclusos impugnet: necesse est primum nostrum impetum in eos facere, & conaricos dem subiicere priusquam alios aggrediamur, qui sunt exterius.

Carnalia vitia prius superanda.

1.

Ci.2.de summo bono c.22. Lib.30 Moral.c.26.

PRÆTEREA, qui contra hostes *visibiles* pugnare non nouit: quomodo nouerit contra inuisibiles? & qui in *leuioribus* pugnis timidior est, & pusillanimis: quem animum habebit ad pugnas difficiliores? nam si (vt ait Ieremias) b *cum peditibus currens laborasti: quomodo contendere poteris cum equis.* Cùm igitur carnalia vitia sint nobis spiritualibus *notiora*, & gula sit reliquis *facilior*: qui ab his vincitur, quomodo alia aggredi audebit? imò, vt ait S. Gregorius, qui se *paruis* prosterni conspicit: confligere cum maioribus erubescit; & qui se videt à *visibilibus* hostibus prosterni, statim coniicit se ab inuisibilibus prostratum. Cùm, vt ait Apostolus: c *non sit nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem* tantum, *sed aduersus Principes, & potestates* infernī. Et idem dæmon, cùm videt, se in *modico* nos superasse: magnum concipit animum nos in *omnibus* superandi.

2.

b Ier.12.5. S Thom. 2. 2 q.148. a.3. A facilioribus inchoandum. Cassi.lib.5. c.20. & Col. 5.cap.26. c Ephe.6.12. Serm. de abdicat. rerū.

ACCEDIT, quod si dæmones tormenta nostra bellica configant; non poterimus cum illis congredi; & cùm nostrum corpus cum suis potentiis sit animæ instrumentum ad omnes actiones, quibus sit pugnatura, & hostibus restitutura: si corpus ipsum est prostratum, vitiisque gulæ & libidinis confixum (quæ notabiliter inuertunt, & inhabile reddunt ad bonas reliquas actiones) in promptu erit, vt in alia innumera peccata nos præcipitent. Et propterea S. Thomas ait: gulam ob suos effectus præeminentiam quandam habere super alia vitia: quia in omnibus præbet aditum. id quòd multò magis efficit libido: cuius inordinatio adhuc est magis pernicioſa.

3.

Caro neglecta ducit ad omne scelus.

2.2.q.148. a 3.

QVID autem dicemus de strage à tentatore per hæc duo vitia illata, quando ei datur *gladius magnus, & potestas*, vt execrabili sua suggestione vta-

4.

tur,

tur, foueatq; ipsius carnis passiones? statim incipit *pacem sumere* & auferre, & miserandam in ea discordiam & pestem seminare. Gula (ait S. Basilius) culpam originalem inuexit in mundum: sustulit felicem *pacem*, qua parentes nostri fruebantur in paradiso; & causa fuit mortis, quam omnes incurrimus ob gustatum ab Adamo prohibitæ arboris fructū. Hæc (ait S. Chrysostomus) deiecit eum in hanc lachrymarum & discordiarum vallem; laxauitq; habenas, quibus *libido* infrœnata tenebatur: & sic incepit carnis suæ nuditatem & rebellionem sentire. Et vtraque simul causa fuerunt e *diluuii*, quod totum mundū submersit: & *ignis*, quo infelix *Sodoma* conflagrauit & idololatriarum, discordiarum, & mortis innumerabilium Israelitarum in deserto: nam, cùm semel g *sedissent manducare & bibere, surrexerunt ludere*, & idolum colere; & aliàs accedentes ad h *mulieres Moabitides adorarunt*, in earū gratiā *Deos earū*, quam ergo maiorē pernicié & vastationē adferre potest Satanæ gladius, quā vt pacem dissoluat cū vero Deo, & efficiat vt multi factis negent cultū & adorationem ipsi debitam? i *multi* enim *sunt* (ait Apostolus) *inimici crucis Christi*, in quem crudele excitant bellum, *quorum Deus venter est*, & carnis voluptates; ac propterea *eorum finis interitus*, & æterna *confusio*.

Gula omnē inuexit pœnam.

Hom. 13. in Mat. tom. 2.

e Gen. 7. 17. 21.

f Cap. 19. 24. Ezec. 16. 49.

g Exo. 32. 6.

h Num. 25. 2 & c. 31. 16.

i Phil. 3. 19.

Hvc accedit lamentabilis illa discordia, de qua idem Apostolus ait quòd k *caro concupiscat aduersus spiritum: spiritus autem contra carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur*: & quisque pugnat vt alterum vincat, & occidat: Spiritus, vt prauas carnis inclinationes sibi subijciat: hæc vt bonas spiritus propensiones ad se trahendo vincat: quæ vix (vt ait Ieremias) rem sibi iucundam aspexit, cùm instar l *equi emissarij hinnit* ad rem, quæ illam recreat & oblectat: quamuis mors propterea accidat animæ. In hac autē pugna tam contentiosa & ancipiti *duo* sunt *Duces* pugnantibus fauentes: *spiritus S.* inspirationibus suis fauet spiritui, vt strenuè certet aduersus carnem: at *dæmon* execrandis suis suggestionibus tanquam framea fauet ipsi carni, vt fortiter spiritui resistat, non tam violenter, quàm *blandè* alliciendo: quod si ille blanditijs huiusmodi emolliatur, & sese illi dedat: vitam amittit, & spiritus S. illum deserit. Quemadmodum Dalila à Philistæis, Samsonis hostibus persuasa, blanditijs illum decepit, & causa fuit cur m *recederet ab eo Dominus*, & in manus incideret Philistæorum: à quibus tanquam vile mancipium tractaretur.

k Gal. 5. 17.

l Iere. 5. 8. Duo duces pugnantiū.

Caro blāda.

m Iudic. 16. 20.

Sed non in solo spiritu damna sistunt, quæ tentator suo gladio infert. Nam ex repercussione adfert alia non leuiora ipsimet carni in rebus, quas illa ad suam voluptatem expetit. Si enim diligentius inspiciamus: gula & luxuria *quinque* illa, quæ huius mundi homines plurimi faciunt, valdè destruunt bona scilicet fortunæ, honorem, delitias, sanitatem, & vitam ipsam. *Fortunæ bona* destruunt: quia, vt suis propensionibus ac delitijs satisfaciant, ea consumunt: sicut Esau n *primogenita sua vendidit pro lentis edulio: & abiit*,

6. Caro quinque damna adfert.

n Gen. 25. 24

Fortunarũ.

parui pendens quòd primogenita sua vendidisset, vt suam famem expleret: & filius prodigus o *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Honorem* lædit; quia despectum hominem faciunt, tanquam degenerantem ab ingenuitate humana, seq; delitijs & voluptatibus tradentem: quæ sunt cum bestijs communes. per illa enim maximè p *comparatur homo* (vt ait Dauid) *iumentis insipientibus & similis factus est illis.* & verè *insipientibus* comparatur: quia vtrumque hoc vitium valdè obscurat iudicium *rationis*: in qua hominis gloria consistit. Et propter hanc causam *ebrietas* apud homines ingenuos & honoratos, est vitium infame. & de *intemperantia* dixit Aristoteles, quòd sit vitium puerile: eò quòd gustatus oblectationem potiùs sequatur, quàm dictamen rationis. Et *luxuria*, cùm crescit, magnam adfert infamiã, & notam ac maculam honori apponit. Quid verò dicam de *voluptate*, quam vtraque tantoperè appetit? quam tamen ipsæmet, cùm nimiæ sunt, imminuunt. Et licèt blandè initio ingrediatur: in fine tamen vehementer cruciat. Propterea enim dixit Sapiens: q *ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber; & sicut regulus venena diffundet.* Quasi apertè diceret: cohibe appetitum *voluptatis*, quem *gula* & *libido* in primo suo ingressu adferunt: cogitans & perpendens dolorem & cruciatum, quem post suũ accessum efficiunt. nimius enim cibus conuertitur in colubrum, & nimius potus in regulum: &, vt dicitur in libro Iob: r *panis eius vertitur in fel aspidum intrinsecus*: & inhonesta *dulcedo in vermes.* Hæc enim omnia mordent, veneno inficinnt, & felleam amaritudinem *conscientiæ* inferunt: quam horrendis morsibus rodunt. Imò ipsi corpori graues adferunt *morbos* ac dolores; & interdum etiam *pudorem* & ignominiam, & hac ratione parata quasi pecunia exsoluit in *septuplum* voluptatem, qua, dum peccaret, fuit affectus; manetque miser stomachus cruditatibus affectus, & afflictus: t *cùm satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* vt sic locũ habeat, quod dixit Sapiens: quia u *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* ita vt gula & libido carnifices fiant eas admittentis; & quæ voluptatis fuerunt instrumenta, sint & cruciatus. Et quod rẽ totã maximè confirmat est, quòd (vt S. Basilius perpendit) id quod Deus ad vitæ conseruationem & humani generis dilatationem creauit, conuertatur in lethiferum *venenum*, mortem adferens cum infirmitatibus grauissimis, & per modos *violentos*: quemadmodum apparet in Hebræis per desertum ambulantibus: quos Deus à morbis præseruauit; vt enim Dauid dixit: x *non erat in tribubus eorum infirmus*: in pœnam tamen gulæ, & libidinis, violentas, valdeque horrendas mortes sunt perpessi.

Ex dictis facilè intelligitur, quàm sit ferox primus hic tentator, equo insidens rufo indomitæ carnis: quando Deus illi permittit *gladium suum* vi-

brare.

o *Luc.* 15. 13. *Honoris.*

p *Psal.* 48. 13. 21.

3. *Eth. c. vlt. S. Tho.* 2. 2. *q.* 142. *a.* 2. *Voluptatis.*

q *Pro.* 23. 31.

x *Iob.* 20. 14. *Isa.* 24. 20.

Sanitatis.

t *Iob.* 20. 22.

u *Sap.* 11. 17.

Interog. 9. Vitæ.

x *Psal.* 104. 37.

brare. Contra quem init pugnam Dux noster Iesus in suis electis, in quibus & per quos ingreditur *vincens vt vincat*: quia suis inspirationibus mouet, strenuèque adiuuat, vt minores hostes superent: & ita possint etiam maiores vincere: vt scilicet *carnalia* vitia superantes, possint etiam *spiritualia* prosternere; & *gulam* vincentes, *libidinem* quoque vincant: &, hac superata, etiam *Iram*, *Superbiam*, & reliqua *ferociora* vincant.

1. *Disfide tibi.*

Primvm autem, quòd ad vincendum in his pugnis, illis inspirat, est propriæ imbecillitatis cognitio, ac defectus virium ad vincendum, nisi ipsemet Dominus pugnet & vincat in eis: quemadmodum Salomon, etiamsi y *sortitus esset animam bonam*, ad bona scilicet propensam, *corpusq; haberet incoinquinatum*, beneq; constitutum, fatebatur tamen, *se non posse esse continentem, nisi Deus* hoc ipsum *ei daret*. Sed distinctius adhuc Apostolus hoc expressit, qui omnium nomine dicebat: z *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, à mortali sc. hoc corpore? qui tamen seipsum consolans statim subiungit: *gratia Dei per Iesum C. D. N.* Hic Saluator pugnat, vincitq; in me & per me carnem meam. Ipse *rursum* hunc *equũ* domabit, dæmonemq;, ipsum gubernantem, vincet: eiusq; gladiũ hebetabit. Ne timeas; ô anima, pugnam inire contra hunc hostẽ, si Christi temperantiã & castitatem amplectaris. Accipe in manu tua eius arcũ, adhibens eius verba, & exempla, doctrinam eius, & crucem: eiaculare in carnem tuam sagittas, dicens ei: ô misera & cæca: Dominus tuus tibi dicit, a *beatos esse qui lugent*: b *væ autem iis, qui rident: quia lugebunt & flebunt*. tu verò fletum fugiés, risũ amas, & quæris, ipse ieiunat in deserto: tu verò quæris, vt indulgẽter comedas, & bibas? ipse in cruce pendens, felle & aceto potatur: & tu cibos & escas quæris magni pretij? ipse ardet igne dolorum & cruciatuum: & tu quęris ardere igne sensualium voluptatum? non ita erit in posterum. Sed quemadmodum ipse carnem suã habet tribus clauis affixam cruci, & ex suis vulneribus sanguinis torrentes fluunt: ita ego meam crucifigã, ieiunijs, verberibus, cilicijs & alijs asperitatibus: sanguinem ipsum, si opus sit effundendo, vt omnia eius vitia & concupiscentias mortificem. vt hac ratione rufum illum colorem, quo iam est tincta, permutem ne in posterum rubeat sanguine peccatorum, sed proprio, quem pro eis effundam; & c *agni sanguine, in quo Sancti lauerunt & dealbauerunt stolas suas*, corpora scilicet & animas. Et quoniam sanguis hic in sanctis Sacramentis est repositus: eis ego me muniam contra vitia carnis, præcipuè sanctissimo altaris Sacramento, in quo castissima & immaculati Agni caro consistit; & d *vinum germinans virgines*: cuius cibus & potus confortabit carnem meam, aduersus gulæ & libidinis tentationes; facietque illam temperantem & castam.

y *Sap.* 8. 20.

z *Rom.* 7. 23.

2. *Christum imitare.*

a *Matt.* 5. 5.
b *Luc.* 6. 25.

3. *Mortificatio.*

c *Apoc.* 7. 14

4. *S. Sacramenta.*

d *Zach.* 9. 17

5. *Imaginatio frenanda.*

HISCE considerationibus ac remedijs danda tibi est opera, vt hostis gladium ex eius manibus excutias, aut certè hebetè reddas, vim reprimès *imaginationum*, quas in te repentè iaculatur, aut ipsa tua phantasia ex se producès est & studens, loco prauarum, bonas proferre. Nam quemadmodum clauus clauo pellitur: ita praua cogitatio pellitur bona; & imaginatio Christi crucifixi, imaginationem pellet delectationis impuræ; & ignis infernalis apprehensio, libidinosi ignis repræsentationem extinguet.

6. c *Gen.* 25. 25 f *cap.* 32. 25. *Ducis spiritual. tract.* 1 *cap.* 2. *Deus oratione vincendus.*

PRÆTEREA sicut Iacob, cùm videret, se persecutionem pati à fratre suo Esau, quod *erufum* significat, recurrit ad orationis remediũ, lacrymisque f *luctabatur* tota nocte *vsque mane cum viro*, hoc est cum ipso Deo: *qui tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit: mutauitq; nomen eius Iacob in Israel, dicens: si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*: ita quãdo experieris persecutionem carnis tuæ, & effrenis huius equi *rufi*, arripe arcum orationis; & iacias ad Deum iaculatoriarum orationum sagittas, quę eius cor penetrent: & ita vrgere eum perge, donec in tuum veniat auxilium; & carnis tuæ neruus, amor scilicet sensualis, & voluptatum appetitio, cui eius vis innititur, emarcescat: nam, si in Deum eris fortis, orationibus tuis eum deuinciens: prævalebis contra tuos hostes, pugnante ipso in te, & per te, ad eos prosternendos.

7. *Occasio vitranda.*

DENIQVE, quoniam dæmon etiam te aggredietur in *equis rufis* multorum hominum, aut mulierum, helluonum, & impurorum, vt per eos in hæc duo vitia deijciat: reuoca in memoriam id, quod DEVS D. N. iussit facere Ducem illum Iosue, cùm egrederetur ad pugnam contra suos hostes: g *equos*, inquit, *eorum subneruabis*. Ille (ait Origenes) Dæmonis equos subneruat, qui gladio mortificationis neruos abscindit tentationum, carnis scilicet passiones, & exteriores occasiones, quibus illæ aluntur & fouentur. Ideò enim noster Saluator dixit: h *si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & celerrimè proiice abs te*. Fuge tam pernicioſam societatem, & abscinde neruos tuorum affectuum gladio verbi DEI, & rationum, quas attulimus. Abscinde quoque gulæ & libidinis neruos, qui sunt cibi, & condimenta pretiosa, & suauia; & vina remoue pretiosa, & condita, conuiuia, comœdias, ludos & aspectus minus compositos, aliaque profana otia, & quæ talibus peccatis occasionem præbent; & ipsam *otiositatem*, quæ prædictorum omnium est *neruus*: & hac ratione tutior eris. Reliqua ad vtrumque hoc vitium pertinentia proponentur in proprio de continentia & castitate Tractatu. Imponamus tandem huic capiti finem, insinuando inordinatas alias affectiones, quas concupiscentia carnis producit inter parentes, & filios, fratres, & cognatos. qui magis ad literam significantur per *equum rufum*, in quo Dæmon sedebat cum suo gladio, vt Christum D. N. eiusque Discipu-

g *Ios.* 11. 6.

h *Mat.* 18. 8.

Otium neruus peccati.

Tentatio à parentibus.

los

los persequeretur, quemadmodum ipsemet monuit: nec in hanc diem cessat; eadem via, & per eosdem suos milites eos tentare & persequi: qui ad statum Religiosum sunt vocati: quemadmodum apparebit; cùm de eo statu sermo instituetur. Ad eum enim reijcio, quòd spectat ad hanc tentationem, nam inter Christianos illi maximè importunam hanc tentationem sentiunt, qui agunt de Religioso statu suscipiendo.

CAPVT VIII.

OCVLORVM CONCVPISCENTIAM, CVRIOSVM scilicet sciendi desiderium, ac proprium iudicium, radicem esse multarum tentationum contra fidem, & Christianam perfectionem: & qua ratione illæ vincendæ.

POST pugnas cum carnis concupiscentia, sequuntur illæ, quæ habentur cum *concupiscentia*, quam S. Ioannes appellat *oculorum*, quæ (vt ait S. Thomas) consistit in desiderio inordinato res *duas* consequendi, quæ in mũdo fiũt, *scientiam* scilicet, & *diuitias*. PRIMA concupiscentia appellatur CVRIOSITAS: quamuis hoc nomen non satis eius vim explicet. est enim inordinatio illa oculorum, quos peccatum aperuit, cùm serpens tentans Euam dixit: b *in quocunque die comederitis ex eo fructu, aperientur oculi vestri: Et eritis sicut Dii scientes bonũ & malũ*: qua consentiente in tentationem, inuaserunt & occupauerunt eam duæ oculorum concupiscentiæ valdè pernitiosę. Prima *oculorum* materialium corporis, qui statim appetiuerunt curiosè videre res nouas, pulchras & iucundas, quæ corporis sensus recrearent. Et ita addit Scriptura Sacra *vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile*. Non absque causa (ait Rupertus) ponitur in textu verbum illud, *vidit mulier*. non quòd priùs non vidisset arborem ipsam *scientiæ*; sed quòd tunc curiosis oculis eam aspexerit, attendens ad omnia, quæ in illa erant: vt aspectum suum, gustatum, & reliquos sensus recrearet. Er ex hac oritur altera concupiscentia oculorum animæ spiritualium, qui *scire* desiderant bonum & malum, sicut DEVS nouit: appetentes superbè & arroganter singularem in scientijs excellentiam, vt plurima nouerint non curantes, an illa bona sint, an mala; vtilia: an pernicioſa. Et quamuis concupiscentia ad oculos aperiendos dirigatur eos tamen multò ampliùs excœcat ingentibus ignorantijs, & erroribus illam comitantibus. Quemadmodum miseræ Eiæ in illa tentatione e-

1. Ioã. 2. 16. 1. 2. q. 77 a. 5

Curiositas.

b Gen. 3. 5. 6

1. *Videndi.*

Li. 3. de Trinit. c. 9

2. *Sciendi.*

uenit: nã serpens decipiẽdi illam cupidus, ita sermonẽ est auspicatus: *cur præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis de omni ligno paradisi?* quasi diceret: noli oculos habere ita clausos, nec ita in cumulo, ac cœcè credas, quod DEVS tibi dicit, & iubet: sed attende diligentius causam, cur ita præceperit. Nam callidus hic tentator non vno impetu ingreditur, dicens: falsum est, quod fides reuelat; aut malum est, & ferri non potest, quod lex iubet: sed primum injecit cogitationes dubias aut *curiosas*; suggerens desideria sciendi rationes mysteriorum, aut præceptorum: vt cùm non inuenerint claras incipiant *dubitare* & *tædium* quoddam concipere. Quemadmodum Eua, quando audiuit interrogationem serpentis, cæpit cogitare, quid illi responderet. & ita aditum aperuit superbiæ, & desiderio libertatis, & tædio, quod se videret ligatam, ne fructum illum gustaret. Et mox iudicium proprium illam postrauit in grauissimos *duos* errores, quos in suo responso aperuit, dicens: præcepit nobis DEVS ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.

Primus error, ait S. Ambrosius, fuit addere præcepto Dei aliquid, quo illud fiebat grauius, & insipidum: quia Dominus noster solum præceperat, ne comederent ex illa arbore: illa verò addidit: *ne tangeremus*, quasi diceret: est adeò graue DEI præceptum, vt neque tangere arborem permittamur: & sic cæpit proprium iudicium facere officium suum, proferendo primum omnium mendacium in toto mundo: quia d *finxit* (vt ait Dauid) *laborem* intolerabilem *in præcepto* DEI: & sic præparauit se ad illud non explendum.

Mox *secundum* adiecit errorem magis pernicioſum, declarando pœnam peccati ex proprio iudicio. Cœpit enim dubitare, an pœna mortis esset *absoluta* sententia, an tantùm *comminatoria* ad metum incutiendum. Et quia hoc secundum magis erat ipsius desiderio conforme, facile inclinauit, vt ita crederet: & propterea respondens dixit, *ne forte moriamur*. Videns itaque serpens felicem primæ suæ tentationis exitum, decreuit in pugna pergere ita dextrè, vt miseram denique deciperet, quæ *proprio* suo *iudicio* initium dederat huic deceptioni. & ita illi dixit: *nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* In quibus verbis pater ille mendacij *tria* detestãda suggessit. Quod scilicet Deus esset *mendax*, dicens, quòd illi morerentur, si fructum illum comederent; & quòd esset inuidus, eò quòd ex *inuidia* illud dixisset, ne ad tantam excellentiam peruenirent, vt scirent, quantum ipse Deus: ac denique quòd fructus corporalis sumptio sufficeret ad illos tanta *scientia* implendos, vt omnia scirent, & nihil ignorarent. Sciebat benè Satanas: hoc totum esse mendacium: at (vt benè perpendit Rupertus Abbas) fecit officium Sophistæ, adhibendo verba dubia, & in duplici sensu. Altero valdè suaui & grato ipsi Euæ; altero verò

perni-

Damõ paulatim transit ad Curiositatẽ Dubitationem. Tædium.

L. de Adã & Eua siue d. Parad. c. 12. Duo errores Euæ.

d *Ps.* 93. 20.

2.

Dæmon mendax.

Li. 3. de Tri. c. 7. & 8.

pernicioso & occulto. Verum quidem erat, illos non morituros morte *corporali* statim, atque fructum prohibitum gustassent: sed cupiebat ipse, vt illa intelligeret, nec animæ morte illos statim morituros, nec posteà corporis, Sed contra falsum erat, futuros illos tanquam Deos; & cognituros bonum & malum, quemadmodum DEVS nouit, quamuis Satan cupiebat, vt Eua ita intelligeret. Sed optabat ipse, illos esse tanquam DEOS, hoc est tanquam Spiritus Angelicos, qui erant *dæmones*: ad quorum similitudinem non solùm bonum sed etiam malum scirent, experti malum culpæ & pœnæ, quod illi experiuntur.

Sophista.

Væ deceptori & duplici lingua. Eccl. 3. v. 23

ISTI sunt Sophistici astus Satanæ, in quibus cum multi huius sæculi filij imitantur, vtentes verbis, quæ habent plures sensus, ad decipiendum: ita vt in aperto mendacio non capiantur. De quibus Sapiens dicit: *e qui Sophisticè loquitur odibilis est, & in omni re fraudabitur.* nam DEVS permittet, vt quemadmodum ipse decipit, ita quoque decipiatur: quamuis satis magna sit deceptio, quòd aliorum sit deceptor: quia facit officium dæmonis contra illos.

1.
Eua ignorauit præceptorem.

SED videamus nunc, quomodo se gesserit Eua cum huiusmodi deceptionibus? Nam statim ostendit se prostratam curiosæ oculorum suorum concupiscentiæ, proprioque iudicio: adhibens fidem ei qui loquebatur, & nouam illam doctrinam docebat: non prius examinans quis ille esset doctor. æquum enim fuisset, certiorem prius fieri, an *serpens* esset, qui peritiam haberet loquendi; an *Spiritus* alius per illum loqueretur: & an ille Spiritus DEVS esset, an *Angelus*: quòd si Angelus; *malus* ne esset, an *bonus*? At curiositas impedit huiusmodi examina: quando is qui loquitur, ea proponit, quæ arrident. Eò enim peruenit hoc vitium, vt multi velint scientes & volentes dæmonem sequi magistrum: vt ipsos doceat Negromanticam, Iudiciariam, & Diuinatoriam; aut vt illis occulta aliqua, & valdè distantia aperiat. Et propterea S. Augustinus ait: multos Philosophos antiquos noluisse admittere fidem Christianam, deceptos vana curiositate egendi cum dæmonibus: & alios, fidem iam habentes, propterea eam amittere, quòd recurrant sicut Saul ad negromantica vt manifestetur ipsis, quod scire auent. Sed quid mirum, quòd qui assueuit in rebus suis idolum *proprij iudicij* consulere: accedat etiam ad consulendum *dæmonem*? & quod fidem adhibeat dicenti: quæ *proprium iudicium* dictauerat.

Curiosi volunt decipi.

Lib. de vera Religio. c. 4. in 1. Tomo.

Idolum proprij iudicij.

HINC prouenit *secunda* Euæ ignorantia: quia citò nimis credidit, valdeq; leuiter verbis serpentis eò quòd essent valdè dulcia. cũ potuisset valdè facilè, &, paruo examine præmisso, aduertere, ea esse falsa, ac deceptoria.

Credidit nimis citò Eua.

ria. Cùm enim DEVS esset prima Veritas, non potuit mentiri, nec decipere: &, cùm esset summa Bonitas, non potuit inuidia laborare. Sed stulta & ignara, ita excœcata fuit splendore externorum verborum: vt non aduerteret latens in eis venenum. Et eadem leuitate, qua credidit, executa est quod credebat: accipiendo statim fructum sibi prohibitum. nam superbi & curiosi, vt sunt faciles ad similia credenda, ita sunt celeres ad eadem exequēda: quia Satanas illos sollicitat, vt accelerent: ne aut pœnitudini, aut maiori deliberationi, aut consultationi aditum præbeant.

3. *Eua nullum consuluit.*

ET HIC *tertius* fuit error Euæ: quòd fiderit, tantumque proprio iudicio tribuerit, & serpentis suasioni: vt neque cum Adamo conferre voluerit, qui erat ipsius caput, & vir sapiens. Credendum est enim, si, antequam fructum ipsa degustasset, ipsum consuluisset de ijs, quæ serpens suggessisset, ille deceptionem & fraudem retexisset: & ita culpa *interior* non fuisset progressa ad *exteriorem*: prudentiùs egisset respondendo serpenti: nolo quod suggeris facere, donec conferam cum viro meo. quamuis dæmon non neglexisset consilium illud nouis fraudibus impedire: quia vehementer horret, quod ipsius suggestiones cum Patribus spiritualibus communicentur: & hunc ipsum horrorem affricat ijs, qui proprio iudicio nimium fidunt, existimantes: se non indigere magistro, & consiliario: cùm possint ipsi reliquis consulere.

4. *Eua tentat virum.*

f 1. Ti. 2. 14. *Epi. ad Trall Ire. l. 3. contra hær. c. 31. Hil. Can. 3. in Matth. Aug in Psal. 68. Vide Pereriū l. 6. c. 3 in id, dedit que viro suo*

ET TVNC error pertingit ad summum fastigium, quod potest: infelix enim Eua, cùm tentationi succubuisset, euasit in *tentatricem*; &, cùm debuisset esse discipula, voluit esse magistra; & errorem docere, quem didicerat: eūdem proponendo Adamo, vt ei persuaderet, quod ipsa crediderat. quem facilè vicit: nam in hac pugna coniunxit dæmon concupiscētiam oculorum carnis concupiscetiæ: & voluntas ac desiderium vxori placendi, illum impulit vt fructum gustaret. Et quamuis Apostolus dixerit: quod f *Adam non fuerit seductus* immediatè à Serpente: at, vt S. Ignat. Martyr, & alij Sancti Patres dicunt, fuit tamen aliquo modo seductus per Euam: cuius verba eū prouocarunt ad motus superbiæ, & curiosam oculorum concupiscentiam: qua fructus illius virtutem experiretur, nonnihil hæsitans, an mortis sententia, à DEO prolata, esset tantùm comminatoria: siquidem Eua, quæ iam commederat, non fuisset mortua.

§. I. *De Serpente qui est secundus tentator.*

SERPENS hic, cuius fraudes retulimus, est secundus tentator: quem S. Ioannes vidit a *sedentem super equum nigrum, & habentem statera in manu sua*: vt aggrederetur ac deciperet Christianos: quos nunc per seipsum, nunc per alios homines aggreditur. Cùm per seipsum id facit, sicut est aggressus Euam: *niger* eius equus est, *proprium*, eius qui tentatur, *iudicium*; cùm illi

a *Apoc. 6. 5*

for-

fortiter valdè addictus, complacet sibi in scientia & prudentia sua. Quod iudicium benè appellatur *equus Satanæ*: is enim eius dirigit dictamina; deducitque ad omnes errores ac deceptiones, quas intendit. Exprimuntur autem tales aprè *nigro* colore: quia iudicium proprium est ignarum, imprudens, & cæcum: quamuis maximè putet, se clarissimos habere oculos ad videndam veritatem; ac propterea rectè de rebus iudicare. Quamobrem tentator, *habebat statera in manu sua*, quasi iactaret veritatem, & iustitiam, scientiam & sanctitatem sectari: quibus tentationes suas occultat, vt facilius decipiat: quia eius *statera* falla est ac dolosa: ideoq; quidquid in ea ponit, falsitas est & iniustitia, cum titulo tamen *fidelitatis*: quia asseuerat, se optimè rem considerasse, ac perpendisse. Ex quo fit, vt quando hac ratione decoperit viros aliquos graues, & qui magnas habent naturales dotes, aut superbè præsumunt de sua eruditione, & sanctitate; eis dæmon insideat tanquam equis nigris, vt reliquos tentet ac decipiat. Huiusmodi fuerunt omnes Hæresi archæ, vt Arius, Lutherus, Caluinus, falsique alij magristri, peruersas doctrinas contra bonos mores docentes; conantes irritare aut imminuere quod Christus D. N. in suo docuit Euangelio, qui huiusmodi tentationum nos monuit dicens: *videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo; dicentes: ego sum Christus. Et multos seducent. Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & seducent multos*: & idem monet Apostolus: *c nemo vos seducat inanibus verbis, d veniens in humilitate & religione Angelorum*, quasi nuntius DEI, docens, *quæ nunquam vidit*, aut audiuit, *frustra inflatus sensu carnis suæ*, & *e discedens a fide* & doctrina Christi *& attendens spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrysi* & fictione, *loquens mendacium cauteriatam habens conscientiam*. Huiusmodi etiam sunt multi filij huius sæculi, per quos aggreditur nos dæmon; prouocatque ad id, quod mundus decreuit, expedire: à proprio enim iudicio decepti, illud tanquam verum & sanctum approbant. De quibus idem Apostolus dixit: *f erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, voluptatum amatores magis quam* DEI: *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*. Omnes hi miseri & infelices, qui ipsi decepti, studeant etiam alios decipere, innituntur nigro suo & stulto iudicio proprio, quod ipsis est pseudochristus, & pseudopropheta. nam quicquid illud suggerit existimant, Christum D. N. aut Prophetam aliquem illud suggerere, ac reuelare. Et hoc modo, vt dixit S. Petrus, *deprauant Scripturas Sacras ad suam ipsorum perditionem*: cùm eas non intelligant, sed torquent secundùm iudicium suum, seipsos & alios

Proprij iudicij nigredo.

Statera eius falsa.

b *Matt.* 24. 4. 24.

c *Eph.* 5. 6.
d *Col.* 2. 18.
e 1. *Ti.* 4. 2.

Seductores equi Satanæ.

f 2. *Tim.* 3. 1.

decipientes mendacijs & erroribus, quos ex eis hauriunt: quia eas non intelligunt.

HOC satis indicat & manifestat ipsum tentatoris insigne: qui veniens in *equo*, *stateram* tamen habet in manu: manifestum est autem, equitem, maximè si equus sit petulans, nihil posse fideliter ponderare: vt qui non possit manum firmam tenere. Et propterea dixit Oseas: g *stateram in manu Chanaan esse dolosam*, quæ vox (vt Sanctus Hieronymus ait) significat *mouentem se ab vna in alteram partem*: ideoque infideliter & fraudulenter ponderare. quamobrem superbus quisque, & cupidus, & passione aliqua affectus, & qui proprio solo iudicio ducitur, si accipiat in manu stateram Sacræ Scripturæ, & rationis, vt ponderet quæ dicit, aut facit, non ponderabit fideliter: quia ipsum stateræ momentum semper mouetur, & statera trahitur ad id, quod exigit honor, vtilitas, aut voluptas; & ad id, quod proprium iudicium illi dictat. quare omnia torquet trahitque ad id, quod delectat. pondus enim affectionum trahit post se ipsas rationes.

SED quis stragem explicare poterit, quam hic tentator nigro suo equo adfert? idem ipse DEVS hoc Euangelistæ reuelauit, cùm ait: se, statim atque equus ille niger prodierat, audiuisse vocem dicentem: h *bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* hoc est duæ libræ tritici & tres hordei denario vendentur. cuius sensus (vt multi Patres declarant) est, dari potestatem sedenti in nigro equo, vt vastet tritici & hordei messes: non omnino, sed magna ex parte. ita vt ingens fames, & annonæ caritas in terra sequatur. quid autem hoc sibi vult: nisi quod prædixerit DEVS, ex occultis suis iudicijs, Tentatorem hunc deceptionibus & fraudibus suis ex magna mundi parte ablaturum verum animarum *alimentum*, *fidem* scilicet & *doctrinam Catholicam*, tam subtiliorem & sublimiorem, quæ per *triticum* significatur: quàm communem & vulgarem, significatam per *hordeum*: vt sic ingens illa fames oriatur, cuius in primo Tomo fecimus mentionem. Non tamē permittitur omninò, hanc messem deuastare: nam, in eius despectum, semper in Ecclesia erit verum hoc alimentum pro fidelibus filijs, quibus ipse non poterit nocere.

CONTRA hunc tentatorem, cùm te inuaserit, oportet te strenuè pugnare, *oculos* equi nigri dextrè frangēdo. *Primum* ergo mortificanda est cōcupiscentia oculorum *corporalium*, ineundo i *cum eis fœdus*, sicut S. Iob, vt claudantur suo tempore: ne ingrediantur per illos malæ cogitationes. Quòd si curiositas te vrgeat, vt eos aperias ad res nouas & pulchras: mortifica illam, dicēs cū S. Bernardo: cur videre vis quod non licet optare? quod si non est culpa illud videre; est saltem culpæ occasio, & indicium curiositatis. Cautior esto ex lapsu Euæ, quæ fructum aspexit, quē nō poterat sine

pecca-

g *Oseæ 12. 7.*

De nominibus hebr. in Nu. & Gen.

Cupidi statera infida.

h *Apoc. 6. 6. Ribera hic eos citat.*

Dæmon alimentum subtrahit.

Tract. 1. c. 6. & 8.

1.

i *Iob. 31. 1. Oculi custodiendi.*

Tr. de Grad. humilit.

peccato comedere; & post aspectum, extendit manum ad illum accipiendum, & k*per* oculorum *fenestras* & aurium *ingressa est mors* culpæ, & latro, qui deprædatus est innocentiam.

k *Ier.9.21. S. Greg.21. Mor.c 2.*

ET STATIM acriorem adhuc pugnam inibis cum concupiscentia oculorum *spiritualium*, refrænans inordinata *sciendi* desideria, quæ sunt socij superbiæ appetentis excellentiam l *scientiarum quæ inflant.* Amplectere Apostoli consilium dicentis: m *non plus sapere quàm oportet: sed sapere ad sobrietatem*: vt satis tibi esse existimes (vt ait S. Thomas) scire res bonas & vtiles; & quæ tuæ capacitati & statui sunt conformes, & in finem bonum, & cum affectu ordinato. Et vt Ecclesiasticus ait: n *altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* ne tuis rationibus metire fidei mysteria, aut occulta DEI iudicia, aut præcepta in rebus, quas ipse non reuelauit, vultque nobis esse occultas: ad hæc enim omnia claudendi tibi sunt oculi, & intellectus captiuãdus, ad credendũ quod fides docet, & exequendũ, quod iubet lex. Et quãdo infernalis serpens aliquid contra hæc dixerit, aut aliquid interrogauerit, aut dubiũ proposuerit: noli in disputationẽ cũ eo descẽdere, sicut Eua; nec familiariter cum eo agas, aut hæreas de ijs cogitando, quę dicit: nec quidem vt responsum illi des. Non enim alio responso est opus quã ipsis fidei verbis & legis: nihil addẽdo, aut minuẽdo, aut mutãdo, aut dubitãdo: sed dicendo illi: hoc dicit DEVS: hoc præcipit: hoc credo, & hoc volo: sufficit. n. quod ille dicat, & mandet: vt illud censeatur verum & sanctum. Et quamuis ipsasmet fidei veritates tibi dicat, ne illum tanquam Magistrum acceptes. nam qui te adeò odit, semper suspectus esse debet, quòd ad tuam tendat perniciem.

l 1. *Cor.8.*

m *Ro.12.3. 2.2. q.167. a.1.*

n *Eccl.3.22.*

Curiositas fœnanda.

Cum Diabolo ne disseras.

HINC *tertium* documentum sequitur, vt vigilantissimè aduertas, quis Magister sit, qui te doceat, & loquatur, siue internè, siue externè: quandiu eum non noueris. Ne fortè sit Dæmon, qui in aliquo *equo nigro* sedet, vt te decipiat statera, quam habet in manu: propterea enim dixit S. Ioannes: o *nolite omni Spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Et idem monuit Christus D. N. dicens: p *attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos.* Si vis noscere *nigrum* falsi magistri equum: non aspicias externum eius colorem: quia multi sunt quasi q *sepulchra* exterius *dealbata*; quæ tamen *intus sunt plena ossibus mortuorum* fœtidissimis: quorum nigredo latet in abscondito. Aspice diligenter: an sit equus petulans & effrœnis; ducaturque à suis passionibus, & cupiditatibus; voluptatibus addictus, curiosus, superbus, pertinax: & ex his fructibus agnosces, esse falsum Prophetam; falsamque statera, quam gestat in manu: & quod non fideliter ponderet, quod dicit: eò quòd ab eius passione statera inclinet ad partem, quam ille vult:

3.

o *1. Ioan.4.1*

p *Mat.7.15.*

q *Mat.23.27*

Fide sed cui, vide.

vult: *Verba* & opera verorum magistrorum *prudentum*, & sanctorum: (quêadmodum ait Ecclesiasticus) vera *statera ponderabuntur*, non *statera dolosa* illa Chanaan, sed pondere sanctuarij stabili, quod est in manu Christi, eiusque Ecclesiæ, & verorum eius Prælatorum.

r Eccl. 21 28.
s Ose. 12. 7.

4. In Duce spir. Trat. 4. c. 7.
t Ios. 11. 6. Proprium iudicium caue.
u Pro. 3. 5.

PRÆTEREA, si deceptorem hunc velis superare: nunquam debes *proprio* tuo *iudicio* fidere. Nã vt alio loco diximus) illud est fons omnium deceptionum, eritque contra te niger equus dæmonis: sed debes illud statim t *subnervare*, nervosqu rationũ eius frangere, quibus ille nititur, cõtemnendo phantasticas tuas rationes, & mortificando vanitatis ac superbiæ appetitum: ex quibus oritur vt placeant tibi, quæ tu iudicas, & sentis. u *Ne vnquã innitaris prudentiæ tuæ*, ait Sapiens, nec leuiter mouearis, vt facias', quæ illa dictat: alioqui à tali Duce in pugnam deductus, facilè succumbes. quemadmodum illi milites, de quibus Scriptura Sacra dicit, x *multos cecidisse in bello, eò quòd sine consilio exiissent in prælium*. deniq; oportet profundas mittere radices in Fide, vt sis firmus, ita vt, quemadmodũ Apostolus dicebat, y *Christus habitet per fidem in corde tuo in charitate radicatam & fundatam*, cum certo decreto nihil credendi, nec admittendi cõtra illam: quemadmodũ idem Apostolus Galatis in fide dubitantibus dicebat: z *licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema sit*. & vt tale repellite. Hoc igitur spiritus feruore, tale quid obijcienti dæmoni, respondere poteris: si possibile esset, vt Angelus aliquis, aut Apostolus aliquid mihi diceret ijs contrarium, quæ fides me docet: nullo modo illi consentirem, quantò igitur minus admittam, quòd tu hostis meus mihi dicis? quod si pellem Apostoli indueres, aut laruam Angeli lucis, vt me deciperes: nullam tibi fidem adhiberem. cùm etiamsi reuera vnus ex illis esses, nõ tibi crederem. Hunc loquẽdi modum adinuenit magno feruore S. Apostolus: non quod sit possibile Apostolum, aut Angelum aliquẽ nos decipere; & aliquid contra id, quod fides docet, nobis proponere: sed vt firmitatem declararet, qua hostibus sit resistendum; qui vestimenta induentes Apostolorum Christi, aut Angelorum cœlestium, nos conantur decipere.

x 1 Mac. 5. 67
y Eph. 3. 17. Fide sta.
z Gal. 1. 9. 8.
Idẽ habet. 2 Cor. 11. 13. 15
Rom. 8. 38.

FERVOR hic est præclarissima dispositio, ne DEVS permittat, te à tali hoste decipi. quêadmodum S. Euangelista Ioãnes insinuauit, cũ dixit: vocẽ illam cælestem dixisse insidenti equo nigro *vinum & oleum ne leseris*. prouidentia enim DEI nostri, quæ stateram habet in manu sua fidelissimam, qua omnia ponderat: limitat, vt suprà est dictum, huius tentatoris potestatem; nec permittit, vt statera sua falsa decipiat quoscunque voluerit; aut tangat, quos ipse excepit, veros scilicet ac feruentes Ecclesiæ Catholicæ filios: quę *vinea* est, & electum IESV Christi *oliuetum*: in quo iusti & perfecti viri tanquam vites & oliuæ non steriles, sed fructuosæ plantatæ sunt: quia non

Apoc. 6. 6.

sola fide, aut solis verbis contenti sunt, sed studeant feruens amoris DEI vinum, & præstans, copiosumque oleum misericordiæ in proximum proferre. Eo vino corroborantur interiùs, oleo verò tanquam luctatores vnguntur exteriùs: vt in vtriusque pugnis internis & externis, hostes suos superent; suasque lampades hisce bonis operibus fouent: vt fidei lumen & charitatis ignis ardeat semper: quarum lumine statim, atque dolosa tentatoris statera apparere incipit, eam nouerint, ac reijciant: Ad quod præstandum DEVS ipse illos illustrat, & adiuuat. Hoc enim est prohibere tentatorem à *lædendo vino & oleo*, quæ ipse sub sua accepit protectione.

Electos seruat Deus.

CONCLVDAMS prædicta omnia, indicando *vltimum* nostræ consolationis motiuũ pro calamitosis temporibus, in quibus versamur: perpendẽtes protectionem DEI nostri erga suam Ecclesiam, contra quam non poterunt prævalere omnes inferni dæmones: etiãsi omnes adferãt stateras dolosas; & innumeris insideant equis nigris ferociſſimis. Omnibus enim illis dicit DEVS: *vinum & oleum ne læseris.* hoc est: non datur tibi potestas, vt in Ecclesia *lædas vinum & oleum* Sacramentorũ, quibus pius a *Samaritanus vulnera curat* peccatorum; nec poteris vinum & alimentum sacrarum scripturarum auferre; nec bonorum operum fructũ; nec impedire, quin plurimi sint viri feruẽtes, sapientes, ac sancti qui fraudes tuas nouerint, ac retegant. Et quamuis tempore Eliæ adeò creuerit persecutio, vt videretur sibi solus relictus: DEVS tamen dixit illi: b *relinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua nõ sunt curuata ante Baal.* Et tempore Antichristi, qui futurus est equus ngier omniũ, quos dæmon habebit, ferociſſimus, quãdo is omnes suas vires & potentiã intendet, vt statera sua dolosa homines decipiat: erunt plurimi homines adeò constantes, vt ipsius congressus retundant, nec velint signum characteris ipsius accipere: vt illæsum seruent characterẽ & amorem Christi. Et quantumuis solicitus nunc excurrat in suis nigris equis, per Angliam, & alias regiones septentrionales: in eisdẽ tamen locis conseruat, & tuetur DEVS vites & oliuas multas, quibus non potest Sathan nocere & in ipsius despectum erunt plurimi fideles feruentes, qui fidem propugnent, & Religionẽ Christianam, eiusque splendorem & sanctitatem conseruent.

a Lu. 10. 34.

b 3. Reg. 19. 18. *Deus potestatem Dæmoni arctat.*

CAPVT IX.

TENTATIONES EX CONCVPISCENTIA DIVITIARVM: & ratio contra eas pugnandi.

NON est minus *ferox* quàm præcedentes, pugna tentationum, quam excitat *concupiscentia oculorum*, quæ *diuitiis* fouetur & alitur. qua *duplici* via homines inuadit: altera est inordinatum eas *acquirendi* desiderium, qua via & pauperes, & diuites

inuadit: *pauperes* quidem prætextu prospiciendi necessitatibus, quibus premuntur: *diuites* verò quia nunquam satiantur, sed semper ditiores esse cupiunt. Altera via est, inordinatus earundem diuitiarum, quæ iam habentur, *vsus*. quia exponuntur in delicijs, voluptatibus & pompis huius vitæ: & hac via oppugnat diuites sibi indulgentes, ac superbos. Primos congressus licet declarare eadem visione, quam proximo capite retulimus, a equo scilicet *nigri*, *cui* Dæmon *insidebat*, *habens stateram in manu*. optimè enim color *niger* competit furiosæ *auaritiæ* passioni, vtpotè innumerabilium deceptionum causæ. Omnia enim ponderat b *dolosa statera Chanaan*: propendente semper statera in eam partem, in quam inclinat cupiditas & auaritia. id apte significat ipsum nomen *Chanaan*, quod non solum significat *se mouentem*, vt supra diximus; sed etiam *mercatorem & negotiatorem*: vt ex hoc intelligatur: cupiditatem, quæ in huiusmodi hominibus regnare & prævalere solet, causam esse, cur dolosa statera omnia ponderentur, ad alios decipiendos quo possint ipsi diuitias sibi accumulare. Cupiditas enim est, quæ *proprias necessitates* dolosè ponderat, nimium eas exaggerando: vt occasionem habeat, plura bona fortunæ acquirendi, vt sibi prospiciat. Eadem ponderat rerum *valorem* proprias magni, alienas verò parui faciendo: vt carè vendat, vili verò emat. Ponderat fraudulenter *ius* in litibus & negotijs; retorquendo iustitiam in proprium commodum, & proximi damnum. Et quod peius est, ipsas *virtutes*, ac DEI *veritates* infideliter ponderat. vilius eas æstimando, quàm ipsa bona temporalia. Et eò peruenit, vt contemnat *charitatem*, & *misericordiam*, ac *iustitiam*; imò interdum ipsam etiam *Fidem*. Nam ex auaris huiusmodi cupidisque hominibus accipit Dæmon magistros falsos, ac deceptores: quorum opera, tanquam nigris equis vtitur, ad tentandum, ac decipiendum iustos ac simplices: quemadmodum Scribæ & Pharisæi auari ex cupiditate oblationum decipiebant plebem, dicentes: præstare c *munera offerre templo* Domini, quam eadem dare parentibus, etiam in necessitate constitutis. Siquidem Deus magis esset ipsorum Pater, quàm ipsi carnales. Huius tentatoris ferocitatem ac damna, quæ infert per auaritiam, declarauit Apostolus his verbis: d *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua: quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hæc dixit sanctus Apostolus: vt animum nobis adderet contra cupiditatem pugnandi, ob innumera damna, quæ ex ea oriuntur. Siquidem eo ipso quòd inordinatè appetas esse diues: hæc appetitio est tibi tentatio & laqueus Satanæ; quo ille te raptat, donec in gra-

uissim

a *Apoc. 6.5.*

b *Osea 12.7.*

Nigra auaritia statera fraudulēta.

c *Mat. 15.6.*

Auaritia damna.

d *1. Tim. 6.8*

missima peccata præcipitet. Præcipuè in ea, quæ S. Gregorius *auaritiæ filias* appellat, proditiones, fraudes, fallacias, periuria, inquietudinem, violentias, & contra misericordiam obdurationes cordis. Quemadmodum infelix Iudas, hac cupiditate victus, Magistrum suum vendidit triginta argenteis: &, cùm auaritiæ laqueo à Satana teneretur, incidit in laqueum desperationis, & e *laqueo se suspendit, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius* in morte, eò quòd ea sponte diffudisset in vita, deponens viscera misericordiæ, iuxta illud Sapientis: f *qui amat pecuniam, animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Cui autem animam suam vendit, nisi Dæmoni, qui eam comparat pretio peccatorum, quæ ipse facit, vt pecunias habeat? quomodo autem intima sua proijcit, nisi qui non miseretur animæ suæ: nec alienæ miseriæ compatitur?

Auaritiæ filia. *Lib.31. Mor. c.17.* *S. Thom. 2.2 q 618.a.8.* e *Act.1.18.* f *Eccl.10.10*

Qvid verò dicam de innumeris *desideriis*, quæ Apostolus vocat inutilia? cupidi enim sæpè desiderant res impossibiles, aut difficillimas; & sese occupant adinueniendis medijs, etiam prohibitis, vt voti compotes fiant. Sed omnia tamen sunt illis *inutilia*: quia reipsa non obtinebunt, quod optant: quia negligunt Sapientis consilium monentis: g *ne erigas oculos tuos ad opes, quas nõ potes habere: quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cœlum.* Et quamuis oculi tui ac desideria volent post huiusmodi opes, altiùs illæ volabunt, vt necvidere eas possis, & ita defatigatus & deceptus manebis, & Ecclesiasticus: h *fili*, inquit, *ne in multis sint actus tui*, hoc est, ne te effundas ad multa, vt fias diues: & *si dines fueris, non eris immunis à delicto. Si enim secutus fueris* diuitias, *non apprehendes: & non effugies* paupertatem, etiamsi fugiens *præcucurreris*. hoc enim à diuina *prouidentia* potiùs, quàm ab *industria* cupida dependet: propter quam puniet te Deus, auferens è manibus rem ipsam, etiã cùm proxime esses, vt illam apprehenderes. Quod si etiam apprehendas: numquid desideria tua desinent propterea esse inutilia? satis certè inutilia sunt, quæ tuam cupiditatem non exsatiant. Diues enim cupidus semper iudicat se esse pauperem: ac propterea cupit amplius ditari; &, quidquid comparat, parum iudicat i *auarus* enim, vt ait Ecclesiastes, *non implebitur pecunia: & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.* Et licèt temporale aliquid commodum ex eis accipias: adhuc tua desideria erunt inutilia. Siquidem non accipis *spirituale* vtilitatem pro anima tua; sed magnum detrimentum, iuxta illud Sapientis: k *quid prodest stulto habere diuitias?* aut interroga ipsos damnatos, & respondebunt: l *quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens; & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius*

Desideria inutilia. g *Prou.23.5* h *Eccl.11.10.* *Vel non accipies.* *Vel non satiaberis.* i *Eccl 5.9.* k *Pro.27.16.* *Sa.5.8.* *Et anima fraudatur.*

nullum

nullum inuenitur argumentum vtineris, nec vtilitatem aliquam reliquerunt in loco, in quo erant.

Desideria nociua.

SED non tantum hæc desideria sunt inutilia, sed addit Apostolus, etiam *nociua*: non solùm animæ illa habenti, sed cæteris quoque hominibus, quibus studet auferre bona, quæ habent, vt sibi illa retineat, & ita diteſcat: eò per media crudelia & nociua, & idem asserit S. Iacobus Apostolus. m *Vnde* (inquit) *bella, & lites in nobis? Nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militãt in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: occiditis, & zelatis: & no potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis. Petitis* à DEO, *& non accipitis. eò quòd male petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Hæc omnia vobis eueniunt, vt in vestris cõcupiscentijs pereatis & ipsemet consumũt, quæ vos maxime oblectant & ipsas fortunas, dũ tot lites propter eas excitatis. Hæc cupiditas introduxit in mundum verbum illud quod S. Chrysostomus *frigidum* appellat MEVM & TVVM. Quod verbum causa est innumerabilium bellorum. & omnium malorum, quæ sunt in hac misera vita. Frigiditate enim sua charitatem destruit: & volens quisque sibi, quod est alterius, lites excitat, an sit MEVM, an TVVM: & hoc nomine nec pax est, nec vnio, aut pietas Christiana. Et qui adeò est *crudelis*, vt, quod aliorum est, accipiat: quomodo erit *misericors*, vt, quæ ipse habet, illis largiatur? Si est *lupus* alienorum rapax: quomodo erit *ouis* pia, vt indigentibus det lanam suam, & lac quod habet? quis crudelior fuit n *Iezabella* n *Nabot*, in quem *falsum testimonium dici* curauit, vt vita priuaretur, & sic ipsa eius vinea potiretur? quis crudelior o *diuite* illo epulone in pauperem *Lazarum* famelicum, & *vlceribus* plenum: quẽ potiùs præ fame mori permisit, quàm vel *micas mensæ* sua illi dari curaret: & illa quidem, eò quòd crudelia habuerit viscera, fuit à canibus deuorata: hic, quòd non sit compassus ei, cuius vlcera canes lingebant, vritur in horrendis flammis. Et meritò quidem vterque horrendum subit supplicium: qui adeò crudeles se exhibuerunt in proximos, aut occidendo, vt spoliarent aut permittendo mori potiùs, quàm eis subuenirent. Nam, vt ait S. Ambrosius *si non pauisti, occidisti*: & S. Basilius: in tot, inquit rebus iniuriam infers, quot posses illi subuenire & non facis, quando grauis eius necessitas id vrget: tunc enim *panis*, quem tu habes, iure quodam pertinet ad esurientem; & *vestis*, quam superfluam custodis, pertinet ad nudum; & *argentum*, quod possides, ad indigentem; cùm autem his iniurijs illos afficis: non solùm, quòd in te est, illorum *corpora* occidis; sed *animas* etiam spoliando illas vita Charitatis, quam amittunt odio, impatientia, imprecationibus, alijsque peccatis, quæ admittunt, vt de illatis sibi iniurijs vlciscantur. Mitis valdè patiensque erat Dauid, & magnus iniuriarum condonator, quas accipiebat à Saule, ad mortem ipsum quærente: at cùm vidit,

Ser. de S. Philogono. to. 3. Meum & tuum.

n 3. *Reg.* 21. 10.

o *Lu.* 16. 22. *Crudelitas diuitum.*

Refertur distinct. 86. c. Pasce. Serm. ad diuites auaros.

Etiam in animas pauperum.

se neces-

necessitate premi, recurrit, vt supra perpendimus, ad Nabal hominem diuitem & potentem, magna animi demissione petens, subsidium aliquod, in-tuitu saltem suorum seruitiorum, quæ præstiterat, defendendo eius pastores, & gregem in deserto. Sed Nabal homo durus, ferox, & malitiosus respondit contemptim: *p quu est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt aut crescere præsumunt serui qui fugiunt Dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* quo responso audito, qui iniurias alias facilè condonabat, hãc non potuit tolerare: & *ait Dauid pueris suis: accingatur vnusquisque gladio suo. Et secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri, quibus dixit: vere frustra seruaui omnia, quæ huius erant in deserto, & nunc reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat* Deus *inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque mane.* Quod quidem perfecisset, vt statuerat, nisi prudens Abigail vxor ipsius Nabal, venienti occurrisset; & quæ prius petiuerat obtulisset, extinguendo hac sua liberalitate *iræ ignem*, quem vir eius Nabal *auaritia* sua accenderat; adferens etiam qualemcunque excusationem acceptam ex nomine ipsius *Nabal, quod interpretatur stultus, & quod iuxta nominis significationem stultitia* fuerit vsus in eum, qui tanta premeretur necessitate. placatus Dauid acquieuit sermonibus Abigail, non tamen placatus fuit Deus; sed vltus est iniuriam, quam Dauid remiserat. cùm enim intellexisset Nabal, quæ gesta erant, emortuum est cor eius intrinsecus, & factum est quasi lapis. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal & mortuus est: Et ita amisit vitam, & cum ea etiam bona, quæ tanti faciebat. Quis igitur non videat hic ingentia damna quæ adfert auaritia? cuius filia, vt S. Gregorius ait, est *cordis duritiæ* ad faciendam misericordiam? & quis etiam non videt, quàm aptè auaro conueniat nomen *Nabal*, quòd, vt diximus, significat stultum: qui tot facit stultitias à propria cupiditate excæcatus? iure optimo dixit Sanctus quidam: amorem pecuniæ esse *tenebras animæ, & spiritus cæcitatem*: siquidem apertis omninò oculis labitur in adeò magnas stultitias. Tres certè valdè solennes ostendit Nabal in egentem Dauidem; & totidem facit auarus in quemcunq; egentem, in quo est Christus, petens paupertati suæ subueniri. *Prima* stultitia fuit, nolle agnoscere eum, qui fuisset in eum adeò beneficus: dixit enim *quis est Dauid?* non noui vnde sint isti homines. *Secunda* fuit, loco eleemosynæ petitæ reddere verbum contumelioſum, vocans per contemtum Dauidem *seruum fugitiuum*. *Tertia* fuit, timere, quòd si aliquid daret eorum, quæ petebantur, defuturum esset suis famulis & tonsoribus, cùm adeò esset diues, vt extrueret conuiuium in domo sua, quasi conuiuium Regis. O cæcam auaritiam! o cupiditatem stultam! ò viscera crudelia, non solum in pauperem, sed in

To. 1. tract. 1 c. 17. par. 1.

p 1. Reg. 25. 10.

Dauidis indignatio.

Dei vindicta.

Lib. 3. Mor. cap. 17. Auarus stultus & cæcus.

S. Chrysost. hom. 15. in perfecti in Matth.

Tres iniuriæ diuitum.

ipsum etiam DEVM, qui petit per os pauperis. quàm iustè verus DAVID Christus D. N. indignabitur, dicetque Angelis iustitiæ suæ ministris: frustra seruaui bona fortunæ huius auari in mundi deserto: ego illi ea dedi, cõseruaui, & auxi; ego ea defendi à furibus, infortunijs, & in numeris periculis: & nũc peto exiguum quid ex his, quæ ego ipsi dedi, pro meis pauperculis qui meo nomine illud petunt: & cùm deberet eos iuuare, & fouere; indignatur & iniurijs excipit; negatque quod petunt: & cùm sit aliàs prodigus in suis rebus vánis: adeò se parcum exhibet in subleuandis pauperibus: timens ne non habeat satis pro suis famulis. Cùm igitur mihi tantum reddat pro bonis quæ illi contuli, deseram eum ac permittam cor eius emori, & instar lapidis ad omne bonum *indurescere*: qui lapidem se exhibuit erga proximum, & eodem die vitam finiet, & bona simul & animam perdet. Hic est infelix auari hominis finis, ob iniustitiam & crudelitatem eius in proximum: vt omnium crudelitatum pœna recidat in caput eius, qui illas fecit; vt q *latetur iustus cùm viderit* huiusmodi *vindictam*: quemadmodum fecit hic Dauid: quia plurimum eminet DEI iustitia, cùm peccatores punit pœna eorum peccatis proportionata.

Qui duro est corde indurabitur.

q *Psal.* 57. 11

§. 1. *Vberior malorum èx cupiditate manantium consideratio.*

SED adhuc vlterius cupiditatis mala progrediuntur, semperque censebimur parci in eis referendis: cùm dixerit Apostolus: a *radicem omnium malorum esse cupiditatem*: quemadmodum enim *radix* arborem totam nutrit, ramos, folia, & fructus: ita, ait S. Thomas, *vita peccatorum* est *arbor* quædam, cuius *rami* sunt habitus vitiorum *folia*, verba mala; *fructus* verò, praua opera: omnia tamen aluntur & fouentur à *cupiditate*. Nullum enim est peccatum, quod non faciat cupidus, vt diues euadat: & cùm talis euasit, b *pecunia*, *cui omnia obediunt*, est illi fomentum, vt omnia mala desideria, & conatus exequatur: præcipitando se in omne genus vitiorum, donec non solum charitatem & iustitiam, sed ipsam quoque *fidem* abijciat, quæ vitæ spiritualis & Christianæ religionis est fundamentum. Benè hoc periculum nouerat Sapiens ille Rex, qui cùm adhuc Sanctus esset, petebat à DEO: c *diuitias* nimias *ne dederis mihi*: *ne forte satiatus illiciar ad negandum*, & *dicam*: *quis est Dominus*? nam licèt illum non negent amittendo fidem: multi tamen eum d *factis ipsis negant*, incidentes in miserandam auaritiæ idololatriam. Quam Apostolus e *idolorum seruitutem* & adorationem appellat. Et non dicit vnius idoli, sed multorum: Nam & idolo *ventris* & *inanis gloriæ* seruit: quamuis præciputum, siti-

a 1. *Tim.* 6. 10.

1. 2. *q.* 84. *a.* 1 *Cupiditas radix peccatorum.*

b *Eccl.* 10. 19

c *Pro.* 30. 7.

d *Titi.* 1. 16.

e *Epheſ.* 5. 5

psa *pecunia*, de qua vnus idololatria dixit, f *diues factus sum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* Quasi clariùs dixisset: gaudeo, quod sim factus diues: quia inueni Deum quendam palato meo valdè conformem, *aurum* scilicet: à quo expecto quidquid sufficit mihi ad explenda mea desideria. eo enim inaurabuntur omnes meæ actiones, & contegentur iniquitates: quia nemo audebit eas reprehendere: & miseriæ non occurrent mihi: diuitiæ enim me ab eis expedient. Hac falsa opinione præcipitantur infelices diuites in grauia peccata: non timentes propterea supplicia; nec cogitantes se posse deuenire in miseriam: quia idolum illud deprædatum est cor illorum; nec sinit eos de re aliqua cogitare, quæ molestiam inferat. In quibus locum habet illud Dauidis: g *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.* Sed citò eueniet illis quod Sapiens dixit: h *lignum offensionis est aurum sacrificantium*: illi tanquam Deo: *væ illis, qui sectantur illud*: peribunt enim miserè, iuxta illud Oseæ Prophetæ: i *argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola*, Vt Interirent: quia existimantes, se illa facere vt vitæ suæ consulerent: propter illa inciderunt in mortem. Devs enim conteret & conuertet in puluerem, dabitque illis ad bibendum, sicut Moyses, k *pulueres vituli aurei* Israelitis: vt ipsorum idolum sit cruciatus eorundem conscientiæ, & causa mortis æternæ.

Hinc est, quòd cupiditas, vt ait S. Gregorius, significatur per illam l *amphoram*, quam vidit Zacharias Propheta, *non clausam, & talentum plumbi propetam, & ingressa est mulier in amphoram.* Cui nomen erat *impietas*: quam mox occludit, *mittendo massam plumbeam in os eius*, ne indè exiret. Et *duæ aliæ mulieres cum alis quasi milui, arripuerunt amphorã*, in qua erat Spiritus malus, *& leuauerunt amphoram inter terram & cœlum*, vt *ædificarent ei domum in terra Senaar, vt ibi stabiliretur & poneretur super basem suam.* Quid autem hoc aliud sibi vult, quàm vt intelligamus, cupidum semper habere *os apertum* ad diuitias deuorãdas, & simul innumeras culpas, donec ingrediatur suprema, quæ vocatur *impietas*, quia nullam habet erga pauperes *pietatem*, nec erga ciues, nec erga parentes: & quod amplius est, neque erga communem Patrem omnium, qui est Devs. cui reuerentiam denegat & amorem debitum: quamobrem permittit Devs vt massa plumbi claudat eius os; & deueniat in *cor duriti em*, & obstinationem in peccato: ita vt nec os aperiat, ad illud confitendum, & veniam petendam, & misericordiam ab eo, qui potest remedium afferre. Ex quo prouenit, vt eum arripiant *duæ mulieres cum alis milui*, *superbia* scilicet & *ambitio* mundana; in quarum alis est spiritus Satanæ, qui auaritiam impellit ad volandum per mundum, insidians tanquam miluus pullis, & deprædans, famemque suam satura is

f Oseæ 12.8. *Auarus multa habet.*

Idola.

S. Hier. ibi. & Ruffinus.

g Psal. 72.5

h Eccl. 31.7.

i Oseæ 8.4. *Aurum auaris mors erit.*

k Exo. 32.20

Lib. 4. Mor. c. 26.

l Zach. 5.6.

Auarus impius.

Duro corde.

Superbia auari.

facultatibus innocentum; donec mensuram impleat peccatorum, quam DEVS decreuit expectare, vt vltimam de omnibus sumat vindictam. Et tunc peruenit in Babylonem, quæ significat *confusionem*; & Senaar, quòd significat *fœtorem*: nam in hora mortis proijcietur in Babylonem æternæ confusionis, cum horrendo fœtore, qui percipitur in terra mortuorum: in qua cum dæmonibus sepelietur, quorum tentationibus, ob diuitiarum cupiditatem se subdidit.

Auari confusio & fœtor.

Auaritia male illuminat, per quæ excæcat.

PERPENDIT verò valdè S. Gregorius, quòd Angelus dixerit Prophetæ Zachariæ *hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Quòd hæc scilicet *amphora* sit hominum totius mundi *oculus*. Si igitur auaritia *oculus* est cupidi, quomodo non videt tot mala vt illa fugiat? quomodo non videt *impietatem*, quæ ingreditur amphoram? & *massam plumbi*, quæ illam operit? & *mulieres*, quæ illam rapiunt? & *alas milui*, quas habent? & infelicem *locum*, ad quem deducunt? Verùm hæc est suprema huius vitæ calamitas: nam auaritia *aperit* oculos, ad perspicienda sua lucra, *excæcat* verò ad culpas, damnaque ex eis agnoscenda. Aperit oculos carnis, ad videndum, quod iuuat ad vota & desideria sua assequenda; occludit verò plumbo oculos animæ, ne infelices exitus videat, quò illa tendunt. Quemadmodum illi, de quibus dixit Ieremias, m *sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt.* Sed in die mortis aperiet oculos etiam inuitus, vt cum ingenti suo cruciatu videat, quod nunc potuisset cum magno fructu. n *Diues*, ait Iob, *cùm dormierit nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Apprehendet eum quasi aqua, inopia, nocte opprimet eũ tempestas.* Nos (inquit idem S. Gregorius) cùm dormimus, oculos claudimus; quãdo vigilamus, eos aperimus: diuites verò cupidi, & auari quãuis carneis oculis vigilent, oculos tamen spiritus habent clausos: sed, cùm moriuntur, clauduntur oculi corporis, & aperiuntur animæ vt videant scelera & infelicitatem suam, quando nullum poterit adhibere remedium. Ita euenit infelici diuiti epulони, qui bona sua expendebat o *epulando quotidie splendidè, & induendo purpuram*, qui non habuit oculos; vt Lazari pauperis miseriam cerneret, & repararet, eique subueniret; nec pœnam, quæ ipsum expectabat, vt illam effugeret. Sed statim atque mortuus est, aperuit oculos, & vidit Lazarum in sinu Abrahæ, seipsum verò in flammis igneis: sed vtrumque sine fructu. Nam massa plumbi, qua eius cor, dum viueret, fuit tectum, mansit etiam in ipsa morte: os verò inferni, per quod fuit ipse ingressus, fuit occlusum: & vt sanctus ille Patriarcha respondit *chaos adeo magno os illud firmatum est*, vt fit impossibile diuitem ex inferno liberari, vt ascendat in cœlum; & pauperem è cœlo exire, vt descendat in infernum.

m *Ier.* 4. 22.

n *Iob.* 27. 19

Auari die caci, nocte videbunt.

Lib. 18. 12.

o *Luc.* 16. 19

Diues post vitam agnouit Lazarum.

§. II. *Quomodo ex veneno cupiditatis theriaca contra eandem sit conficienda.*

EX hoc cupiditatis veneno licet *theariçam* & antidotum accipere contra eandem: aperiendo mentis *oculos* ad eius laqueos & tentationes deprehendendas, & *alas* aquilæ sumẽdo ad illas fugiendas; & teipsum tot damnorum considerationibus muniendo, vt statuas quemadmodum S. Apostolus, a *contentus esse, si habeas* quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria: renunciando omnibus diuitijs, si non effectu & reipsa, (siquidem Devs ad tantam perfectionem te non obligat) saltem affectu: mortificando viriliter & strenuè inordinatam eas acquirendi cupiditatem, & nimium in eisdem possidendis amorem, Respice illam pugnam, in qua noster Capitaneus tentatorem, diuitias & b *regna mundi* offerentem, si eum *adoraret* superauit, ac repulit. Et postea accipiens in manu sua arcum suæ prædicationis, iecit sagittas seueriſſimarum sententiarum in diuites cupidos: minans illis luctuosum illud c *Væ* & asseuerans: d *facilius esse camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Nec verbis tantùm contentus, arcum ipsum crucis accepit, vt clarissima præberet exemplà renunciandi rebus omnibus, viuens in summa paupertate, donec omninò nudus morereturus. Svme tu quoque hosce arcus in manu, tuasque hastas iaculare in ipsam cupiditatem: procurando, vt huius equi nerui emarcescant, circumcidendo & mortificando omnia superflua, quibus cupidus hic appetitus alitur: morositates eius comprimendo, & impetus retundendo quibus prodit ad suas commoditates quærendas. Ne pondus manibus committas proprij tui Spiritus cupidi, & alijs passionibus infecti: ne & teipsum & alios decipias. Primùm igitur pacifica Spiritum tuum, & quietum ac tranquillum redde: vt ab illo affectu & inordinata passione expeditus, necessitates tuas fidehter expendere, ac diligentias adhibendas prudenter perpendere possis: vt eas reparare, & diuitias tibi conuenientes acquirere & cõparare possis. Quod si tremit fortè manus ab impetu passionis tuæ: committe stateram tertij alterius manibus, qui ea passione non laboret; aut prudentis Confessarij, aut spiritualis Patris, qui res tuas nouerit benè ponderare; &, quid tibi sine periculo sit agendum, consulere: dando opetam, vt stateræ momentum contra ipsam cupiditatem propendeat in misericordiam & charitatem, quæ parata est volenti e *tunicam tollere, dimittere etiam pallium*, si id esset necessarium, ne ipsa læderetur.

Præterea omnibus viribus est tibi incumbendum, vt machinam illam siue amphoram, quam replet auarita, omninò destruas. Neque enim

1. a 1. Tr. 6. 8. *Natura paucis contenta.*

2. b Mat. 4. 10. *Væ diuiti.*

c Luc. 6. 24. d Matt. 19 24.

3 *Superflua reseca.*

4. *Passionem comprime.*

Consilium require.

e Mat. 5. 40

Auaritia detestanda.

absque causa iussit Angelus Zachariam leuare oculos, vt eam videret: & statim subiunxit (iuxta aliam translationem) *hic est oculus eorum in vniuersa terra*. hoc est, in hanc amphorā positus est oculus omniū, qui morātur in terra: significās, & bonos & malos conijcere oculos suos in eam: licèt alio & alio modo ac fine: *Improbi*, vt eam repleant diuitijs, & sceleribus, quæ simul cū illis modo prædicto deuorāt: *boni* verò ac prudentes, oculos considerationis in eam dirigunt, sicut ipse Propheta, vt agnoscentes, quid illa in se habeat, illam propterea detestentur.

1. *Corporis amphora fragilis.* *Luc. 12. 20. Med. 12. Par. 1.*

NON debes autem conijcere oculos in eius thesauros; sed in hoc, quòd sit amphora fictilis ac fragilis; quæ breui, &, quacunq; parua occasione occurrente frangitur: & tunc erit inutilis; eiusque thesauri omnes euertentur. Audi tremendam illam sentētiam, quam DEVS diuiti cuidam cupido intimauit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetam a te, quæ autem præparasti cuius erunt*: quasi illi significaret: hac nocte frangetur tui *corporis amphora*, ictu mortis imminentis: quò ergò tunc ibunt diuitiæ? cuius erit frumentum, quo tua horrea replēsti? & vinum, quo cellaria sunt plena? cuius vestes & ornamenta cistis inclusa? quo thesauri scrinijs tuis inclusi? hoc certū est quòd non possis ea tecū auferre; hic oēs diuitię remanebūt; in plures alios distributæ. cùm tu intra animā tuam peccata sis portaturus, quæ in earū acquisitione & auara retētione acquisisti, vt in æternis ignibus pœnas luas.

2. *Onus diuitiarum.*

SED etsi demus, non tam citò fictilem amphoram frangi: non tamen respicere debes *aurum* ipsum, quod splendet; sed *plumbi* massam opprimentem: nam in hac vita qui plus auri habet: habet simul & plus plumbi; & qui ditior est, magis oneratur, & oneribus opprimitur externis & internis curarū, timorum, angustiarum, & terrorū: quos illi intrudunt alij; aut ipse sibi excitat, vt suas diuitias tutò possit retinere. Quamuis hæc non sunt maxima onera: cùm vel vnicum lethale *peccatū* adeò sit graue plumbum, vt sufficiat animam detrudere in infernū. Quòd si prudens sis, velisq; animam tuā saluare: vt hanc *plumbi* massam à corde tuo remoueas, necesse etiā est *auri* massam remouere; aut inordinatum ad illud affectum deponere. Siquidē Christus D. N. monet, g *ne grauetur cor* tuum *curis huius vitæ*, vt fugere possis iram DEI, tibi minantis.

g Luc. 21. 34

3. *Futuram pœnam considera.*

NEC respicere debes ad locum & iucundam *sedem* quam hæc amphora occupat in hac vita mortali; sed ad fœtidam & horrendam, quæ in altera vita illi est præparata, estq; æterna: ad quā non tardè & testudineo passu ducitur; sed volando, *alis milui* à dæmone agitatis. Quam igitur vtilitatē tibi adferet hæc amphora, diuitijs ac delicijs huius mundi plena: si debeat in altera cruciatibus repleri, non temporalibus, sed æternis? nam in inferno nō fictilis erit, sed plusquam *ærea*: quia anima est immortalis. & quamuis cor-

pus ipsum sit alias testaceum: efficiet iustitia Dei, vt & semper ardeat, & nunquam frangatur.

His considerationibus induceris ad consilium amplectendum Saluatoris nostri, dicentis: h *videte & cauete ab omni auaritia.* attende scilicet profunda consideratione eius damna, & fuge omnem speciem auaritiæ quocunque illa pallio obtegatur: claude tempestiuè os cupiditatis, quod patet ad omnes optatas diuitias deuorandas; reprimendo nimiam eius sitim, & desideria. Quòd si quando, *impietas* vel eius aliquod indicium ingrediatur: abijce statim à te, priusquam plumbi massa difficiliorem reddat eius exitum. Ac denique quemadmodum clauus clauum pellit: ita *charitas* cupiditatem ab anima extrudit; & desiderium diuitiarum spiritualium, mortificat nimium temporalium desiderium, iuxta illud Christi Domini: i *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur; & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo*: vbi ab his periculis tuti erunt. Si *amphoram* tui cordis implere cupis, reple virtutum diuitijs: vt det tibi Dominus promissam in cœlo k *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem*, & gloriæ *coronam*, in præmium victoriarum quas contra auaritiam obtinuisti.

h *Luc.* 12 15.

Pugnandum instanter contra auaritiam.

i *Mat.* 6. 19.

k *Luc.* 6. 38.

CAPVT X.

TENTATIONES A SVPERBIA VITAE, ET AMBITIONE excellentiæ & honoris huius mundi exortæ: & ratio pugnandi contra eas.

TERTIVM vitium, quod iuxta S. Ioannis sententiam regnat in mundo, est à Svperbia Vitæ, appetitus scilicet inordinatus propriæ excellentiæ. Et meritò illud constituit tertio loco. Nam (vt Cassianus ait) superbia, quamuis sit *prima*, quæ inuadit: est tamen *vltima*, quæ vincit, facitque horrendam stragem: illa enim aggressa est, & vicit plurimos Angelos in cœlo, & primos parentes in paradiso & oppugnat omnes homines in mundo, tam sæculares, quàm Ecclesiasticos, & Religiosos: eò quòd omnibus præclaris huius mũdi rebus foueatur: tã spiritualibus, quã corporalibus; illis præcipuè, in quib. Dei similitudo magis resplendet: quales sunt sapientia, sanctitas, potestas & diuitiæ. Et

a 1. *Ioa.* 2, 16

Lib. 12. *c.* 1.

Superbia prima & vltima.

in:

Serm. 4. de Ascensio.

hinc oriuntur tres quatuorue superbiæ modi magis insignes: qui (vt Sanct. Bernardus ait) contendunt ad horum montium altitudinem ascendere, in quibus huiusmodi excellentiæ eminent. *Prima* superbia est *curiosa*: quæ cupit ascendere ad montem scientiæ; & sic diuinam similitudinem obtinere, propter honorem & gloriam, quæ in ea est: cuius pugnas in præcedentibus capitibus posuimus. *Secunda* superbia est etiam spiritualis, sed subtilior: & conatur inordinatè ascendere ad montem *Sanctitatis*, ac per *tres* vias fortiter oppugnat. *Quosdam* enim decipit, persuadens, quòd possint proprijs *naturæ* viribus, aut proprijs meritis ad eam ascendere: soli suæ naturæ, aut industriæ vanè innitentes, non verò diuinæ *gratiæ*: sine qua tamen est impossibile vel vnico passu ad sanctitatem progredi. *Alios* decipit, persuadendo, quòd iam *ascenderint* ad montis fastigium, & plures virtutis gradus obtinuerint, quàm reuera habeant: aut quòd iam sint in culmine, aliosque homines superent in virtute aliqua singulari. Sed *alios* tamen crassiùs aggreditur, persuadens, vt contendant ad hunc montem ascendere tantùm in specie & hypocrisi: vt honore gaudeant, quem sanctitas apud homines obtinuit. Quis autem erit, qui huiusmodi pugnas cernens, non statim dicat: Ducem & tentatorem in eis venire in equo *nigro*, & cum *statera* dolosa? omnes enim nituntur intelligentiæ, suiipsius ignorantia denigratæ; ex qua procedit, vt falsè ponderet, & cum dolo, quod ipsius naturæ est debitum; & quod sua industria potest; & gradus virtutis, quos habet; & excellentiam, ad quam peruenit; & finem, quem debet sibi proponere, dum illam quærit.

Vanæ sanctitatis tres gradus.

1. *Naturæ.*

2. *Persuasionis.*

3. *Hypocrisis.*

SED quoniam de his congressibus fusiùs est actum in Duce Spirituali, vbi de suiipsius cognitione actum est: progrediemur iam ad *tertiam* superbiam, quam S. Ioannes appellat SVPERBIAM VITÆ, quæ est, huius mundi propria, & contendit ad montem Potestatis, & Gloriæ mundanæ peruenire, ducitque semper secum ambitionem honorum, dignitatum, & officiorum insigniorum; gloriam inanem, magni nominis desiderium, & famam apud omnes; præsumptionem, iactantiam, & quidquid ad apparatum & pompam exteriorem spectat, de quibus mundi homines tantoperè gloriantur. Ex quo prouenit, vt hæc superbia valdè foueantur, & societatem ineat cum *diuitiarum* cupiditate: nam, cùm b *omnia pecunia obediant*, vehementer desideratur à Principibus, & seculi huius potentibus, eò quòd necessariam reputent ad conseruendam authoritatem, & dignitatem suorum statuum, & officiorum, & ad reliquos fines excelsorum ipsorum cordium. Siquidem sine pecunia, nec conuiuia sunt splendida, nec vestes pretiosæ, nec reliqua æstimantur quæ princeps huius mundi tanquam necessarias leges præscripsit superbiæ filijs & mundanæ pompæ mancipijs: cuius pugnæ ostensæ sunt S. Ioanni Euangelistæ c *in figura equi pallidi*, & q-

Tra. 2. c. 4. & Tr. 4. c. 6.

b *Eccl. 10. 19*

Superbia amat diuitias.

c *Apoc. 6. 8.*

sequi-

sedebat super eum, nomen illi Mors: & infernus sequebatur eum. & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ. Quis autem equus hic est, nisi furiosus superbiæ & excellentiæ mundanæ appetitus, per quem satanas diuites vincit, nobiles, potentes, & Tyrannos huius mundi: &, postquam illos superauit, vtitur eisdem tanquã equis fortibus, & ferocib. ad iustos tentandos, & persequendos. Verũ magnum mysterium latet in eo, quod S. Euangelista colorem huius equi expresserit quadam voce Græca, quæ & *pallidũ* & *viridem* colorem significat: significans hac ratione, quod quemadmodum color pallidus indiciũ est tristitiæ, desperationis, morbi, & ipsius mortis; viridis verò, lætitiæ, spei, & firmitatis, ac stabilitatis: ita hi superbi interius habent *pallorem* mortis, incedunt tristes, decolores, & peccatis morbidi cum conscientiæ remorsibus, & iustitiæ diuinæ timoribus: imò & famelici, & præ fame ipsius auri valdè macri: quia eorum cupiditas nunquam potest satiari; semperque putant, plura sibi deesse, quàm habeant. Exterius autem *virorem* ostendunt spei, cum magnis indicijs lætitiæ, authoritatis & stabilitatis in rebus suis: atque si essent immortales. Siquidem eorum superbia eo vsque peruenit, vt nonnulli eorum se Deos appellauerint: facientes, sicut d *Nabuchodonosor statuas aureas*, quæ ipsos referrẽt; cogentes verò alios, vt ipsos adorarent. Et hoc nomine habent etiam exteriùs duplices colores in facie: nam *pallido* colore metum incutiunt, & timorem mortis resistentibus, & non annuentibus sublimibus eorum desideriis, nec obtemperantibus ipsis in sensualibus ipsorum voluptatibus: *Viridi* autem colore humanos se exhibent, stantibus à parte ipsorum & fauentibus execrandis ipsorũ conatib. quos etiã, magnas spes & promissa offerentes, erigunt. Et hac via tyranni (qui ad literam significantur per hũc equum) oppugnarunt fideles Ecclesiæ primæuæ, comiungentes horrendorum cruciatuum *minas*, cum ingentiũ fauorũ *promissionibus*. Et quoniam hæ *promissiones* nihil Christianos mouebant, frequentiùs vtebantur *tormentis*, & cruciatibus vsque ad vitæ spoliationem: quemadmodum ipse Christus Dominus, futurum prædixerat. Ac propterea, qui in hoc equo sedet, appellatur Mors: vt significetur, omnes conatus Satanæ in his pugnis eò dirigi, vt mortem adferat *animæ* consentienti, seque illi subiicienti; aut *corporis*, si se opponat, ac resistat. Infernus autem sequitur eum, non vt iustos deuoret, qui se defendentes occumbunt: siquidem ipsorum mors est victoria de hoste, sed vt ipsos superbos & crudeles tyrannos, qui iustos tentant & persequuntur, ore aperto excipiat; & reliquos oẽs, qui partes sequuntur superbiæ mundanæ, iuxta Isaiæ prædictionem dicentis: e *dilatauit infernus animã, & sinum suum, & aperuit os suum absque vllo termino: & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosi, eius ad eum.*

Vide Piegam. de Sect. 6. Ter. l. de pudic. c. 20. transfert Viridem.

Superbi pallidi & virides.

d *Dan. 3. 1. Insus & furis.*

Mat. 16. 18. Luc. 21. 12. A superbia mors animæ vel corporis.

e *Isa. 5. 14.*

Superborum sedes infernus.

§. I. *Primus grādus ambitionis.*

SED omittamus hoſce adēò ſtultos & crudeles ſuperbos, & veniamus ad pugnam, quam dæmon ſuperbiæ huius & ambitionis tentator gerit cū tribus Eccleſiæ Rebuspub. in omnibus eius ſtatibus & officijs, & cum illorum ſingulis in particulari, varijs vijs & rationibus. *Prima* via eſt, qua illos impellit ad authoritatem & honorem, quem non promerentur; aut etiam maiorem multò, quàm meriti ſint, quærendum: vt ita eos in grauia peccata præcipitet. Hoc modo tentat & proſternit innumeros homines, qui, cùm interiùs & in occulto ſint valdè improbi, intendunt tamen haberi & honorari tanquam Sancti: ornantes ſe exterius in conſpectu aliorum ſplendore operum, quæ apud homines videntur bona. Huius generis ait Richardus eſſe *hypocritas* per *pallidum* hunc dæmonis equum ſignificatos: nam tanquā Phariſæi (vt Saluator noſter dixit) a *exterminant facies ſuas*; & ieiunijs ac pœnitentijs externis ſe macerant, vt pallidi & macilenti apparentes, valdè abſtinentes & pœnitentes habeantur: &, hac ſola mercede accepta, ſunt contēti. Qui infelices (vt S. Gregorius ait) viuūt moriendo: quia carnem ſuam affligunt, in qua grauiſſimam portant crucem, ſicut b *Simon* ille *Cirenenſis* non vt vitijs moriantur, ſed vt mundo mortui habeantur: in quibus tamen viuit ipſe mundus, regnatque dæmon, & peccatum. Quæ fictio eo vſque peruenit, vt per hanc viam quærant ipſi Eccleſiaſticas aut ſeculares dignitates. propterea enim dicitur apud Iob, quod c *propter peccata populi permittat regnare hypocritam*, indignum ſcilicet dignitate, quam habet, & per hypocriſim obtinuit: exiſtimantibus collatoribus, illum eſſe dignum.

His hypocritis ſimiles ſunt alii ſuperbi: qui, cùm ſint idiotæ & paruæ eruditionis, haberi volunt valdè ſapiētes & eruditi: & ſic quærunt cathedras, & dignitates, quas non merentur. Sicut illi, qui, vt Saluator noſter dixit, d *quærunt primas cathedras in Synagogis*: neque enim, niſi primaria cathedra & honoratiore dignitate ſunt contenti: iudicantes, ſe præ omnibus eſſe eruditos, & iactantes, ſicut ſuperbus ille, qui ſe iactabat quaſi eſſet e *Sapientior Daniele*, & dignus qui *ſederet in cathedra* DEI, & cum eius magnitudine de Sapientia & honore contenderet.

2. ET hinc dæmon ſumit occaſionem eos prouocandi, ad honores & dignitates quærendos, quibus digni non ſunt: etiamſi propterea oporteat alios, qui eas iure poſſident, eiſdem ſpoliare: ac proindè ipſi nulla ratione aut iure poſſunt illas obtinere. ideoque adferunt in Eccleſia, eiusq; communitatibus, quarum ipſi ſunt membra, ſchiſmata, diſſenſiones, lites & diſcordias: eum in modum, quo Datan & Abiron ambierunt dignitatem ſum-

mi Sa-

1. S. Tho. 2.2. q. 131 a. 1.

Hypocrita. In Apoc. c. 6 Vide Viegas Sect. 6.

a Matt. 6. 16

Lib. 8. Mor. c. 26.

b Mat. 27. 32

c Iob. 34. 30.

Sapientiam arrogantes.

d Mat. 23. 6.

e Ezec. 28. 2.

mi Sacerdotii, quam Devs Aaroni, eiusque filiis concesserat. Satanas verò non contentus, quòd illos prostrauerat, etiam illis vsus est, tanquam equis suæ militiæ, ad aggrediendos & prosternendos plurimos ex eo populo: alios trahendo, vt eius partibus adhærerent; alios verò concitando cum magno scandalo & discordia. Sed quemnam exitum habuit eorum ambitio? *f aperuit se nimirum terra & deuorauit illos, & viui descenderunt in infernum.* vt ex hac visibili pœna omnes intelligerent, tentatorem superbiæ, nomen habere *mortis*; & *infernum* eam sequi tanquam famulum: vt mactet, deuoretque ambitiosos, cùm ipsi maximè viuunt in feruentibus suis desideriis & conatibus. Neque expertes fuerunt pœnæ, qui ad eorum partes accesserant. nam ex eorum thuribulis *ignis* exiuit, qui omnes combussit. vt intelligatur, quòd instrumenta culpæ, iusto Dei iudicio, conuertantur in instrumenta pœnæ: & ex eisdem ignis procedit cupiditatum, qui eorum corda cruciat, & præcipitat in ignes æternos. Nec supplicia illa hic steterunt: quia ignis se dilatauit, & combussit *quatuor decem millia* hominum ex plebe, qui *falsa* mortuorum *compassione* murmurarunt contra Moysem & Aaron, in quos insurrexerant ambitiosi: nam vbicumque pestis hæc tangit, inficit, cruciat, & mactat: nisi tempestiuè impediatur. Sed vlterius adhuc gradus hic ambitionis progreditur. non enim contenta vna dignitate, etiam valdè magna adspirat ad aliam, & aliam, omnes volens complecti. quemadmodum Rex Ozias, cùm fuisset Rex sanctus, aditum præbuit superbiæ: &, non contentus regia dignitate, voluit ambitiosè etiam sacerdotalem vsurpare. g *& eleuatum est cor eius in interitum suum.* Nam volens tanquam Summus Sacerdos offerre sacrificium thuris, punitus fuit à Deo *lepra repentina.* Quare non solum dignitatem Sacerdotalem non obtinuit, quam ambiebat; sed etiam regiam amisit, quam habebat, extrusus ex suo palatio, & priuatim tanquam leprosus vitam ducens. Aequum est enim, vt qui ambitiosè quærit dignitatem, quam non meretur, & quæ ei non debetur: illam amittat, quam habebat, & ei debebatur. ob superbiam enim factus est vtraque indignus. quemadmodum impius Aman valdè familiaris Regi Assuero, cupiens adorari à Mardochæo & reliquis omnibus, eo honore, qui soli Deo debetur: eò deuenit, vt honorem & familiaritatem amitteret, quam habebat: amittens ignominiosè vitam in patibulo. Quòd si pœnam in hac vita non habeant, non euadent eam, quæ in altera eos expectat. Infernus enim latissimos habet sinus, ad omnes superbos, schismaticos, & tumultuosos deuorandos: & quò illi magis accelerant, vt ascendant, eò iusta Dei ira coget illos descendere: quemadmodum euenit superbo Regi Babylonis, qui Luciferum referebat, quem imitabatur: de vtoque enim ait Isaias: h *detracta est ad inferos su-*

Ambitio.

f *Nu.16.32.*

Dathan & Abiron.

Pœna iusta.

Non contentus eo quod habet excidit omnibus.

g *2.Par.26. 16.2.*

Pœna superborum futura.

h *Isa.14.11.*

perbia tua, qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacci: vbi eò eris profundior, quò contendebas te magis erigere.

3. *Contra promotionem indignorũ.*

SED vlterius pergit Satanæ astutia & calliditas, aggrediendo ambitiosos harum dignitatum per alios, qui non quærentes illas, ipsis offerunt, vt acceptent, etiamsi indigni: & ita eos in eadem peccata ac detrimenta deijcit. Quemadmodum Rex Herodes à Satana deceptus, acceptauit honorem diuinitatis ab adulante plebe oblatum, & i *dicente, eius vocem non hominis esse, sed* DEI. & quia inaniter sibi complacuit de hoc honore, quo adeò indignus erat, *fuit ab Angelo percussus, & exspiranit, a vermibus deuoratus.* Quamobrem dixit Sapiens: k *qui tribuit insipienti honorem, est sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*: qui est Deus scientiarum: vt ex illis lapidibus templum ei ædificetur: significans his verbis: quòd qui indignum afficit honore, illum tentat, & prouocat, vt eius superbia crescat appetatque supremam DEI excellentiam, & inanem hominis sapientissimi gloriam. Sed quemadmodum Mercurius falsus erat Deus, & tali honore indignus: ita stulti ambitiosi, indigni sunt honore ac dignitate, quam acceptant, quæ in *lapides* conuertetur: quibus ait ipsum lapident, irridentes, quòd eam dignitatem habeat, qua non est dignus.

i *Act.12.22.*

k *Pro.26.8.*

Indigni honoribus delectantur.

SED quoniam dæmon appetit cibum magis electum, non negligit etiam meliores, & sanctiores aggredi, occasione accepta ex eorum sanctitate & eruditione: vt illis offerat huiusmodi dignitates. Quemadmodum aggressus est magnum l *Baptistam*, offerens illi per Pharisæos, Messiæ dignitatem; & Sanctos m *Paulum & Barnabam* aggressus est per gentiles: qui videntes quoddam prodigium ab ipsis factum, (quamobrem *alterum appellabant Mercurium, alterum Iouem*) volebant illis tanquam Diis *offerre sacrificia.* ad illi statim restiterunt, & diabolicam hanc tentationem reiecerunt: & quoniam erant humiles, repulerunt à se honores, quos superbi libenter acceptant. nam vt plurimum illi ab hac tentatione superantur, citiusque dignitates acceptant, qui earum sunt magis indigni. Quemadmodum ait scriptura: quod cùm arbores sibi eligere vellent Regem, eamque dignitatem *oliuæ, viti, & fico* offerrent: (quæ aliàs erant ea dignissimæ) noluerunt tamen acceptare: sed cùm obtulissent eam *rhamno*, statim eam acceptauit: & minatus illis si non facerent, vt n *egrederetur ignis de rhamno & deuoraret cedros Libani.* Aptè verò rhamnus siue *spina*, ambitiosa vocatur: quæ dignitatem acceptat, quam non meretur: quia semper *pungit* spinis peccatorum, & curis eam conseruandi,

l *Ioan.1.20.*

m *Act.14.11.*

n *Iud.9.15.*

pungen-

pungendo propriam & aliorum conſcientias, conſumens tanquam *ignis* ipſas virtutes. Et hinc eſt, quod hic modus ambitionis ſit *fidei* capitalis hoſtis, & religionis Chriſtianæ, magnumque impedimentum ad eam ſuſcipiendam, & conſeruandam, & conſequendam perfectionem: quam illa profitetur. Quemadmodum ipſe Saluator monuit Phariſæos dicens: o *quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ ſolius Dei eſt, non quæritis.* Ita inſinuans: non eſſe mirũ, ſi in credendo ſentiant difficultatem, & in eius doctrina amplectenda. Siquidem immerſi toti erant in ambitione honoris, quam ab inuicem acciepiebant. Perpendit autem S. Baſilius verbum illud valdè *accipitis*. Si enim quod oblatam gloriam accipias tantum tibi adferet impedimentum: quanto maius adferet, ſi tu ipſe illam ambias, & *quaras*.

Ambitio ſpinoſa.

o Ioã 5. 44. *Fidei nouerca.*

Reg. 31. ex Breuioribus

§. II. *Alij ambitionis gradus.*

PRIMÒ ambitionis modo prædicto coniungi ſolet *alter* non minus pernicioſus: cùm ſcilicet per mala media, conculcatis etiam diuinis legibus, huius mundi honores & dignitates procurantur. Hæc media ſunt innumera: quia etiam ſunt innumeræ artes huius vitii, ad quærendas vias & modos, quibus voti compotes fiant, maximè impellente eos Satana ad omnia ea adhibenda. Quoſdam enim inſtigat, vt ea officia aut dignitates per *tyrannidem* & incredibilem crudelitatem quærant, aperto Marte aggrediendo eos, qui poſſunt, aut volunt ipſos impedire: quemadmodum faciũt huius mundi Tyranni; ad ſuum imperium dilatandum: etiamſi opus ſit hoc nomine parentes, filios aut fratres vita priuare; quemadmodũ a *Athalia nepotes ſuos* priuauit, vt regnum ipſa poſſideret; & b *Abimelech occidit ſeptuaginta fratres*, vt ſolus regnaret. Vt hinc appareat, quàm iuſtè tentator hic cognomen retineat *mortis*: quitot hominibus illam infert, vt voti compos euadat. Alios inſtigat, vt huiuſmodi dignitates prenſationibus & obſtionibus procurent: inclinando ad ſe illorum voluntates qui poſſunt illos iuuare. Quemadmodum *Abſolon* prenſabat populum, vt contra proprium ſuum patrem, regnum ſibi vſurparet: adhibẽs ad id mille artes, *c amplexando illos*, qui ad aulam Regis veniebant, & iis qui negotia & lites habebant, dicendo, quod vere iuſta peterent: *Sed neminem eſſe conſtitutum, qui iuſtitiam adminiſtraret*: & quod ſi ipſe *Rex eſſet*, omnibus plene ſatisfaceret: & ita ſollicitabat corda virorum Iſrael. Cum hac prenſatione alii coniungunt munera, vt emant ipſam dignitatem. Adeoque creſcit ambitio, vt etiam velint Eccleſiæ dignitates emere. Et ſi poſſent, etiam poteſtatem emerent faciendi miracula, & dandi ipſum Spiritum ſanctum, quemadmodum tentauit *Simon Magus*: cui propterea dixit S. Petrus *d pecunia tua tecum ſit in perditionem*

Tyrannis.

a 4. Reg. 11.

b Iudic. 9. 5. 24.

Prenſationes.

c 2. Reg. 15. 5.

Munera.

d Act. 8. 2.

Violenta detentio.

sionem: quoniam donum DEI *existimasti pecunia possideri.* Imò etiam insligat idem Satanas, ad media abominanda adhibenda, ad hanc excellentiam conseruandam, licèt bono medio ad illas ascenderint. Nam superbia & ambitio etiam inuadunt honorem & dignitatem, quam DEVS dignis detulit: postea tamen culpa sua superbientes, indignos se faciunt eadem dignitate: quam ne perdant: totipsi admittunt scelera, atque alij, vt eandem obtineant. Cuius rei aptum habemus exemplum in e *Saule*, fugiente, & *abscondente se*, ne regnum sibi à Deo delatum aceptaret: postquam tamen illud accepit, adeò fuit mutatus ad illud conseruandum, vt crudeliter persequeretur Dauidem, veritus, ne is regno ipsum spoliaret. Et eodem modo f *Ieroboam* quamuis monitus fuit à Propheta, quod esset futurus Rex decem tribuum Israel, postea tamen politica ratione status, vt regnum suum sibi & filijs, ac successoribus suis conseruaret, noluit permittere, vt subditi *ascenderent ad templum in Hierusalem vt offerrent* DEO *sacrificia*: ne afficerentur ad Reges Iuda, ipsius hostes: Sed *erexit duo idola aurea, quorum alterum posuit in Bethel, alterum in Dan. Dixitque populo: ne vltra ascendite in Hierusalem. Hi sunt Dii vestri, qui eduxerunt vos ex Aegypto*: Hos debetis adorare: & ita illi fecerunt, Quibus coloribus magis ad viuum depingi potuit horrendum bellum, quod Satanas mouet contra DEVM, & contra populum iustorum? ô ferocem tentatorem! qui g *in equo pallido quatuor* mundi partes deuastas. Siquidem per Principem quendam superbum & ambitiosum, integrum regnum deijcis in tuas idololatrias! sed quomodo hoc facis? primum Satanas ipse aggreditur, & prosternit *Principes*, potentes, vt Dona, quæ Dei sunt, sibi ipsis attribuant; & eisdem bellum illi moueant, erigendo *duo* aurea idola, quæ adorent, Alterum *honoris* & inanis gloriæ: quia cupiunt se adorari, laudari, & in veneratione esse ab omnibus præsentibus: Alterum gloriæ & *famæ*: quia desiderant, nomen & famam suam etiam ad absentes volare, & in filijs, ac successoribus suis in secula futura dilatari. Hi sunt *Sol* & *Luna*, quos tanquam Deos adorant. De quibus dixit sanctus Iob: h *Si vidi Solem, cum fugeret, & Lunam incedentem clarè.* Nam, vt sanctus Gregorius exponit: hi homines mundani intentionem suam collocant in *sole* gloriæ, & vani honoris; & in *Luna* famæ; & in claro nomine inter homines: hic enim est vltimus illorum finis. & ad eum dirigunt quidquid dicunt, faciũt, aut patiuntur. Quemadmodum perpendit S. Augustinus fecisse Romanos: qui omnia bella & facinora præclarè gesta, faciebant cum honoris & gloriæ cupiditate. Hanc inquit, ardenter amarunt; propter eam viuerere cupiebant; nec timebant mori: iudicãtes quod etiam si morerentur supererat tamen viua fama apud homines.

Duo Idola Superborum.

Romanorũ ambitio.

SED quid mysterij in eo latet, quòd Ieroboam duo illa idola in duobus

monti-

c *1. Reg. 10. 22.*

f *2. Reg. 12. 26.*

g *Apoc. 6. 8. Dæmon primus magnos sternit.*

h *Iob. 31 26. Li. 32. Mor. cap. 6*

Lib. 5. de Ciuit. Dei c. 12

montibus & locis valdè edidis collocauerit: altero nomine *Bethel*, quod significat *domum* Dei; altero in *Dan*, quod *iudicium* significat? hac enim ratione indicat, superbiam & ambitionem erigere hæc idola in vtraque Repub. Ecclesiastica & Seculari: in filijs scilicet *Ecclesiæ*, qui de virtutibus, rebusque spiritualibus agunt; & in filijs huius *sæculi*, qui de gubernatione & negotijs temporalibus. Nam etiam Satanas conatur idolum erigere honoris & gloriæ in monte Bethel: impellens ad ambitiosè desideranda magnalia domus Dei; suasque excellentias in ea collocandas. Subuertendo hac ratione ipsos Ecclesiasticos, & Religiosos, qui aditum huiusmodi ambitionibus præbent. Et eo prætextu, quòd domus Dei debeat esse in honore, & similiter eius officia: expellunt, quod in ipsis est, ab ea ipsummet Devm, & diuinam eius gloriam: in cuius locum substituunt idolum mundanæ gloriæ: & cùm deberent sanctam hanc domum, eiusque ministeria ac dignitates claris virtutibus exornare: ornant, vt S. Bernard. ait, pretiosis vestibus, & apparatu famulorum & equorum; alijsque pompis mundanis: obliuioni tradentes opera pia. Quid igitur dicemus de iudicibus, gubernatoribus, & alijs Prncipibus: qui idolum suum in Dan collocant, hoc est in iudicio: optantes ad hæc officia ascendere, aut in eis se conseruare, titulo & prætextu faciendi iudicium & iustitiam? sed in omnibus, quæ faciunt, aut iudicant, idolum ponunt *inanis honoris*: quærendo eum primo loco eiusque occasionem iustitiam conculcando, cum eam exequi non possunt, absque inanis honoris sui detrimento.

Ecclesiasticorum gloria vana.

Epist. 48.

Secularium inanis honos.

Qvando autem Satanas Principes, & magnates sibi deuicit, facilè ex ipsorum malo exemplo tentat, vincitque *minores*: vt & hi sicut illi idola illa adorent. Siquidem, vt Sapiens dixit: *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Et qui prius Devm solum adorabant, & ad sanctum Ecclesiæ montem ascendebant, vt sacrificia iustitiæ & laudis ei offerrent: nunc non agunt nisi de conscendendis montibus *superbiæ*, & ambitionis, vt suis idolis sacrificia offerant. Quorum proprietates S. Basilius depingit, dicens: qui huius vitij sunt captiui, sunt inuidi, tumultuosi, calumniatores, adulatores, humiles, quando non expedit, parci, sexcentis aliis vitiis ac perturbationibus implicati. *Inuident* iis, qui illos in honore præcedunt: Sicut [k] Cain inuidit *fratri suo Abel*: & filii [l] *Iacob*, *fratri suo Ioseph*: ex quo ingentes ortæ sunt dissensiones. Ambitiosi enim etiam sunt *tumultuosi*, conculcantes pacem, tam cum sociis, quàm cùm reliquis: solum vt eos præcedant. quemadmodũ [m] *filii Zebedæi*, desiderantes primas sedes in regno Cgristi turbârũt reliquos condiscipulos. Et quotidiè videmus innumera inter eos scãdala propter locum eminentiorẽ, aut titulos, & cognominia quibus sint com-

Diuitiæ magnis cadunt minores. 1 Eccl. 10. 2.

Superborum proprietates. De constitutionib. monastic. c. 10.

Inuidi.

k Gen. 4. 5.

l cap. 37. 4.

Tumultuosi.

m Mat. 20. 24.

Calumniatores.

pellandi;

pellandi; & propter verba in salutationibus vsurpanda. Sunt *calumniatores*, & accusatores reliquorum; vt illos contemptibiles reddant: quo ipsi maneant excelsiores. Iudicantes temere ipsorum dicta & facta: & de eisdem murmurantes, quemadmodum n *Pharisæi* ab ambitione raptati *calumniabantur verba & opera Saluatoris*: vt illius opinionem imminuerent, & maiorē ipsi ex eo acquirerent. Sunt *adulatores* laudantes nimium alios, vt ipsi ab eis laudentur; & honore afficientes, vt & ipsi afficiantur, texentes his adulationibus fraudem aliquam, ad sua vota consequenda. Quemadmodum o *Herodiani* adulabantur Christo D. N. vt ab eo extorquerent, quid de censu Imperatori reddendo sentiret. Sunt *humiles*, quando non expedit: cùm fatetur de se aliqua mala vt alij dicant bona: & ita se humiliant, cùm videant, se propterea humiles habendos: vt hac humiliationis esca, honorem consequātur; aut subijciendo se minoribus, quando eorum suffragio possunt maiores euadere: vt cathedram obtinere, aut dignitatem ad quam aspirant. Imò, vt S. Ambrosius benè perpendit, aliquando sese humiliant & abijciunt coram ipso Dæmone, vt ab eo gloriam huius mundi obtineant. Ac propterea sunt abiecti tanquam mancipia omnium hominum, à quibus aliquid honoris accipere possunt; aut timent posse sibi noceri: & quemadmodum hi sunt innumeri, valdeque inconstantes tanquam fluctus maris: ita sunt innumeri fluctus curarum & anxietatum, quas in suis cordibus sustinent, & vel vnicus qui illos contemnat plus potest illos affligere; quàm mille, qui illis deferunt, ad illos consolandos. Quemadmodum de seipso fassus est superbus ille p *Aman* dicēs: *cùm hæc omnia habeam* (quod scilicet ab omnibus & à Rege & Regina in honore haberetur) *nihil me habere puto, quādiu video Mardochæum* Iudæum, nullum mihi deferentem honorē. Denique S. Gregorius concludit, neminem posse enumerare peccata, quæ imperandia affert ambitio: nam cùm superbia sit generalis omnium vitiorum Dux, omnia conuocat, vt suorum ambitiosorum votorum compos fiat.

n *Luc.11.15.*

Adulatores.

o *Matt.22.16.*

Ficte humiles.

S.Tho.3.p.q.41.a.4.ad 3

Li.4.in Lucam.

S.Bern. epist 126.

p *Esther.5.13.*

Superbia sylua peccatorum.

Li.24.Mor. cap.vlt.

§. III. *Remedia contra has tentationes.*

1. HAEC sunt peccata damnaque superbiæ & ambitionis: ex quibus licet arma sumere ad bellum contra eam ineundum, & victoriam de ea reportandam. Nam quomodo eam nō oderis, si attentius *equi* eius *pallorem* aspicias; & nomen tentatoris, quod est *mors*; & pedissequi famuli, qui est *infernus*? perpende, quantam stragem in anima faciat; turbationes & afflictiones, quas adfert in vita; angustias, & anxietates, in quas conijciet in hora mortis; & tormenta, quæ te expectant in inferno, in societate tentatoris, te ad hoc vitium prouocantis: & ita non negliges, illum odisse, ac reijcere conantem te totum perdere. Descende consideratione ad eos aspiciēdos, quos mors iam deuorauit; & statum, quem habent in sepulchro: & ad

uertes

uertes, quàm parui debeas facere hunc honorem & gloriam mundi; cuius finis est puluis, vermes, serpentes, fœtor, & horrenda fœditas. Descende adhuc vlterius ad eos, quos infernus deuorauit, & ad ignominiam ac dolorem, quo in flammis illis æternis afficiuntur: & interroga ipsos superbos: quid sentiant de excellentia, quam hic habuerunt: & omnes respondebunt a *quid nobis profuit superbia*, cuius finis fuit hæc æterna ignominia? ne decipiat te *viridis* color equi, qui magnam in te excitat spem, & longam promittit vitam, spatium pœnitentiæ, mortem felicem, magnum honorem, & perpetuam famam. Attende, hunc viridem colorem facilè declinare ad *pallorem* mortis: est enim falsus & fraudulentus: & propè es, vt omnia momento perdas. Viridis est color: sed *fœni*, quod citò siccatur. Clama, inquit Devs, Prophetæ; & ille: quid clamabo? dic b *omnis caro fœnum, & omnis gloria quasi flos agri: siccatum est fœnum, & decidit flos. quia spiritus Domini sufflauit in eum.* O superbe, quid te erigis? attende, quòd Devs in manu sua ventum habeat vrentem, qui possit in momento fœnum exsiccare; & florem istum, quem tu tanti facis, & cùm minimè cogitaueris, tanta vehementia sufflabit: vt nec vestigium eius relinquat. Quid ergo, superbis puluis & cinis, quid te iactas, inanis flos campi? attende, quod Sol iste gloriæ, quem tu adoras, aduret suis radijs florem tuæ vitæ; & erit causa, cur illa prioueris; & simul cum illa amittas splendorem æternæ gloriæ.

Pœna superborum considerandа.

a *Sap. 5. 8.*

Hodie viret, cras pallet fœnum.

b *Isa. 40. 6.*

Aggredere itaque pugnam cum feroci hoc superbæ appetitionis equo: accipe in manu tua Ducis tui Iesv arcum; & iacias in eum sagittas sententiarum, quas ipse iecit in superbos. toties repetens, quod, *qui se exaltat, humiliabitur; & nisi quis humiliauerit se sicut paruulus, non intrabit in regnum cœlorum.* Accipe item in manu ipsum arcum *crucis*, imitans exempla, quæ in ea tibi dedit: vt pugnes contra superbiam mundanam. Et quid aliud indicat figura *Regis*, quàm ibi habet, *arundo* data illi pro sceptro; *corona* ex acutis spinis contexta, *thronus* adeò altus ipsius crucis, cui fuit affixus, *regius* titulus, quem supra ipsum posuerunt. Hæc omnia fuerunt ficti Regis insignia, ad irrisionem inuenta; sed heroica humilitate suscepta, ad confundendam tuam superbiam, tibique animum addendum, vt alacriter pugnes contra illam. Attende: quocunque modo vitam tuam constituas, non posse te viuere absque aliqua cruce: nam neque ipsamet superbia est sine illa: licèt cum magno tormento, & sine vtilitate. Et ita S. Bernardus exclamat: ô ambitio, ambientium crux! quo modo omnes torquens, omnibus places, nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat. Si igitur crux est ferenda, accipe Crucem Christi: & in ea gloriare: quia hac cruce obtinetur vera libertas, summus honor, præclara fama, & gloria æterna.

2. *Christi doctrina.*

3. *Et Exemplum.*

Lib. 3. de Consid. Crux Christi, vel mundi tollenda.

Non *potestis*, inquit Saluator, *duobus Dominis* sibi inuicem contrarijs

4.

c *Mat. 6. 24*

serui-

seruire: quia dum vni vis satisfacere, alterum offendis. Cùm igitur Christus & mundus; DEVS, & Dæmon sint inuicem contrarij: quomodo poteris seruire Christo humili, & mundo ambitioso? DEO, superborum hosti, & Dæmoni eorundem Duci: si verum honorem quæris, sequere Christum: in cuius schola, qui magis se humiliat, maiori honore est dignus; &, qui d *maior esse* desiderat, det operam, vt *fiat sicut minor*. At mundo seruire; res est intolerabilis. nam in ipso solo plures sunt Domini sibi contrarij: & impossibile est, omnibus placere. Non vides, quales sint contentiones inter ipsos mundanos, dum vanos suos honores quærunt? volens igitur aliquorũ voluntatem tibi conciliare, amittes aliorum gratiam. Et, si hi velint te honore afficere: alij id conabuntur impedire, teque contemnere. Melius est, nihil illos facere: & tunc multo maiorem honorem obtinebis. Et quæ maior excellẽtia, ait S. Chrysostomus, esse potest, quàm honorem contemnere, qui tanti in mundo æstimatur? quæ autem maior vilitas, quàm ei se prosternere. *nihil humilitate altius, nihil arrogãtia depressius.* Quodnam cor magis est depressum, quàm quod subijcitur hominum opinioni, & voluntati? & quodnam cor magis est generosum, quàm quod eorum dictis est superius, & ab his curis est expeditum? nam etiam ipsi Philosophi dicunt: magnanimos facere res magno honore dignas: propter quem tamen obtinendum nihil faciunt; potius illum contemnunt: nisi quatenus medium quoddam est, ad eadem bona opera meliùs facienda; & proximos, quibuscum versantur, adiuuandos id enim voluit Sapiens, cũ dixit: e *curam habe de bono nomine*; & Apostolus: f *quamdiu ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*: & quemadmodum perpendit S. Bernardus: non dixit, *mei ipsius* honorificabo; sed, meum ministerium. At si honorem proprium, tanquam proprium aspiciens, illũ contemperis: nihil amittes: quia ea ratione potius acquiritur, & cõseruatur. Siquidẽ solẽne est DEO, vt ait Ezechiel, g *lignũ humile exaltare, & humiliare sublime; & sic caro lignũ viride: & efficere; vt frondeat lignum aridum.*

Hoc eodem spiritu fugiendæ sunt tibi, quod in te erit, huius *mundi excellentiæ* quibus fouetur ambitio: quasi subneruares ferocem hunc equum, ne graue tibi inferat bellum. Nec solum earum studium est fugiendum: sed procul earum occasiones sunt odorandæ, & tempestiuè fugiendæ: quemadmodum Christus D. N. cùm fecit miraculum illud, quo quinq; hominum millia quinq; panibus pauit, prævidens, plebẽ illam cogitare de ipso in Regem eligendo, h *fugit in montem ipse solus.* Quòd si contingat, huiusmodi dignitates tibi offerri: sequere, quòd in te est cõsiliũ i *Oliuæ, vitis & fici* quæ, ne fructus suos perderent, reiecerunt oblatum sibi primatũ super reliquas arbores. Noli sponte tua ascendere in montem Bethel, & Dan, nec ad dignitates & prælaturas Ecclesiæ aut Reipublicæ: quod si iam illas habes, non sis

abique

d *Lu.* 22. 26.

Mundi seruitus intolerabilis.

Honor seruetus exaltat. Arist 3. *Eth. c.* 8. *S. Tho.* 2. 2. *q.* 129. *a.* 2.

e *Eccl.* 41. 15.

f *Rom.* 11. 13 *Epist.* 47.

g *Ezech.* 17. 24.

5.

Excellentiæ declinandæ.

h *Ioan.* 15.

i *Iudic.* 9. 9.

absque timore atque tremore: ne fortè Satanas ponat ibi honoris & vanæ gloriæ idola; teq; excæcet, vt ea adores, præcipitans te ex altiori loco vsque ad abyssum inferni. Memor esto, hunc aduersariũ duxisse ipsum Christum Dominum ad k *pinnaculũ templi*, ac impulisse, *vt mitteret se deorsum*, vt indè populi honorem captaret, videntis tale prodigium facientem. Et indè *deduxit ad montem excelsum, & ostendens illi omnia regna mundi, & gloriam eorũ, dixit: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Quia proprium est Satanæ, procurare, vt homines ambitiosè loca superiora conscendant: alii ad pinnaculum templi, dignitates scilicet *Ecclesiæ*; alii ad montem excelsum, in quo apparet, & placet gloria & pompa ipsius *mundi*: vt eam ibi adorent, & ex ea præcipitentur. & cum prætextu quærendæ gloriæ, incidant in miserandam ignominiam. Et, si tali tentationis genere ausus est Ducem nostrũ aggredi: quid mirum, quòd te aggrediatur, de quo sperat, se facilè obtẽturum victoriam? Sed faciliùs illam de eo reportabis, si feceris, quod fecit ipse Saluator: qui nec voluit in pinnaculo manere; neque in monte; nec facere, quod hostis illi suggerebat: sed potius illum confudit, respondens illi: *non esse* Devm *tentandum*, & Devm *solum adorandum, illique soli seruiendum.* Hunc in modum, nec sunt acceptandæ excellentiæ ab hoste tuo oblatæ; nec faciendum quicquam; quod idem suaserit. Non debes te prosternere, aut genu flectere honoris idolo, cum iniuria veri Dei: quem solum debes adorare, soliq; seruire, ponendo sub tuis pedibus idola omnia, quæ mundus adorat.

k *Mat. 4. 5.*

Christus de excellentia tentatus.

CAPVT XI.

TENTATIONES INVIDIAE ET RATIO eas vincendi.

Cvm superbia & honoris ambitione multa vitia coniunguntur, tanquam milites seruientes illis in eorum pugnis, vt in proximo capite ostẽsum est: sed omnium ferocissimi sunt *duo* duces illorum septem, Invidia scilicet & Ira. Invidia producit tentationes odij, rancoris ac tristitiæ, eò quòd videat, alios eminere in excellẽtia & honore: Ira producit furiosa vltionis desideria, impedientes studiũ & conatum excellentiæ obtinendæ. Vtrumq; hoc vitiũ coniunxit Apostolus cum eorũ radice dicẽs: a *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicẽ prouocantes, inuicẽ inuidentes:* & in lib. Iob est scriptũ: b *Verè stultũ interficit iracundia, & parulũ occidit inuidia.* ac propterea vtriusq; pugnæ delineatæ sunt in tentatore illo, *qui sedebat in equo pallido, cui nomẽ mors, & quem infernus sequebatur.* Nam incipiendo ab Invidia, meritò tentator eius

a *Gal. 5. 26.*
b *Iob. 5. 2.*
c *Apoc. 6. 8.*

appellatur mors: siquidē Sapiens dixit: *d inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & inferni* fores sunt reseratæ. Prima enim mors, quam post Adami peccatum Dæmon intulit, fuit per inuidiam: nam cùm *e inuidia vicisset Cain* moxillum impulit, vt *fratrem suum Abel occideret*. Sed prius tamē inuidum torquet vehementer, reddítque illum *equum pallidum*, macrum, ac debilem. qui tamen nec propterea desinit esse fortis, animosus, & audax, vt aptum sit Dæmoni instrumētum in eius pugnis, vt apparet in crudeli illa pugna, quam Pharisæi ex inuidia contra Christum Dominum excitarunt, quorum opera vsus est Satanas, tanquam ferocium equorum, ad omnes calumnias & persecutiones, quas adinuenerunt: donec illum vita priuarunt. Et eadem rabie per homines persequitur innocentes, struens mille tentationes, quibus eos deijciat, ac prosternat.

Sap. 2. 24.
Inuidia crudelis pallida.
1. Ioan. 3. 12

SED, vt huius vitij, eiusque tentationum qualitates meliùs intelligantur: aduertendum est, quòd inuidia (vt ait S. Thomas) est inordinata quædam tristitia de prosperitate aliena, quatenus propriam imminuit. Et quoniam hæc prosperitas est duplex, alia temporalis & mundana, alia spiritualis & religiosa: ita etiam duplex est inuidia. *Prima* est prosperitatum *temporalium* proximorum nostrorum: cùm dolemus, quòd illi excellant in diuitijs, dignitatibus, officijs, & familiaritatibus Principum; alijsque similibus rebus, quas mundus hic amat, & magnifacit. Et hæc inuidia est filia superbiæ mundanæ: quæ quoniam eadem excellentias pro se cupit, tristatur, quòd eas videat in alijs cum suo detrimento. *Secunda* inuidia est prosperitatum *spiritualium* in virtutibus, & scientijs quæ, etsi nobis non imminuantur propterea, quòd alij illas habeant: diminuit tamen honorem & gloriam singularem, quam nos cupimus, ac propterea tristamur; quod videamus alios in illis excellere. Et hæc inuidia oritur ex spirituali superbia, quæ cupit sibi virtutes & scientias propter gloriam, ex eis nascentem. Et de vtraque inuidia intelligit S. Gregorius quod dicitur in Iob f *Paruulum occidit inuidia*. Paruulus, inquit, est inuidus altera ex duabus causis: AVT quòd amet bona temporalia, quæ sunt ex se vilia, & abiecta, (est enim parui cordis, fœnoreorum mancipium: & tristari, quòd alii eadem habeant in maiori abundantia) Et hoc pertinet ad primam inuidiam, quæ valdè cruciat aulicos, & eos qui talia in *mundo* assequi conantur: vt neque amicis, neque socijs, nec fratribus quidem parcant. Quemadmodum apparuit in g *filijs Iacob inuidentibus* fratris sui *Ioseph* prosperitati: quæ quamuis tunc alia non esset, nisi quam in somniis acceperat: somnus tamen, qui eam prædicebat, inuidiæ fuit esca & fomentum. Imò neque ipsi Reges ferre possunt, subditos sibi in re aliqua præferri: sicut h *Saul*

2. 2 q. 16. a. 1.
Inuidia temporalis.
Spiritualis.
f Iob 5. 2. Lib. 5. Mor. cap. 31.
Inuidia mundi.
g Gen 37. 11.
h 1. Reg. 18. 8.

à malo hoc spiritu raptatus, cùm laudes audiret Dauidis, & felices eius in suis rebus euentus, *iratus est nimis.* Alio etiam modo *paruus* est *inuidus* in rebus spiritualibus etiamsi illæ magni fiant. Si enim non se paruum & inferiorem in eis iudicaret: non inuideret ijs, qui ipsum excellunt. Hæc inuidia valdè torquet *dæmonem*, cùm videt hominem exaltatum ad dignitatem filij Dei, & ad ius beatitudinis acquirendæ, quam ipse amisit. i *Quem* (vt Sapiens ait) *imitantur* inuidi, *qui sunt ex parte illius.* qualis fuit k *Cain* qui constristatus *est & iratus valdè*: quod videret, Deum valdè fauere fratri suo Abel. Ex quo satis apparet, quamuis hoc vitium omnes mortales aggrediatur: multo tamen magis honoris & gloriæ amatores, & pusillanimes: qui quodcunque bonũ magni æstimant, cùm vident se ab alijs superari: ex quo valdè afflíguntur.

Inuidia Dæmonis.

i *Sap.* 2. 25.
k *Gen.* 4. 5.

Neverò decipiaris in iudicio de hac tristitia ferendo, aduertit S. Thomas: quatuor esse genera tristitiarum de alieno bono. *Prima*, quatenus eius causa *damnum* aliquod proprium, aut aliorum times: quod aliquando esse potest sine peccato. Nam (vt ait S. Gregorius) absque detrimento charitatis potest fieri, vt ex inimici tui lapsu læteris: eiusque prosperitas, absque inuidiæ culpa te contristet: quando ex tali lapsu alij boni & afflicti respirant; & ex eius prosperitate, alij opprimuntur iniustè. Sed & hæc tristitia potest aliquam culpam habere: si doleas, videre illum exaltatum. eò quòd possit tibi in aliquo nocere, licèt non iniustè: semper tamen est *suspecta*, ob vicinitatem, quam habet cum odio. quia facilè odio habebis ipsum inimicum, prætextu damni tui, quod horres. *Alia* tristitia oritur ex alieno bono, non quòd alter illud habeat; sed, quòd tu illo *careas.* Quæ tristitia, si est propter defectum bonorum spiritualium, quæ alij habent, laudanda est: & appellatur Zelus, siue æmulatio, qua quis optat, par esse bonis, vt ipse sit bonus. Quemadmodum Apostolus ait: l *æmulamini spiritualia*: m *& bonum æmulamini in bono semper.* hanc æmulationem appellare solemus *sanctam inuidiam*, de qua dixit S. Hieronymus ad Lætam: habeat filia tua socias aliquas, vt simul cum illis discat, eisque inuideat: quarum laudes illam pungant, vt imitetur bonum, quod in eis videbit. Sed si hæc tristitia esset ob defectum bonorum temporalium, quæ alii habent; tantùm censeretur vitiosa, quando defectus esset superfluorum; non tamen censeretur talis, si deessent necessaria, aut statui tuo conuenientia: quamuis maioris esset perfectionis hunc ipsum defectum læto animo ferre. *Tertia* tristitia est de bonis, quæ alii habent: quibus tamen sunt *indigni.* Si igitur tristitia est propterea quod illi in Dei iniuriam illis abutantur: tristitia est *Sancta*, & ex charitate ducit originem: si tamen solùm propterea inuides, quòd videantur tibi bona illa temporalia in huiusmodi improbis hominibus malè collocari, inuidia est *superstitiosa*: siquidem prouidentia Dei omnia gubernan-

S. Tho. suprà q. 1. ad. 3. Tristitia duplex. Li. 22. Mor. c. 11.

1. *De damno proprio.*

2. *De bono quo cares.*

l 1. *Cor.* 14. 1
m *Gal.* 4. 18.
Epi. ad Lætam, de Inst. filia.

3. *De bonis indignorum.*

tis illa voluit eis dare: siue, vt se emendent, siue, vt in hac vita remuneret aliqua bona, quæ faciunt aut ob alios fines, quos non assequimur. *Denique* est alia tristitia de bono alieno, quà proprium nostrum imminuit & *obscurat*: & hanc vocamus *inuidiam* vnum ex septem capitalibus vitijs, iuxta sententiam S. Gregorij. Est enim initiũ multorum aliorũ peccatorum, eorum præcipuè, quæ ipsius filiæ vocantur. Murmuratio scilicet de proximo, vt bonam ipsius opinionem imminuat; lætitia de eius aduersitatibus; afflictio animi, ex eo quòd non possit illius prosperitates impedire; odium cum quadam ira & rabie, qua velit illũ vita priuare: imò interdum eò peruenit, vt spirituale proximi bonum oderit; & *gratia augmentum*, quod habet: & tunc est vnum ex peccatis, quæ dicuntur in Spiritum S. est enim perinde, atque si inuideret *gloriæ*, quæ ex huiusmodi bono Spiritui S. tribuitur, à quo illud procedit.

4. *De bono quod nos obscurat. Li. 5. Mor. c. 31. S. Th. supra. a. 4. Filiæ inuidia. 2. 2. q. 34. a. 6. 2. 2 q. 14. a. 2 Peccatum in S. Spiritum.*

§. 1. *Inuidiæ grauitas & malitiæ considerantur.*

EX hactenus dictis, huius vitij grauitas innotescit. de quo meritò dicitur, quod a *occidat paruulum*. eius autem tentator appellatur *mors*: eò quòd horrendas mortes inferat, vnam *spiritualem*, quæ priuat gratia & charitate, quæ vita est animæ; alteram *corporalem* ac temporalem, quatenus cor cruciat, exsiccat ossa, & facit putrescere. Ac propterea ait S. Augustinus: inuidiam esse *viperæ* similẽ, quæ matris eã concipientis viscera rũpit: qua extincta, ipsa exterius prodit. & S. Chrysostomus eam appellat *vermem* rodentem pectus, & *serpentem* in corde implicatum, & expressam quandam *satanæ* imaginem. Nam, vt S. Gregorius ait: quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur: in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem mouet. nam cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoq; exteriora indicant, quã grauiter animum vesania instigat. color enim pallore afficitur, oculi deprimuntur, mẽs accenditur, & mẽbra frigescũt. sit in cogitatione rabies, in dẽtibus stridor, cumq; in latebris cordis crescẽs absconditur odiũ, dolore cœco tenebrat conscientiã vulnus inclusum. Nihil lætum de propriis libet, quare tabescentem mentem sua pœna sauciat, quã felicitas torquet aliena: quantoq; extranei operis in altũ fabrica ducitur, tãto fũdamentum mentis liuidæ profundius suffoditur. vt quò alii ad meliora properãt, eò ipsi deterius ruãt: qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actib. perfecto opere surrexisse putabatur. Nã inuidia cũ mentem tabefecerit, cũcta quæ inuenerit benè gesta, consumit. vnde benè per Salomonem: b *vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* quia per liuoris vitium, ante DEI oculos pereunt præcipuæ virtutes, ossa quippe per inuidiam putrescere; est, etiam quædam robusta deperire. hæc S. Gregorius.

a Iob. 5. 2. Inuidia mortifera.

Serm. 83. de temp.

Hom. sup. 1. Cor. 13. 25. & 2. Co. 12. 20.

Li. 5. Mor. c. 31. & 3. p. Pastoral. ad mon. 11.

Omnia bona corrumpit.

b *Pro. 14. 30*

ex di-

Ex dictis apparet, inuidiam omnibus esse perniciosam, non solum inuidò ipsi, sed etiã cui ipse inuidet. Nam inuidi, ait S. Chrysost. tanquam furiosi solent seipsos proprio gladio configere: & sunt feris ipsis crudeliores; dæmonibus æquales, & fortè peiores. *Feræ* enim non inuadunt nos, nisi fame compulsæ, aut à nobis irritatæ: at inuidi proprios amicos tanquam hostes persequũtur. *Dæmones*, quamuis iuideant hominibus, quos persequuntur: interse tamen non dissentiunt, (quemadmodum Saluator noster Iudæis insinuauit, cùm dixit: c *si Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?*) at inuidi, eiusdem naturæ homines persequuntur. Et quemadmodum *Basiliscus* habet venenum in visu, quo interimit, quem aspicit: ita ait S. Bernardus, *oculus* inuidi aspiciens bonum alienum, seipsum inficit veneno: & quod in se est bonum etiam, quod aspicit, inficit: quia illud odit: ex quo fit, vt d *oculus liuidi*, vt ait Sapiens, *sit nequam*, & suspicios̃us, calumnias semper in aliis quærens, quibus ipsemet excœcatur, e *Ita vt per diem & in clara lucem incurrat tenebras: & quasi in nocte, sic palpet in meridie.* quemadmodum enim *Sol* nimia sua luce oculos excœcat: ita bonorum prosperitas solet liuidos excœcare: qui (vt ait Sanctus Gregorius) cùm vident opera bona iustorum, quærunt quæcunque possunt mala, vt eorum obscurent gloriam: sedilli potius obscurantur & contabescunt, non inuenientes quod quærebant: etiamsi fingant, quod vellent. Quemadmodum illi f *Sodomitæ*, cùm vellent Loth opprimere, & vi domum eius intrare, fuerunt ab Angelis *cæcitate percussi.* ad significandum, quod inuidi etsi occasiones quærant iustos acculandi, quemadmodum Pharisæi quærebant, vt accusarent Saluatorem: non inueniunt. & in pœnam inuidiæ suæ obscurantur, & ratio & fama ipsorum.

Dictis addendum est hoc vitium (vt ait S. Chrysostomus) *difficillimam* omnium habere curationem; Et qui hac peste sunt infecti, (ait Cassianus) esse *ferè incurabiles*, eisq; competere, quod dixit Deus per Ieremiã: g *ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos.* qui sunt illi Basilisci siue *reguli*, nisi affectus inuidiæ? quos Deus mittit in pœnam aliorum peccatorum: vt mordeant, torqueant, & vrant inuidos: contra quos basiliscos nihil valet vis & industria incantatorum: eò quòd fortissimè resistant suæ curationi. tum quod *pudeat*, inuidiam suam patefacere, eò quòd sit vitium hominum abiecti animi: quare occultantibus vulnus non potest medicus adhibere remedium. tum quod ipsismet adhibitis remedijs ipsius virus *augeatur. Auarus* enim placatur donis; *iratus*, si dedat se, & ipsi se subijciat is, in quem ira mouetur; *superbus* etiam conquiescit, cùm quis se ipsi humiliat: at liuidus ipsomet bono sibi oblato suam fouet inuidiam: quia dolet, cum alterum videt humilem, ingenuè liberalem, & bonum.

2. *Homil. 36. in Ioan.*

Inuidiæ crudelitas.

c *Luc. 11. 18.*

Ser. 12. in Ps. 90. Cass. infr.

d *Eccl. 14. 8.*

e *Iob. 5. 14.*

Lib. 6. Mor. c. 16.

f *Gen. 19. 11.*

Inuidi obscurantur luce aliena.

3. *Supra. Col. 18. c. 17.*

g *Iere. 8 17.*

Inuidia incurabilis.

quem-

quemadmodum vidimus in filijs *Iacob*, & in *Saule*, quos nunquam potuit humiliatio & subiectio Ioseph ac Dauidis placare: potiùs magis quotidie crescebat. Sicut nec *Pharisæi* liuorem suum deponere potuerunt: quamuis innumeris beneficijs à Christo D. N. afficerentur. Et hæc est causa, cur pallidus equum pallidum, infernus sequeretur: quasi eum statim deuoraturus in suo peccato obduratum.

§. II. *Pugna contra Inuidiam, eamq; expugnandi modus.*

SED quoniam nullum vitium in hac vita est omninò incurabile, eò quòd facillimum sit DEO, quod hominibus videtur impossibile: oportet in pugnã prodire cum feroci hoc equo, fidendo diuinæ potentiæ, quòd eũ possis enetuare, mortificans *duplicem* ambitionẽ, quæ vtriusq; inuidiæ sunt nerui.

1.

ET cùm *mundana* inuidia paruulos tantùm occidat, qui vitæ huius bona magna reputant, & honorem illa consequentem: induas cor *magnanimũ*, quo temporalia omnia exigua esse existimes, sicut verè sunt nihil comparatione æternorum. Si vir *generosus* non inuidet honori alicuius *sutoris*, propterea quòd calceos benè aptauerit; neque *sartoris*, quòd vestes aptè scinderit, quia hæc ita abiecta, suaque nobilitate indigna iudicat; etiamsi ad vitam ducendam sint necessaria: multò igitur magis *Christianus*, qui filius est DEI, æternique eius regni hæres, non debet alteri inuidere, propterea quòd eum videat in honore esse ob *temporalium* bonorum possessionem: quæ vere abiecta sunt & vilia, si cum bonis, quæ habet in anima, & sperat se habiturum in vita æterna conferantur. Procul valdè à liuore erat is, a *qui omnia tamquã arbitrabatur vt stercora; & quæ sibi fuerant lucra, arbitrabatur propter Christum, & eminentem eius scientiam, detrimenta.*

Magno animo sperne omnia terrena.

a *Phil.* 3. 8.

2.

ASPICE attentè nomen tentatoris huius inuidiæ: & inuenies, quòd ipsemet tentator, si benè attendas, eam remoueat. si enim ille appellatur *mors*; ipsa morte finitur inuidia: nunquam enim quis inuidet mortuis. Ne itaque adeò attentè consideres præsentem excellentiam eius, qui te præcedit; qui finem, quem citò est habiturus, cum b *morte* scilicet, quæ *non tardat*: & hic cessabit inuidia. propterea enim dixit Dauid: c *ne timueris*, aut tristeris, *cum diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: Quoniam, cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* quamdiu ille vixerit benedicetur, & prosperabitur: sed mox atq; obierit, ibit cum patribus suis in abyssum: nec amplius vnquam videbit lumen, aut diem habebit prosperum. Quis Alexandri Magni prosperitati inuidebit: si cum consideret in inferno ardere? ne inuidias humanæ prosperitati, quæ fortè causa erit aduersitatis, & infelicitatis æternæ.

Quid inuides moriturò?

b Eccl. 14. 12

c Psa. 48. 17.

QVOD

QVOD si strenuus sis miles, sicut Dauid non alijs armis indigebis, vt d *Gigantis* illius *Goliath amputes caput*, quàm proprio ipsius *gladio*. ita enim DEVS permittit, vt mundanæ superbiæ Gigas secum gestet gladiũ inuidiæ, quo caput illi amputes: & ipse tamen hebetetur ac destruatur subtractus Giganti, illum fouenti. Age, dic mihi humana superbia, si honores quæris, cur inuidiæ præbes aditum? est ne aliquid magis ignominiosum, quàm inuidere proximo? sic enim protestaris, cum esse magis honoratum; te verò abiectissimum habere cor? si erubesceres, quod alius te ambitiosum, aut liuidum appellaret, ob iacturam honoris, quam ea ratione incurreres: cur vitium illud admittis, quod honorẽ aufert, quem quæris? si studes illud occultare, ne opprobrium tibi adferat: melius est abijcere; & illud conculcando honorem consequi.

d 1. Reg. 17. 51.

Inuidus honore excidit, quem quæsiit.

QVOD si generosè de vtraque inuidia triumphum agere velis: indue arma humilitatis, & charitatis Christianæ: & sic facilè ad terram illas deijcies. *Humilis* enim, quoniam sui contemptum amat, gaudet, quòd alios videat exaltari: etiamsi ex eo ipse magis humilietur. dicet enim de proximo suo, quod S. Ioannes Baptista dixit de Christo e *illum oportet crescere, me autem minui*, benè enim mihi est, quod ille exaltetur, & ego humilier. Et qui perfectam habet *Charitatem*, quoniam DEVM valdè amat: etiam quodcunque bonum, quod videt in suis creaturis, amat, gaudens de diuina bonitate, quæ in illarum bonis prælucet. Et quoniã proprium bonum amat: ita etiam proximorũ. nam amore, illorum bonum faciet suum. Qui cupit inuidia carere (ait Sanctus Gregorius) illam amet hæreditatem; quæ non minuitur multitudine hæredum: quia in omnibus est *eadem*, & in singulis *tota*, & eò magis eius magnitudo apparet: quò recipientium multitudo magis dilatatur, *imminuitio* ergò liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis; & plena *mors* eius est perfectus amor æternitatis. Nam qui interiorem Spiritus suauitatem delibat, tristitiam de alieno bono à se repellit: æquè de illo gaudens, atque si esset proprium: & qui perfectè amat æterna bona: non inuidet alijs nec *temporalia* bona: quia illa contemnit; nec *spiritualia*, quia ipsum non retardant, sed potiùs eius adiuuant conatus.

4. *Humilitas & charitas venena Inuidiæ.*

e Ioan 3. 30.

Lib. 5. Mor. c. 31.

Æternitatis consideratio pellit Inuidiam.

SED, ne animum abijcias ob importunas huius vitij tentationes, attende sæpè eius affectus nos pulsare; sed nisi hæreant, non nocere: vtpotè qui nolentem inuadant. quare meritum potius habes ex resistentia. Quod S. Bernardus ita declarauit: rara (inquit) virtus est alienæ non inuidere virtuti. Sed quamuis aliquid tale sentias, non tamen in tuo profectu deficias. Quod si dicas, quomodo ego proficere possum, qui fratri proficienti inuideo? si doles, quod inuides: sentis; sed non consentis. Passio est aliquando sananda, non actio condemnanda. Tantum non illic resideas, iniquitatem

5. *Inuidiæ absit consensus.*

Serm. 29. in Cant.

,, meditans in cubili tuo: qualiter scilicet hunc tuum foueas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, benè ab illo gesta calumniando, deprimendo, peruertendo, atque impediendo gerenda. Alioquin non nocet ambulanti & extendenti se ad meliora: quia magis confunditur, sic se esse malè affectũ & si studeas inolitum à te vitium expellere, confitendo, flendo & orando, vt DEVS illud remoueat. quòd si adhuc hæreat mitior inde ad omnes atque apud alios humilior inuenitur, hæc S. Bernardus. quibus media complectitur generalia, ad hoc vitium expugnandum, cùm nos *apertè* inuadit.

6. SED interdum solet *occultè* nos oppugnare, sub titulo religionis & pietatis. quia enim ipsa valdè est deformis: vultum operit, ne agnoscatur. Aliqui iusti (ait S. Diodocus) sub prætextu amoris DEI incidunt in zelum liuidum, optantes nullum esse, qui ita seriò atque ipsi DEO seruiant: ideoque dolent, si quis illos præcedat. Quod oritur ex defectu *humilitatis, & charitatis*. quare exercitio vtriusq; huius virtutis ab hac adeò stulta imperfectione repurgatæ, zelum suũ corrigere oportet. Aliqui etiam Prælati (ait S. Gregorius) prætextu officiũ suum exactè præstandi, liuore quodã prohibent alios cõcionari, ac docere; ac de ijs etiam malè loquuntur, qui hæc officia benè præstant. Contra quos S. Iacobus Apostolus dixit: f *quod si zelum amarum habetis: & contentiones sunt in cordibus vestris, non est hæc sapientia descendens: sed terrena, animalis, Diabolica.* Qui enim non propriã gloriam, sed Domini sui quærit, cupit iuuari in eo, quod facit; vt ab omnibus DEVS magis glorificetur. Eum in modum, quo Moyses liuido suo famulo, qui volebat prohiberi prophetantes. g *quid*, inquit, *æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum.*

Lib. de spir. perf. c. 99. Occulta inuidia.

Li. 22. Mor. c. 16. in illud Iob. si animã agricolarũ afflixi. f Iac. 3. 14.

g Nu. 11. 29.

7. ALII nomine antiquitatis in virtute & Religione malè sentiunt de tyronibus in ea, qui suo feruore ipsos præcedunt, & maiores à Deo fauores experiuntur: & hac inuidia acti malè de illis loquũtur, imò in ipsum DEVM conuertuntur, eò quòd non ipsis similes, aut etiam maiores exhibeat. sicut h *frater natu maior filii prodigi*, inuidit fratri suo fauores à patre exhibitos: & propterea etiam contra patrẽ murmurauit. sicut etiam qui laborârunt in vinea tota die, inuidebãt quod eadem merces daretur ijs, qui vnica hora laborauerant: & ita murmurabãt contra patrem familias: qui tamen i *vni eorũ dixit: num oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* quasi dixerit: si ego meã probitatem manifestare volo erga immeritum: oculus tuus, qui hoc videt, erit *basiliſci*, qui virus suum iaculatur per inuidiam? Sed quis non obstupescat, attendens occasionem, quam oculi accipiunt, vt nequam sint? cùm vere nulla alia sit causa, quam quòd Deus sit *bonus*. Reliqua vitia (ait S. Chrysostomus) aliquam excusationis speciem habẽt: quia fundantur aut in carnis propensione ad delicias: aut in necessitate sustentationis; aut in accepta in-

Senes cum iunioribus laudent Deum. h Luc. 15. 28

i Mat. 20. 1.

Nota. Hõ. 36. in Io.

iuria-

iuria; aut in honore, quem desiderat : at liuidus nullam habet excusationem : quia nullo accepto ab alio detrimento, oppugnat probum; & eum ipsum, à quo beneficium accipit : eo solo nomine, quod *bonus* sit, & quod Deus *bonum* se erga illum præbeat. Accipe igitur in manu tua arcum supremi tui magistri : & quando te inuidia aggredietur, iacias in illam has sagittas, vt illam disturbes. Erubesce ô *basiliscе*, quòd oculus tuus sit nequam propterea solùm, quod Deus sit bonus. Ne sis instar *aranei*, qui omnia in venenum conuertit : sed instar *apis*, quæ omnia vertit in dulcedinem. Noli *Satanam* imitari, qui ex bono malum haurit : sed ipsummet Deum qui ex malo nouit elicere bonũ. k *tolle*, inquit, *quod tuum est, & vade*. esto contentus & quietus eo bono, quod Deus tibi dedit; gratiasque age: nec te per inuidiam indignum facias, cui Deus illa conseruet. Qui enim de alienis bonis tristatur, dignus est, qui propria amittat. O si profundius penetrares, vt cognosceres quod tuum est; & videres, te non habere aliquid, cur inuideas alienis bonis. Attende quid pater misericordiarum dixerit maiori natu filio inuidenti : l *omnia mea tua sunt* : cur igitur inuides fratri tuo; si Deus est Pater tuus, & omnia ipsius, tua sunt: quid tibi deest, quod inuidere possis ? propterea in cœlo nulla est inuidia inter iustos : etiamsi aliqui plus habent, quàm alij. quia omnes secum habent Deum; & in eo omnia, quæ sua desideria satiare possunt. cuius gaudij partem reputant diuinæ sapientiæ consilia, & æternam eius dispositionem in benefaciendo omnibus; seque cum illis diuersis adeò modis coniungendo. Studeas igitur ex nunc imitari Sanctos, quibus desideras æternam coniungi. Quod si hæc imitatio & similitudo ob suam sublimitatem te obombrat: ingredere teipsum, & aliam inuenies valdè proportionatam. Nũquid m *pes inuidet manui, aut manus oculo*? non est talis inuidia inter eiusdem corporis membra: quia omnia eandem animam habent: adeoque ipsi est coniunctus pes, sicut oculus, & manus. Quod si oculus est necessarius ad bonum corporis : etiam pes & manus ad idem pertinent. cùm igitur Deus te fecerit membrum mystici corporis Ecclesiæ suæ: esto quietus & contentus gradu, quem tibi in ea dedit, nihil inuidens alteri altiorem locum. Nam die resurrectionis, & pes & manus suam gloriam habebunt; & magni & parui saturi erunt, contenti & honorati, videntes Deum, eiusque gloria in æternum fruentes.

Bonitas Dei obiectum Inuidiæ.

k *Ma. 20. 14*

l *Luc. 15. 31.*

Quid inuides qui in Deo omnia habes.

m *1. Co. 12. 21*

Nullum membrum inuidet alteri.

CAPVT XII.

FVRIOSAE TENTATIONES IRAE ET impatientiæ earum q; radices & remedia.

PRO septem vitiis, quæ in Satanæ pugnis eius sunt quasi duces, *iram* constituit, quæ vlciscatur, iniuriarum, quæ hominibus inferuntur, vltricem, Zelantem mundanæ superbiæ honoré: quę nec minimam iniuriam ferre potest. Fungiturque hoc suo munere adeò crudeliter, vt sedeat super *equum pallidum*, & cõminetur magnos terrores & cruciatus: *cuius nomen est mors* quia nulli iniuriãti vitam donare vellet: eam proximè *sequitur infernus*: ad quem rabie sua mittere cupit omnes, qui iniuria aliqua ipsam affecerint; & sic vltionẽ accipẽte sempiternam. Sed illa tamen præcedet: quia diuina iustitia vlciscetur deeo, qui ausus est authoritate propria vltionem de alio sumere.

g. 9. Pastor. admonit. 17 Impatiens quid differt ab iratо.

SED, vt huius vitii proprietates meliùs intelligantur, incipiamus à similitudine, quam habet cum impatientia. Quæ (vt ait Sanctus Gregorius) est nimia quædam tristitia iniuriis & calamitatibus, orta ex desiderio illas non habendi: super hoc tamen addit ira furiosum quenddam appetitum vindictæ, in eum, qui iniuriam intulit: vt ab ea liberetur. *Impatiens* itaque est, qui malum, quod illi accidit, non tolerat cum cordis tranquillitate, sed cum inordinata amaritudine: at *iratus* etiam aliis dat occasionem impatientiæ, ostensis vindictæ signis & affectibus. Et ita Sapiens dixit: a *vir iracundus prouocat rixas*; b *sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem*. illud tamen est verum: hæc *duo* vitia ferè semper esse connexa: nam impatiens statim fit iratus, eructans murmurationes, querelas, & alia signa indignationis in alios; iratus autem semper est impatiens: quia tristitia iniuriæ excitat ad vindictam. Quare de vtroque simul agendum, & gradus explicandi, per quos ascendunt vsque ad supremum: vt fecit S. Dorothæus ex similitudine eius qui ignem cupit accendere. Qui primùm paruam *prunam* accipit, & in *stramine* collocat, cui *ligna* superponit, & *sufflat*: donec *accendatur*. Ex quo quatuor ordine suo consequuntur, primùm *fumus*, deindè *flamma*, tertiò *prunæ*, quæ ex lignis fiunt; ac denique *nigri carbones*, in quos prunæ conuertuntur. Hunc ergò in modum ait hic Sanctus: cùm aliquid palato tuo aduersum accidit, aut verbulum aliquod iniuriosum tibi dicitur, quod est quasi paruã

a Pro. 15. 18
b c. 26. 21.

Se inuicem comitantur. Serm. 8.

scintil.

scintillula: illud soles in *focum* tuæ imaginationis admittere, & *stramen* ac *ligna* variarum rationum superponere, ad ignem fouendum: & cogitatione ac discursu *sufflans* in eas, magnum cogitationum *ignem* intra teipsum excitas, dicens quis hic est, qui me hac iniuria affecit? quid illi feci? quæ illi mens fuit, cur ausus est me aggredi? quid illi potero respondere? quomodo vlciscar? si enim non vlciscar peius erit, & alii idem tentabunt, quod hic: & nunquam habebo quietem. His flatibus exurgit *primus* gradus iræ, qui est animæ turbatio, & cogitationum pugnæ, quæ commouent ac effundunt cor: suntque instar *fumi*, ignem præcedentis, quia oculos rationis offuscant, & mentis ratiocinationes ita obscurant, vt lucem impediant, qua illæ dignoscantur. Quamobrem dixit Dauid c *turbatus est a furore*, d *& in ira oculus meus, anima mea, & venter meus, siue memoria mea.*

Primvm, quo iratus excœcatur, est, quod existimet, se causam iustam habere, aciure irasci. Nulli enim (ait S. Augustinus) ira sua videtur iniusta, quæ sub prætextu iustitiæ, appetit vltionem: & S. Gregorius: *omne quod furor suggerit, rectum putat.* Ac propterea scriptura sacra e *iratum* appellat *stultum*; atque: *fram in sinu stulti requiescere.* quia verus stultus est, qui eam admittit; &, cùm admittit, fit adhuc magis stultus: quia amittit lucem veræ sapientiæ, & splendorem diuinæ gratiæ. Et in hoc sensu dixit Apostolus: g *sol non occidat super iracundiam vestram.* Hoc est, ne perduremus in ira tam diu, vt sol iustitiæ nobis occidat, & ratio ipsa obscuretur fumo perturbationum à passione nostra excitatarum. Hinc etiam prouenit, vt ira, rerum cœlestium contemplationem impediat: quemadmodum S. Dionysius significauit cuidam monacho Demophilo nomine, dicens: qui mansuetudinem amittit, familiaritatem cum Deo amittere: qui non delectatur agere cum iratis. Et S. Apostolus, vt in orationibus perseueremus, suadet; h *leuare puras manus sine ira & disceptatione.* Nã oculi à furore turbati, nec se, neq; Devm videre possunt; nec sẽ intra cor suum continere: nam turbationes multæ internæ illos ab eo expellunt. Et quemadmodũ fumus apes fugat, ita cogitationes iræ fugant iucũdas de Deo cogitationes: inferunt verò alias valdè amaras. Quia huius passionis fumi, (vt ait S. Ioannes Damascenus) sunt vapores fellis, qui amaricando turbant: aut (vt ait S. Gregorius) sunt ex genere viperarum, quæ lacerant viscera materna, & priuant omni deuotione & misericordia.

Post hunc fumum sequitur iræ *flamma*, feruor scilicet, siue furiosus cordis impetus, quo totum corpus commouetur, sanguis accenditur; & flammas quasdam pessimorum affectuum in ipsum proiicit iniuriantem. Hæc enim passio (vt S. Thomas ait) secum adfert quandam inflammationem sanguinis prope cor existentis, ex quo prouenit (vt S. Gregorius ait) vt ipsum cor palpitet, corpus totum tremat, lingua impediatur, accendatur

Quatuor iræ gradus.

Fumus ob scurans.

S. Tho. 12. q. 48. a. 4.

c *Psal. 6. 8.*

d *Psa. 30. 10 1.*

In psal. 149.

Lib. 5. Mor. c. 30.

e *Iob 5. 2.*

f *Eccl. 7. 10.*

g *Eph. 4. 26. Ita S. Greg. supra & Cassianus l 8. c. 9. Epist. 8.*

h *1. Tim. 2. 8*

Lib. 2 fidei c. 16.

S. Th. supra. c. 2. & Greg supra.

2.

Flamma erumpens.

Supra.

vultus, & oculi quasi scintillas quasdam emittant: ita vt nec præsentes agnoscant: & tunc iratus est tanquam obsessus & abreptitius. Et S. Basilius, & S. Chrysostomus addunt: iram esse stultitiam quandam, aut phrænesim breuem in furiosis motibus, quos excitat.

Hom. 10. variar. hom. 7. in Ioan.

Ex hoc secundo gradu ascenditur ad tertium, quem S. Dorotheus accensis *prunis* comparat, vocatque iram perfectam, certum scilicet ac firmum voluntatis decretum, vindictam sumendi de eo, qui intulit iniuriam. Ad quod varias vias & rationes adinuenit: aut re ipsa malum pro malo illi reddendo; aut negando bonum, quod conferre posset, aut verbis iniurias in eum proferendo, aut signis aliquibus iram suam in vultu, oculis, & manibus ostendendo. Quæ omnia complexus est Christus D. N. cum dixit: i *qui irascitur fratri suo, dignus est iudicio, & qui dicit ei: racha, dignus est concilio; qui dicit illi: fatue, dignus est gehenna ignis.* Quasi dixerit, non solùm DEO displicere vindictam, quæ ipso *opere* accipitur, occidendo, verbi gratia, proximum; sed etiam vltionem in *verbis*, appellando verbi gratia, fatuum; aut alijs *signis* illum cum contemptu irridendo; aut solo desiderio iram in cor ipsum admittendo: Quamuis horum primum sit secundo grauius, & hoc tertio: nam quando vltio executioni mandatur in comperto est, ignem iræ, inferni igne puniendum; & prunis propriæ vindictæ successuras prunas diuinæ vltionis.

3. *Pruna vindictæ.*

i *Matt. 5. 22.*

Omnis vltio displicet Deo.

HINC ascenditur ad quartum gradum iræ consummatæ & radicatæ, quæ comparatur extinctis *carbonibus* nigris: est enim continua quædam memoria iniuriarum simul cum odio proximi: Hæc est *ira, quæ requiescit in sinu stulti.* De quo S. Gregorius, quòd *palea* in oculo hominis irati conuertitur in *trabem*, quando ira mutatur in odium. Et S. Augustinus ait: iram inueteratam fieri *odium*, quando oblectatio: quæ miscetur cogitationibus vindictæ facit illam in vase cordis hærere, donec totum accescat, & innumeris postea peccatis corrumpatur. Nam, vt ait Salomon: k *qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclinior.* Vbi ait Glossa: iram aditum præbere omnibus vitijs, illis præcipuè sex, quæ sanctus Gregorius eius filias appellat. *Rixæ, tumori mentis, contumeliæ, clamori, indignationi, & blasphemiæ.* Hæc ait Sanctus Bonauentura esse tanquam l *sex illos viros, cum sex vasis interitus in manibus suis*, quos vidit Ezechiel *venientes de via portæ superioris, quæ respicit ad portam Aquilonis.* Ingrediuntur enim per portam *superbiæ*, cùm ea opponitur *aduersitati*: Et quisque portat instrumentum mortis: quia omnes, ipsum admittentes, priuat vitæ gratiæ: quia tunc maledictio impletur à Dauide prædicta, dicente: m *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* In quibus ver-

4. *Memoria iniuriarum cum odio. Supra. In psal. 149.*

k *Pro. 29. 22.*

S. Tho. 2. 2. q. 158. a. 7.

l *Ezech. 9. 2. 6. Filiæ Iræ.*

m *Psal. 7. v. 5.*

bis

bis *quatuor* grauissima *damna* insinuat, quæ respondent quatuor iræ gradibus prædictis. Nam iratus, primùm per culpam lethalem *labitur*: & ita priuatur charitate, patientia, & mansuetudine, quæ illum viuum conseruabant, & stantem, antequam tentaretur: & mox *capitur*, & ligatur ipsamet passione sua, quæ illi aufert perfectum subijpsius dominium & libertatem: nam quemadmodum n *patientia* affert integram *animæ possessionem*: ita, ait S. Bonauentura, impatientia illam destruit. Et posteà *calcatur* & raptatur à suis hostibus, ob multitudinem peccatorum & calamitatum, quas adfert secum vindictæ appetitus. Ac denique eius gloria vertitur in *puluerem*, permittente Deo, vt studens suo honori conseruando, illum amittat. Et in oculis Dei maiori afficiatur pudore, eò quòd seipsum sit vltus.

Quatuor damna iræ.

n *Luc.21.19 in dicta salutis tract.1. cap.5.*

Denique vitium hoc magis alios premit, damnumque grauius adfert, quàm alia: nam, vt S. Gregorius ait, *tria* sunt genera hominum, qui natura sunt cholerici. Alij enim facilè irascuntur; sed facilè etiam placantur: sicut *stupa*, quæ citò quidem inflammatur, sed & citò extinguitur. Alij tardiores sunt ad iram: sed eam semel admissam, difficilius dimittunt: sicut *ferrum* tardiùs concipit calorem ignis; sed semel acceptum, diutiùs retinet. Alij verò vtriusque malum absque bono retinent: quia & citò iræ dant locum, & tardius eam dimittunt: sicut *tæda*, quæ facilè ignem concipit, & diu conseruat: & huiusmodi constitutio hominis, eiusque ira reliquis est pernicios*ior*.

S.Thom.1.2 q.46.a.6 & 2.2.q.158. a.5. Lib.5.Mor. c.30. Tria genera Iratorum.

§. I. *Iræ radices ac remedia.*

Cvm igitur tot, adeoque grauia damna adferat ira, vt dictum est: nullus vir prudens esse debet, qui illam non detestetur; firmumque concipiat propositum eam destruendi & in ipsam iram irascendi, vt illam à se euellat. Vt autem eius curatio sit solidior, & à radice omninò euellatur: operæ pretium erit, eius *radices* inuenire, & patefacere. Hæ autem sunt præcipuè *duæ*: interna altera, altera externa. *Interna* est naturalis *constitutio*, cholerica scilicet & ignita: quæ statim ira accenditur; aut praua alia corporis, aut animæ *dispositio* consuetudine, aut morbo aliquo acquisita. Nullus tamen existimet, iram adeò esse innatam, vt vinci non possit. Siquidem Spiritus sanctus dixit a *non esse creatam hominibus superbiam, neque iracundiam nationi mulierum*. Vt omnes intelligant, se posse cum Dei gratia, si velint, illam superare.

Radix iræ duplex.

S.Thom.1.2 q.46.a.1. Interna natura.

a *Eccl.10. 22.*

Externa radix iræ & vindictæ caro est, à qua excitatur: nam (vt ait S. Thomas) hæc passio hoc inter alias habet peculiare, quòd non exurgat nisi ab externa aliqua *occasione*, quæ illam prouocat. Vindicta enim

1.2.q.47. a.1. Externa Obiecti.

suppo-

Ca. 5. supra. Solitariorum ira latet.

Lib. 8. c. 15. & seq.

Non fuga sed ferro vincatur ira.

I. 2. *Rhet. c. 2.*

Propria voluntatis mancipia citò irascuntur.

De infor. mentis p. 2. c. 10. Tristitia fons iræ.

b *Ioan. 4.*

supponit acceptam iniuriam, aut aliud damnum, quod ipsum vlciscentem affligit. Et propterea S. Bonauentura iræ affectum comparat *igni*, ex silice ferro icto prodeúti: nam natura cholericus est tanquam *silex*, natura quidé igneus, qui tamen scintillas non emittit, nisi *ferro* occasionis feriatur: nec tamen sufficeret ferri ictus, si natura non esset quasi silex: ictus enim iniuriarum non eos commouet, qui naturam habent pacificam & mortificatam; nec qui eam habent iguitam, commouentur, nisi aliqua sit occasio. Quamobrē dixit Cassianus: multos viros *solitarios* videri mansuetos, eò quòd nullus ad iram illos prouocet: quemadmodum in deserto sunt plurimæ viperæ, & serpentes, non mordentes, propterea quòd non adsit, quem mordeant. Quare hoc vitium non est omninò curandum sola *fuga* societatis hominum; sed *mortificatione* spirituum ipsius naturę: ne mordeat, aut exasperetur, etiamsi tangatur.

CAVSÆ exterioris iræ reduci solent ad vnam, quam Aristoteles *paruipensionem* appellat. Sed maioris claritatis causa ad duas, quæ sub hac continentur, omnes reducemus. *Prima* est, cùm propria voluntas ab eo, quod vult impeditur: quod nos valdè contristat; quia est modus quidam contemptus; & indicium quoddam, quòd parui nos faciat, qui facilè sese nobis opponit in ijs, quæ nos desideramus; & parui facit nostram amicitiam, quitam facilè nostræ resistit voluntati. Ex quo intelligimus; valdè addictos suæ *voluntati*, facilè irasci. Hæc igitur propensio ad suum sequendum palatum, est praua interna dispositio, quæ iram gignit in impedientem. Sicut Domini facilè indignantur contra seruos; & superiores contra subditos: nisi citò faciant imperata: & subditi ac famuli contra suos Dominos, & superiores: nisi concedant, quod petunt. & alij contra alios, à quibus sua desideria, & conatus vident impediri.

ET EO VSQVE hæc inordinatio peruenit, vt (quemadmodum S. Bonauentura notat) huiusmodi homines voluntati suæ addicti, etiam contra ipsas *bestias* & res inanimatas irascantur, cùm palato suo non arrident: contra equū, quòd malè incedat; contra canem, quòd latret; contra calamum, quod non det atramentum: ex quo oritur, vt frangatur aut maledicatur, & charta impetu quodam laceretur. Quemadmodum Ionas b *iratus est contra hederam quæ faciebat ei vmbram, & exaruit*. Hinc prouenit, vt ait S. Dorothæus, quòd infirmi, & valetudinarij, & tentati, aut qui in spiritu sunt desolati, faciliores sint, vt irascantur; quia morbus & desolatio in causa esse solet, cur ipsi magis attendant, vt palato suo indulgeant. & tristitia, qua laborant, causa est, vt magis affligantur & irascantur quacunque re illis denegata.

IVXTA hæc prædicta, si cupis ab ipsa radice iram tuam curare, necesse est, *propriam* odisse *voluntatem*; & optare, occurrere occasiones, in qui-

bus

bus illam abnegas: persuadens tibi, omnes homines & omnes creaturas esse De rinstrumenta ad illam mortificandam: eò quòd ipsa in proprium suum Creatorem rebellauerit. Sed, quàm magnum est quod patienter feras eam tibi frangi, cùm redemptor tuus stupenda patientia tulerit, frangi suã, vt tuæ incõmodis mederetur? de eo enim dicitur, quòd c *lignum fumigans non extinxerit*: sed tulerit fœtorem illũ, non nocens excitanti. Stude igitur, teipsũ præuenire ad iniurias ferendas, dicens cum ipso Christo Saluatore nostro: d *non mea voluntas sed tua fiat*: &, quando aderunt: quia propriam voluntatẽ inuenient iam victam & resignatam: non illam ad iram prouocabunt.

Propria voluntas expugnanda.

c Isa. 42. 3

d Luc. 22. 42.

Secvnda causa exterior iræ est, quòd quis *contemnatur*, aut despiciatur, quocunque modo id fiat, opere, verbo, aut signis; aut non exhibito honore debito, aut quem ille cupit; aut si de ipsius malis & incommodis alius lætetur; aut tristetur de bonis; aut ipsius, eiusue rerum obliuiscatur: nam hæc omnia indicia sunt, quod parui ipse fiat. Ac propterea magni amantes honoris & gloriæ, valdè sunt faciles ad iram; & inordinatus ad inanem hanc æstimationem amor, est praua alia interior dispositio, quæ iram gignit: quãobrem qui in statu suo eminent, facilius & vehementius irascuntur: quia magis sentiunt contemptum. Quemadmodum Amam ille vehementissimè indignatus est in Mardochæum: e *eò quòd non flecteret ipsi genua*: & Nabuchodonosor: f *repletus est furore in tres pueros, eò quòd nollent ipsius statuam adorare.* Et omnes superbi irascuntur cùm aliquis eis contradicit, aut eorum opiniones parui facit. Et vniuersim quæuis inordinata affectio, & propensio ad personas, aut res alias huius vitæ, occasionem præbet iræ in iniuriantem. quia iniuriam illam, nostram reputamus: & qui rem nobis charam ac dilectam tangit, iudicatur oculi nostri pupillam tangere.

2.
S. Tho. supra a. 2. ad. 3 Contemptus iram prouocat.

e Esth. 3. 5.

f Dan. 3. 19.

Qvamobrem secundum iræ remedium est, inordinatum *honoris* desiderium reprimere: despectum amplectendo, & amando *humilitatem*: quæ fidelissima est comes *mansuetudinis*, ad quam pertinet iram reprimere. Ideoque Christus Dominus noster vtramque coniunxit, cùm dixit g *discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: & quando h *decem* Apostoli *indignati* sunt contra duos fratres, qui tentabant reliquos præcedere: eos repressit exemplo suæ humilitatis, dicens: *se venisse ministrare*, tanquam omnium minimus. Et S. Iob inter alias suas virtutes, & illam ponit. quod i *despectio propinquorum non terruerit ipsum: nec egressus fuerit ostium* linguæ suæ, vt vel verbo illos reprimeret: nam (vt S. Gregorius aduertit) qui non horret despici, eum impatientia non vincit, vt foras per linguam eijciat. Quod si velis, inquit, non vinci, præcogita omnia aduersa & ignominiosa, quæ totius diei decursu possunt occurrere, & præpara te ad illas animo patiente ferendas: quia iacula præuisa minus feriunt. Memento etiam: quoties tu Deo iniuriam

Elationem comprime.

g Matt. 11. 29.

h Matt. 20. 28.

i Iob. 31. 34. lib. 22. Mor 14.

Lib. 5. Mor cap. 31.

1.
Præparare.

2.

Iniuriam Christi recole.

intuleris, ac propterea eius iram in te promeritus. Cum igitur ille patienter te sustinuerit, non magnum est, si tu iniurias feras ab hominibus illatas, saltem ne tibi dicat: k *serue nequã, omne debitum dimisi tibi, quoniã rogasti me: nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.* Quod si agnoscas, te ob tua peccata promereri, vt omnes te despiciant, & cõtemnant: non est cur indigneris: nam, vt ait Philosophus, nemo irascitur qui aduertit, se meritò despici. Et, nisi aliqua circumstantia appareat alicuius veræ iniuriæ, non inuenit motiuum indignationis in alterum. Ac propterea S. Dorothæus dicebat esse vnicum contra impatientiam remedium, *sese in omnibus accusare*, iudicans, se reum, & qualibet pœna dignum: dicens, cum Dauide: l *propter iniquitatem corripuisti hominem*; m *priusquam humiliarer ego deliqui.* Et quemadmodum bonus ille latro dixit: n *digna factis recipimus.*

k Mat. 18. 32

3. *Peccata attende. Vide S. Tho. 2. 2. q. 47. a. 2. Serm. 8. Accusa te ipsum.*

l Psa. 38. 12.
m Psa. 118. 67
n Luc. 23. 41

Hvic considerationi aliam licet adiungere, *bonorum*, quæ tibi comparas per tolerantiam. Propterea enim has iræ occasiones DEVS permittit, vt eas in patientiæ exercitium conuertas, & crescas in sanctitate. Nam, quemadmodum *pila* vento plena, cùm ad terram proijcitur, saltat sursum: ita iustus, cùm humiliatur, & laboribus percutitur, crescit & ascendit in virtutibus: quia plenus est *Spiritus S. vento*, qui illum à terrenis ad cœlestia impellit. At impatiens, est instar *pilæ lanæ, aut stupæ* turgidæ, & mollis: quæ, dum in terram iacitur, ibi manet: quia iniuria facit illum terrenum, & in causa est cur impatienter eam ferens, animum abijciat.

4. *S. Dorot. ser. 7. fructum considera. Emblema de follibus: concussus surgo.*

§. II. *Aliqua practica remedia.*

SED quoniam solæ considerationes non sufficiunt ad iram vincendam: necesse est manum admouere ad opus, vt illa mortificetur: dando operam, vt propensionem tuam naturalem benè cognoscas. Quod si deprehenderis valde *cholericum*, & iracundum: cogita, esse Satanæ equum ad te aggrediendum: ac propterea eneruandus est, & nerui, quibus ille innititur abscindendi, propensiones ipsas benè mortificando, & feroces impetus reprimendo. ET TVNC, vt sanctus Augustinus ait, suspectam habe quamlibet iram, etiam iustitiæ & zeli pallio tectam: nam facilius est, eam non admittere; quàm post admissam non ruere in præcipitium. Et præstat omninò in nullum irasci, etiam iustè: quàm irascendo iustè, incidere in extremum odij. Et quandoquidem bona ira facilè mutatur in prauam: securius multò est, recedere à bona, cum aliquod est periculum, rationis limites in ea transgrediendi.

1. *Naturam considera.*

2. *In Psal. 149. Omnis ira suspecta.*

DA etiam operam, vt ait sanctus Dorothæus, statim initio extinguere iræ motus: extinguendo scilicet illam *scintillam*, quæ cor inuadit, quando audis iniuriam, nam vt Sapiens ait: a *scintilla vna augetur ignis*, qui difficilè

3. *Serm. 8.*

a Eccl. 11. 34

extin-

extinguitur, postquam cœperit incrementum: cui tamen initio facilè occurritur, si cogitationes ad res alias bonas conuertas; vt indignationis esca subtrahatur. Nam, vt Salomon dicit: b *cùm defecerint ligna, extinguitur ignis.* Etiam necesse est os claudere tempore iræ: ne quid loquaris: idque non in contemptũ inferentis ininriã, quasi nihili illum faciendo: hoc enim esset magis illũ irritare, vt ait Sanctus Thomas: sed cũ interna & externa humilitate. Quemadmodum Dauid dicebat: c *obmutui & humiliatus sum*, cùm aliquid iræ in me sensi. Nam quemadmodum fumus extinguitur, si non habet flamma respirationem: ira ira facilè euanescit, nisi per os erumpat. Et ideò idem Psalmista dixit: d *turbatus sum, & non sum locutus.* Sed & in hoc magna cautela opus est: nam (vt Sanctus Gregorius aduertit) sæpe euenit, vt inclusa ira silentio accendatur vehementius in corde: quemadmodum olla plena aqua, & ad ignem applicata: si cooperta sit, maiori vehementia feruet, soletque etiam crepare, & propterea Salomon dixit: m *præstolatio impiorum furor*, id est, huiusmodi iram retentam interdum conuerti in furorem. Et ipse Dauid, qui dicebat, se, iniuria accepta, obmutuisse, addit: n *& dolor meus renouatus est*: quia intra se loquebatur multum; meditabatur enim suas calamitates, & in ipsa meditatione accensum est cor; & prope fuit, vt ira ignis erumperet. Et sæpe (ait idem S. Gregorius) qui primos iræ impetus tacendo repressit: si postea huiusmodi cogitationibus det locum, ab eadem vincitur, dolens, quòd tacuerit, & non se vindicauerit: ac propterea statuit vlcisci. Et huiusmodi similis est ei, qui rediens *victor* ex Castris: postea in ciuitate vincitur ex incuria; & ei, qui grauem morbum *lethalem* euasit; & postea leuis frigidus ventus eum occidit: quamobrem ad iram perfectè vincendam, ne sis contentus oris tantum silentio, sed etiam curandum est silentium cordis: non disputando, aut decertando cum cogitationibus iniuriarum; sed, quantum fas erit, earum obliuiscendo.

Sed quoniam hoc silentium est valdè difficile: facilius reddetur, si ei addatur oratio & colloquia interna cum Deo: sicut fecit ipse Dauid, cùm aduertit periculum interni sui silentij propter pugnam interiorem, quam experiebatur. o Tunc ait, *locutus sum in lingua mea, notum fac mihi* Domine *finem meum*: *& numerum annorum meorum: vt sciam quid desit mihi.* Nam si luce tua illustratus agnouero hunc annorum meorum numerum exiguum esse; facilius me exstimulabo ad ferendas omnes iniurias, ecce, tota *substantia me*, & quidquid habeo *tanquam nihilum est ante te. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, & in imagine pertransit homo*: cur ergò conqueror? cur indignor? & in alio Psalmo ait: p *turbatus sum, & non sum locutus*, cui silentio vt

Principiis obsta.

b *Pro. 26. 20*

4.

S. Bonau. de inform. mẽtis p. 2. c. 11. 2. q. 47. a. 1. ad. 3.

c *Psal 38. 2. Linguam refrana.*

d *Psal. 76. v. 5. Lib. 5. Mor. cap. 10.*

m *Pro 11 23.*

n *Psal 37. 3.*

Tertia pars pastor. admonit. 10.

Etiam cor sileat.

5.

Meditatio æternitatis.

o *Psal. 335.*

p *Psal. 76. 5.*

bonum comitem adderem, meamque turbationem moderarer. *cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*: qui enim res huiusmodi memoria sua recolit, facilè cohibet iram interiorem; seruatque sine periculo silentium
q *Psal.38.7* exteriùs, agnoscens, quod q *frustra conturbetur omnis homo*, & indignatur ex leui huiusmodi causa. Siquidem omne huius vitæ malum, & calamitas est tãquam quoddam *momentum*, si cum alterius vitæ malo, quod *æternum* est conferatur.

6. *Confide in Deo, qui permisit, ipse tollet.*

DENIQVE in huiusmodi congressibus quietem & victoriam obtinebis, si *fiduciam* tuam in diuina prouidentia collocaueris: (cuius ordinatione, aut permissione labor euenit, & iniuria) auertendo interim oculos ab ipso iniuriante; & leuando illos, quemadmodum faciebat Dauid, ad ipsum Dominum, qui eam potestatem iustissimè illi fecit, quemadmodum supra ostendimus.

Hæ summatim sunt tentationes communiores, quæ omnes status aggrediuntur: Sed quoniam quisque status proprias aliquas habet, illæ in sequentibus Tractatibus & proprijs locis inferentur.

TRACTATVS TERTIVS,

DE PERFECTIONE REIPVB. CIRCA COMMVNEM AGENDI MODVM INTER MAIORES, ET MINORES, ET ÆQVALES: AC in gubernatione Familiarum.

CAPVT I.

REIPVB. PERFECTIONEM ET FELICITATEM duabus inniti columnis; VERITATI ET VIRTVTI.

QVONIAM Respublica vniuersim est congregatio quædam multorum hominum, qui eisdem legibus diriguntur & gubernantur: perfectionem suam & fœlicitatē fundatam habet super insignes duas columnas, siue bases, quas VERITATEM & VIRTVTEM appellare possumus. *Veritas* intellectum nostum illustrat; complectiturque res omnes, quas ad vltimum ac supremum finem nostrū consequendum scire tenemur. Sunt autem huiusmodi veritates *duplices*: quædā *naturales*, rationis lumini conformes, quas Dauid a *lumen vultus Domini* appellat: quæ nobis manifestant *bonum* faciendum, & *malum* fugiendum. Ex quo *duplici* capite, teste S. Thoma, procedunt omnia *legis naturalis* præcepta, quæ omnes homines obligant & obstringunt, aliæ sunt veritates *supernaturales* à Deo D. N. reuelatæ ad manifestanda mysteria credenda; & opera facienda cum ea *excellentia*, quam *lex euangelica* in specialibus suis præceptis & consilijs edocet. Hæc veritas est *columna prima*, cui Reip. & omnium eius partium perfectio innititur. Super eam construitur *rectitudo* legum humanarum, verborum nostrorum *candor*; promissionum *fides*; commerciorum mutuorum *synceritas*; mutua hominum inter se *amicitia*, & societas, & qua ab omnibus colendus est Deus, *Religio artes* omnes ac *scientiæ*; *vita* denique *contemplatiua* in omnibus suis operibus: cuius *scopus* est *suprema veritas*, hoc est ipsemet Deus; & reliquæ veritates, quas suis interdum b *amicis* solet *notas facere*.

SED quoniam ad salutem & perfectionem nostram nō sufficit cognitio veritatis, necessaria est altera columna VIRTVTIS: quæ nos ad operanda,

Duæ columnæ Reipubl.

1. *Veritas naturalis.*

a *Psal.* 4. 7.

1. 2. q. 91. a. 2. & q. 94. a. 2.

Supernaturalis.

b *Ioan.* 15, 15

2 2. q. 180 a. 4.

3. *Polit. c. 6.*

quæ

2. *Virtus Naturalis in humana.*

quæ nouimus impellit; Et (Aristotele teste) *finis* est Rerum pub. ac ciuitatum in quibus conueniunt multi; non solùm vt nataralem vitam *quietè*, sed etiam *studiosè* ducant; studentes scilicet supremo huius vitæ bono, quod est ipsa *virtus*; quæ *duo* complectitur genera *Habituum*. quosdã, qui *rationis* dictamen sequũtur: & hi spectant ad Rempub. quà *humana* est: alios excellentiores, & supernaturales, qui ductum, & lumen *fidei*, sanctiq; Spiritus motionẽ, & impulsum sequuntur: & hi sunt finis Reip. quà est *Christiana*. sunt-que adeò præclari & excellentes, vt Sapiens, loquens de *temperantia, prudẽtia, iustitia, & fortitudine* à diuina prouidentia prouenientibus, addat: c *quibus vtilius nihil est in vita hominibus*, eò quòd innumeri sint, & præstantissimi fauores, & præmia in hac & futura vita promissa, eas exercentibus: vt omnes Ecclesiæ & Reip. Christianæ ciues animentur, ad vitam super vtramque hanc columnam firmiter ac solidè fundãdam. Quia *virtus* non inuenitur sine veritate: & *veritas* semper suspirat, vt sociam habeat virtutẽ: cũ vtraque autẽ obtinebitur *perfectio* & *felicitas*, quam possunt homines desiderare.

Supernaturalis in Republ. Christiana.

c *Sap. 8. 7.*

Virtus & Veritas socie.

HORVM omnium stupendam quandam figuram licebit videre in celeberrimis illis duabus d *columnis æreis*, quas statuit Rex Salomon *in porticu templi*; *vnam ad dextram, quam vocauit* IOACHIN, quod firmitatem significat: *alteram etiam erexit columnam* e *ad lævam & vocauit nomen eius* Booz, quod significat fortitudinem: vtraque autem f *columna erat decem & octo cubitorum altitudinis*, f *porrò grossitudo eius quatuor digitorum & intrinsecus cava erat*: *& capitella super vtramque ærea*; d *in modum lilii posuit*. d *Linea quoque sive* f *funiculus* d *in modum retis sive catenarum duodecim cubitorum ambiebat septies columnam* versus summitatem: d *malogranata autem ducenta in duobus ordinibus*, e *centum quidem catenulis sive reti interposita: alia verò centum* exterius f *dependentia*. d *Quæ omnia erant fusilia ex ære*. Hæ duæ columnæ in morali sensu significant *veritatem & virtutem*: quæ templum Ecclesiæ pulcherrimè exornant, & Rempublicam Christianam cum magna stabilitate & fortitudine sustinent: nihil enim in mundo est sublimius, elegantius, nec firmius aut fortius, quàm illæ sint. VERITAS FIDEI adeò altè ascendit vt ad ipsius Trini & vnius Dei summum pertingat; & suprema mysteria, altissimaque Perfectionis dictamina, quæ excogitari possint, manifestet. VIRTVS etiam Christiana adeò est excelsa, vt ad vnitionem cum ipsomet Deo perueniat, transformans humanum spiritum in diuinum cum magna inter vtrumque similitudine. g VERITAS (vt dicitur in tertio libro Esdræ) *magna est, & fortior præ omnibus*. contra quam neque vinum, neque Rex, neque mulier, nec res vlla creata præualere potest: quia VERITAS *manet, & inualescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum*. Et veritas nostræ *fidei* est adeò firma columna, h vt

Duæ columnæ templi.

g 3. *Esd. 4. 36.*

h *Mat. 16. 18*

per-

portæ inferi licet possint eam oppugnare, *non* tamen *prævalere aduersus eam*; quia eius soliditas in Christo est inuicta, & Virtvs Christiana adeò est fortis columna: vt nullæ i *tribulationes, angustiæ, aut persecutiones* mundi huius aut carnis possint eam labefactare, aut destruere, eò quòd innitatur diuinæ potentiæ, eiusque gratiæ efficacitati. Quod verò *columnæ* illæ *intrinsecus erant cauæ*, seu vacuæ, hoc insinuat, quòd intellectus & voluntas, in quibus veritas & virtus collocantur, sint ex se ipsis res cauæ, & absque firmitate & fortitudine aliqua. Quid enim mutabilius ac inanius *intellectu* humano, si *Fide* careat? & quid inconstantius ac fragilius *voluntate*, *virtute* spoliata? Sed hoc ipsum tamen iuuat, vt veritas & virtus sint in homine *iusto* firmiores. Nam agnoscens ille vacuitatem suam, & nihilum suum: non sibi sed Deo fidit, à quo & stabilitas & fortitudo illi proueniet. Iuxta illud quod ipse Dominvs per os Dauidis dixit, k *liquefacta est terra*, & in nihilum quasi redacta: sed *ego confirmaui columnas eius*: nam in humilibus animabus valdè profundas radices iaciunt, Veritas & Virtvs. Latet etiam mysterium in eo quod *columnæ essent duodecim cubitorum latæ*, *linea siue funiculo* mensuratæ: *grossitudo verò esset quatuor digitorum*: significat enim (vt ait Beda) quòd doctrina vitaque exemplaris *duodecim* Apostolorum, in *quatuor* euangelijs nobis proposita, sit amussis & *regula*, qua nostram debeamus mensurare; & cui debeat nostra firmitas inniti. quod etiam Apostolus ipse significauit, dicens nos *superædificatos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, & vnitos *summo angulari lapidi Christo* Iesv.

Sed quid de *capitellis* dicemus, quæ sunt suprema columnæ pars? Veritas enim & Virtvs capitella sua habent stupendæ pulchritudinis & excellentiæ: quorum *acroteria* sunt *lilia* cum multis *malogranatis reti* insertis, aut ex ea pendentibus. vt intelligamus, tunc veritatem & virtutem prodere pulchritudinem & felicitatem suam, & bonorum, quæ in se continent, sublimitatem: cùm crescentes ad suum perueniunt fastigium. Veritas est instar *retis* multis mysterijs varijsque præceptis & consilijs. quæ proponit, contextum: Virtvs est instar *catenæ* seu torquis multarum ansularum, habituum scilicet studiosorum sibimet per prudentiam & charitatē innexorū. Et vtraq; ambit *septies* columnam versus capitellū: vt significetur firmitas, qua Iustī catenā veritatū, & virtutum complectūtur, m *eūles* & proficientes *de virtute in virtutē*, & de veritate in veritatē: quamobrē semper impellunt & extimulant ad opera valdè gloriosa: tū *interiora*, quæ significantur per centum malogranata, ipsi reti inserta: tum etiam *exteriora* quæ indicantur per alia centum, exteriùs pendentia. Dicuntur autem *centum*, (qui numerus est perfectionis) ad ostendendam omnium horum o-

perum

i *Rom. 8. 35.*

Potentiæ nostræ ex se vacuæ in Deo firmæ.

k *Ps. 74. 4. 12. Apostoli. Lib. de tèplo c. 18.*

4. *Euangelistæ.*

l *Eph. 2. 20.*

Veritatis & virtutis profectus.

m *Ps. 83. 8.*

perum multitudinem & præstantiam, quia in singulis inueniuntur multa virtutum exercitia, sicut in malo granato plurima continentur grana. Nam in vnico actu *eleemosynæ*, si bene fiat, inuenitur *Fides*, quæ illam dirigit; *Charitas*, quæ illam imperat; *Misericordia*, quæ executioni mandat; *Obedientia*, quæ illam comitatur; *Mortificatio*, quæ obicem remouet; & *Spes* quæ illam reddit facilem & iucundam.

Eleemosynæ virtus ei.

Præmia iustorum.

VENIAMVS nunc ad *lilia*, quæ sunt capitellorum extrema, & Symbola præstantissimorum præmiorum & coronarum, quas largitur Deus amplectentibus *veritatem* & *virtutem*, cum prædicta perfectione, firmitate & constantia. Lilium est n *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*: o *gaudium in spiritu sancto*: & p *gloria* ac lætitia ex *testimonio* bonæ *conscientiæ*; est q *victoria* quam *dat nobis Deus* de nostris inimicis; est r *libertas spiritus* cordis latitudo supra omnia creata, contemplatio summi boni, & cum eodem coniunctio peramorem arctissimum: super omnia tamen *lilium*, quod has columnas coronat, est ipsemet Deus, qui seipsum dignatus est s *lilium* appellare ob infinitam suam pulchritudinem & excellentiam: cuius *aspectus* & possessio sufficit ad beatificandos omnes, ipsum aspicientes: cuius *odore* confortantur quicunque spem habent eum videndi ac possidendi; & quicunque pignus habet id consequendi: statim ei pars aliqua incipit fœlicis suæ sortis. Denique etiam est fragrans lilium, præmium ipsum *temporale*, quod illis t *adiicitur*, tot diuitiarum, & honorum, quot illis expedit habere, ad hanc vitam ita ducendam, vt æternam consequantur.

n *Ad Phil.* 4.7
o *Ad Rom.* 14.17.
p 2. *Co.* 1.12.
q 1. *Co.* 15.57
r 1. *Cor.* 3.17.
s *Can.* 2.1.
t *Mat.* 6.33.

3.

SED quis ad eam peruenire poterit celsitatem? quis præstantem adeò fabricam in templo animæ suæ delineare possit? non enim sine magna aliqua causa hæ columnæ, & earum capitella, lilia ipsa & malogranata omnia erant ex *ære* fusili, & in protoplastice fusa: nam quemadmodum *ignis* ipsum æs liquefacit; *protoplastice* verò siue matrix ei dat figuram; & qualis ipsa matrix est, tale prodit, quod in eam infunditur: ita proprium est *spiritus sancti*, diuini sui amoris igne durum cor nostrum emollire: ac liquefacere: vt in rebus omnibus aptet sese protoplasticæ suæ, qui est ipse Christus D. infinitæ perfectionis colũna: à qua omnes Iusti figurã suã accipiũt: illi præcipuè quos Apostolus, u *Ecclesiæ columnas* appellat. Ipse est *exemplar veritatũ* & *virtutum* omniũ, quæ sunt cordib. nostris imprimenda: quæ eò perfectiores erũt, quò ipsi fuerint magis cõformes: idẽ quoq; est protoplastice insigniorũ *operũ* quæ Iusti instar malogranatorũ producunt: quę opera eò excellentiora erunt: quo magis illa imitabuntur, quæ ipse ad nostrum exemplum edidit. Imò & ipsorum liliorum, & *præmiorum*, electis ipsis reddendorum, est etiam protoplastice: quemadmodũ enim illum in vita sequi & imitari debent: ita eidem erũt similes in gloria. quia ipse x *reformabit corpus*

Spiritus S. ignis.
Christus D. protoplastice iustorum.

u *Gal.* 2.9.

x *Phi.* 3.21.

hoc

hoc mortale *humilitatis nostræ, vt configuretur corpori claritatis suæ.*

DENIQVE cùm Respublica Christiana vitæ ac doctrinæ huius Domini erit conformis: tunc omnem suam perfectionem & fœlicitatẽ habebit. ac proinde illustria illa cognomina ei cõpetent, quæ Isaias Propheta illi imposuit dicens: y *vocaberis ciuitas Iusti, vrbs fidelis*, in qua scil. *Iustus* Iustorũ per fidem, & charitatem habitet: & in qua virtus splendeat, veritas, Iustitia, & sanctitas cum abundantia pacis. Eris quoque vrbs *fidelis*: ostendens fidelitatem tuam in *credendis* omnibus, quæ Deus reuelat; & in *custodiendis* legibus ab ipso præscriptis: & in *sperandis* promissis ab ipso factis. Et ipse Deus in eis *adimplendis* erit fidelissimus: z *etenim benedictionem dabit* supremus hic *legislator*, vt *ire* possis de veritate in veritatẽ; ac *de virtute in virtutem*: *donec videas Deum Deorum in Sion*. vbi vocaberis z *ciuitas Dei viuentis*, *Hierusalem cœlestis*, cuius ciues sunt *multa millia Angelorum*: eris que eiusdem gloriæ particeps in æternum, Amen.

4. *Ciuitas Iusti & fidelis* y *Isa. 1. 26.*

z *Ps. 83. 8.*

z *Heb. 12. 22*

CAPVT II.

MAIORES, MINORES, ET AEQVALES DEBERE suis obligationibus satisfacere & cum Christiana charitate, & humanitate mutuò inter se agere.

VNAQVÆQVE RESPVBLICA, siue sæcularis illa siue Ecclesiastica, siue Religiosa in omnibus suis communitatibus & Familijs *tres* gradus complectitur personarum, quas licet *Maiores, Minores, & Æquales* appellare. Per *Maiores* in sæculari Repub. (de qua nunc, eò quod prima sit, nominatim agemus) intelligimus Reges, Principes, Gubernatores, Iudices, omnesq; priuatos Dominos & Patresfamilias: *Minores* appellãtur subditi, famuli, mercenarij; filij quoq; respectu parentũ; & vxores respectu suorũ virorũ. *Æquales* sunt reliqui ciues, amici, fratres; & ipsi Domini inter se, & famuli similiter. Et quemadmodum sanitas & pulchritudo corporis in eo sita est, quod eius oẽs partes sanæ sint & perfectæ: ita Reip. & familiæ cuiusuis perfectio in eo consistit, vt omnes illi sint perfecti: Superiores in gradu suo, & subditi, & Æquales in suo. Quod *quatuor* hisce rebus præcipuè poterunt obtinere.

Tres gradus Reipublicæ.

Quatuor ad perfectionẽ horum requisita.

PRIMO, si quisque sit eo statu, officio, & gradu *contentus*, qui à diuinæ prouidentiæ consilio illis obtigit. eũ in modũ, qui Tractatus primi, capite septimo est indicatus. Secundò, si inter se ipsos vero *amore* & conformitate vniãtur. Nam (teste S. Augustino) ciuitas est coniunctio quædam multo-

1. *Vocatione suæ contentus sit. Li. 15. de ciuit. c. 8.*

2. *Amor mutuus.*

a *Luc.11.17.*

3. *Singula bene agere.*

4. *Affabilitas mutua.*

2.

b *Col.3.14. Ca.4.de diuinis nominibus. Charitas. Ser.3.de Aduentu & l.3. de consid. Serm.23.in cant. Oratio.*

c *Rom.13.7.*

d *Mat.7.12 Quod tibi vis fieri fac*

3. 2.2.q.114. a.1.

rum hominum, vinculo bonæ & honestæ alicuius amicitiæ ligatorum. Quo vinculo deficiente, mox ipsa periret. nam (vt ipse Saluator dixit) a *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur.*

TERTIO, si omnes studeant muneris sui partes obligationesque exactè cognoscere; & easdem pro viribus explere, *describentes* (vt Salomon ait) *in tabulis cordis sui* (memoria scil. intellectu & voluntate) leges diuinas, & humanas, & proprias cuiusque status & officij, quæ ad ipsos pertinent; ne eas ob ignorantiam, obliuionem, tædium, aut contemptũ custodire prætermittant: neq; obiter & quasi rem non magni momenti obseruent; sed cũ omni ea excellentia & perfectione, quam virtutes ipsæ requirunt, quarũ actiones in ipsis legibus indicantur; & præcipiuntur. Sed *quartum* etiam addere oportet, quod est quasi perfectionis signaculum: vt scil. inter se mutuò cum omni humanitate & affabilitate agant & conuersentur: exhibentes sibi mutuò opera bona, non solùm in rebus obligationis & iustitiæ; sed in aliis quoque insignis liberalitatis & misericordiæ. PERFECTAE siquidem virtutes ad hæc nos trahunt & impellunt: nominatim verò ipsa charitas quæ est omnium Regina, & lex viua animæ impressa, & b *vinculum* totius *perfectionis*, cui præcipuè incumbit cura trium graduum personarum prædictarum. Amor enim (teste S. Dionysio) efficit Iustos *extra se* ipsos exire, & aliorũ commodis studere: obediendo maioribus, gubernando minores, & benè agendo cùm æqualibus. Charitas etiam ipsam *iustitiam* permouet: cuius munus est vnicuique dare quod suum est: vt (quemadmodum S. Bernardus ait) debitum suum reddat superioribus, subditis, & reliquis socijs. Et quoniam nullus per se ipsum solum nouit ac potest hæc præstare, vt oportet: etiam impellit ad *orationem* & contemplationem: qua impetrent & obtineat aditum ad tres illas Domini nostri cellas: (vt idem Sanctus refert) in quibus doceat nos rationem gubernandi, obediendi, & cum cæteris agendi: vt sic exequantur quod dixit Apostolus: c *reddite omnibus debita: cui vectigal, vectigal: cui tributũ, tributũ: cui honorẽ honorem: nemini quicquã debeatis: nisi vt mucem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit: nam omne mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio.* Hoc itaque docet Apostolus, quòd charitas nos impellat ad agendum cum nostris proximis, maioribus, minoribus, & æqualibus, d *sicut vellemus illos nobiscũ agere.* Admiranda enim prouidentia ita Deus D. N. disposuit, vt omnes hi tres gradus inueniantur in omnibus hominibus. erga diuersas personas: vt quisque aliũ *gubernet* sicut cuperet gubernari; & *obediat*, sicut vellet sibi obediri; ac ita cum alijs *agat*, sicut vellet secum agi.

AD Hoc ipsum plurimum adiuuatur ipsa charitas ab illa virtute mora-

li, quam

si,quam S. Thomas *affabilitatem* aut humanam *amicitiam* appellat,annexam virtuti *iustitiæ*: quam tamen ipsa *charitas* supernaturali *amicitia*, quam efficit euehit & exaltat:cuius officium & munus est inclinare & impellere nos ad agendum amicè cum omnibus, tanquam boni ciues.Nam (vt Aristoteles ait) distinctum quid esse bonum *hominem*, & esse bonum *ciuem*, ad *primum*. n. satis est tibi *soli* benè viuere: sed ad *secundum* necesse est, etiam nosse benè cum *aliis* agere, qui eiusdem sunt communitatis partes:ac propterea cuidam interroganti Philosophum,in qua re posset melius Reipub. suæ seruire,prudenter respondit;si studeas bonus esse ciuis.Sicut in nulla re possunt oculi & manus melius toti corpori seruire, quàm si oculorum & manuum officijs benè fungantur. Ex quo fiet, vt nemo boni Domini aut famuli;aut ciuis cognomen sortiatur, propterea quòd sit pius, & frequenter oret; si interim incurius sit in sua *gubernatione*, in *obsequio* quod debet;aut si *asperis* sit moribus, cum quo alij agere non possint:bonum enim ex eo oritur, quod quis habeat omnia, quæ iuxta suum statum meritò debet; malum autem, ex quolibet horum defectu. Quare huiusmodi hominib. dicere possemus quod Christus D. N. Pharisæis:c *hæc oportuit facere & illa non omittere*, hoc est, meritò facienda sunt vobis, quæ ad *proprium* pertinent profectum; sed illa non sunt prætermittenda, quæ status & officium vestrum in *aliorum* bonum requirunt,

3. *Poli. c. 1. Bonus homo sit & bonus ciuis.*

c *Mat. 23. 23*

Ex His concluditur:bonum ciuitatis & familiæ in eo præcipuè consistere,quòd superiores,& subditi,& inter se pares, omnes emineant in *Charitate* cum vtraque eius comite *Iustitia & Affabilitate*: ita vt omnibus verbis & operibus, singularum proprijs, verè adesse aduertantur. Earum igitur & verba & opera magis præcipua in huius Tractatus decursu tractabimus: accipientes tanquam exemplar imitandum quod Sacra Scriptura de venerabili Booz,eiusque familia refert. Qui non casu aliquo sortitus est hoc nomen,quod postea Salomon secundæ columnæ imposuit, quam collocauit in templo, vt proximo capite vidimus:eluxit enim cum magna fortitudine in illis virtutibus, quas columna illa referebat, quemadmodum apparebit in ijs,quæ de ipsis virtutibus paulatim dicemus.

4. *Charitas. Iustitia. Affabilitas.*

Ruth. 2. 4.

§. 1. *Salutationes & mores siue comitas in agendo.*

ADHIBEAMVS itaque exemplum præclarum in eo quod primum solet euenire in mutua hominum familiaritate,tractatione, in *salutatione*,inquam, & mutua comitate,cùm sibi occurrunt homines, aut inuicem visitant, vel excipiunt. In quibus salutationibus *iustitia* reddit reuerentiam, & honorem cuique debitum, *affabilitas* verò indicia præbet amoris, quo se inuicem prosequuntur.Inimici enim, etiamsi occurrant si-

Sathanas non salutauit Euam.

bi, non tamen se salutant, imitantes Patrem suum *Sathanam*, qui etsi finxisset se occurrere *Euæ* in paradiso: propter grauissimum tamen odium quo illam prosequebatur, nullam præmisit salutationem. Qui autem volunt esse affabiles & humani, incipiunt à salutatione, vt ostendit Booz, cùm ad suos peruenit messores: statim enim dixit a: *Dominus vobiscum: qui* etiam statim *responderunt ei: benedicat tibi Dominus.* Et ipse Booz prosecutus est sermones suos, *iustum* se & *affabilem* ostendens ad omnes; & nominatim erga *Ruth*, quamuis pauperem & aduenam. *Affabilitas* enim (teste Aristotele) extendit sese ad notos & ignotos; ad domesticos & extraneos: nec solùm pares debent sibi inuicem esse affabiles, sed etiam diuites erga pauperes; domini erga famulos, & Principes erga subditos, iuxta illud Sapientis: b *congregationi pauperum affabilem te facito.* c *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Vitanda sunt tamen extrema omnia vitiosa: nam (vt Sanctus Bernardus ad Eugenium Papam dixit) nimia *seueritas* facit odibilem; defectus autem *grauitatis* reddit contemptibilem; mediocritas verò, quam *affabilitas* adhibet, reddit amabilem. Quæ tamen affabilitas non solùm *politica* esse debet, sed *christiana* & perfecta: cuius prima verba & Salutationes redoleant sanctitatem, qualis fuit Booz & eius messorum: & quam ipsi Apostoli postea commendarunt, dicentes: d *salutate inuicem in osculo sancto*, & puro absque vllius leuitatis aut indecentiæ admixtione, sicut decet eos, qui sanctitatem profitentur. Et hac ratione (vt Sanctus Ambrosius aduertit (docebant formam & rationem salutandi, quæ in vsu esse deberet in Ecclesia. Non damno genus illud salutationum, quæ sunt ordinarie in vsu apud ciues & viros prudentes iuxta suæ Reip. consuetudinem, siquidem illæ sunt signa apta mutuæ humanitatis & affabilitatis: sed non possum tamen non laudare salutationum illarum perfectionem, in quibus Christiana pietas elucet, facta aliqua mentione DEI, aut *Christi D. N.* à quibus tota nostra salus procedit: decet enim Christianos & multò adhuc amplius Ecclesiasticos & Religiosos ostendere, se tales esse in primis suis verbis; & non vti salutationibus omninò profanis & sæcularibus, sed Christianis & religiosis: quibus spirituale aliquod donum proximo precantur à Deo; aut magno affectu illud eis desiderant. Et nonnunquam solet Deus D. N. hoc medio concedere tale bonum, quando in eo, cui illud imprecantur, dispositio est apta ad illud suscipiendum. Hanc ob causam Christus D. N. salutabat suos discipulos, dicens: e *pax vobis.* Et iubebat eos eisdem verbis salutare, dicentes: f *pax huic domui*: per pacem intelligens reconciliationem & amicitiam cum Deo, per eius gratiam, & vnionem & concordiam mutuam, quæ effectus est charitatis. Et vt intelligerent, ta-

lem

a *Ruth.* 2.4.

4. *Eth.* c. 6. *S. Tho.* 2. 2. q. 114. a. 1. ad 2.

Affabilitas

b *Eccl.* 4. 6.

c *ca.* 32. 1.

Li. 4. *de cõsid. propè fin.*

Sit Christiana.

d 1. *Pet.* 5. 14. 1. *Cor.* 16. 20 2. *Col.* 13. 12. *in* 2. *Cor.* 13.

Salutationis pia efficacia, in dispositis.

e *Ioan.* 20. 19. 26.

f *Mat.* 10. 12 *Luc.* 10. 6.

lem illorum salutationem non fore inanem, quasi verba in ventum proiecta; adiecit, eam pacem venturam in *filios pacis*, cupidos scilicet eius, & qui ad eam suscipiendam se disponerent. Et hoc ipsum eluxit in salutatione, qua sanctissima Virgo salutauit Elizabeth. Quamuis enim Euangelium non referat verba, quæ illa protulit, credendum est tamen eam fuisse vsam verbis Booz, quæ tunc temporis valdè erant in vsu apud viros iustos, imò & ipsos Angelos, vt constat ex ipso Angelo Gabriele, cùm ipsam Virginem sanctissimam salutauit. Quare verisimile est, sanctissimam Virginem sanctæ Elizabethæ dixisse: g *Dominus tecum*, & quasi ipsemet Christus in vtero virginis manens eisdem verbis per os maternum vsus fuisset, voluit ea facere vera adeò perfectè, vt inceperit per gratiam esse in infantulo Ioanne, in vtero Elizabethæ adhuc existente: adimplens vtrumque diuino suo spiritu. Cùm igitur DEI voluntatem & liberalitatem sciamus, magnæ perfectionis erit, huiusmodi salutationes adhibere non animo ficto, quemadmodũ Ioab salutans Amasa, dixit: h *Saluemi Frater*; Et Iudas proditor, osculans Christum, dixit: i *aue Rabbi*; nec ob meram consuetudinem, quasi verba proijciantur in ventum; sed intentione ac desiderio obtinendi à DEO, quod ipsa verba significant.

B. Virg. Salutatio vtilis.

g *Luc. 1. 28. 41.*
Iudic. 6. 12.

Sit viua & syncera salutatio.
h *2. Reg. 29. 9.*
i *Mat. 26. 49*

HINC intelligitur quòd quando Propheta k *Elisæus puerum* suum *Giezi*, & l *Christus Dominus noster suos discipulos* prohibuerunt, *neminem salutare in via*, nõ voluerunt actum hunc amicitiæ prohibere; sed potiùs ostendit eius *decentiam*, cùm illum (vt S. Ambrosius ait) in proximo loco post ipsam obedientiam collocauit. Atque si illis dixisset: adeò expeditos ac diligentes vos esse oportet in ijs, quæ iubeo, vt si vel ipsa transeuntium salutatio vos aliquo modo retardaret, deberetis à salutatione abstinere, etiamsi illa sit ex se adeò decens. Ac proinde non prohibet *studiosam* salutationem, quæ nunquam est impedimento; sed *inanem*, cui admiscentur colloquia impertinentia: Hæc enim facilè impedit ipsam obedientiam.

k *4. Reg. 4. 24.*
l *Luc. 10. 4.*

In Lucam. Saluatio proxima Obedientiæ.

SED vlterius decet progredi affabilitatem & amicitiam Christianam, vt amplectatur Saluatoris consilium, dicentis: non solùm fratres esse salutandos, sed etiam *inimicos* & ignotos. Nam, m *si salutauerit is* (inquit) *Fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Facu igitur quod illi non faciunt: vt videntes illi tuum exemplum, faciant quod non faciunt; & fiant ex inimicis amici: idem suasit Apostolus dicens: n *noli vinci à malo* & improbo, quasi odio te habentem oderis; *sed vince in bono malum*: aliquo scilicet beneficio improbum afficiendo, vt improbus esse desinat. In vitis Patrum legitur: imperfectum quendam S. Macharij discipulum, cùm occurreret gentili cuidam lignorum fasciculo onustum, asperè ac duriter dixisse: vnde venis diabole? gentilem verò ea asperitate indignatum grauiter

m *Mat. 5. 47*
Inimici salutandi.
n *Rom. 12. 21.*

Mansuetudo vicit gentilem.

monachum vulnerasse: sed paullò post occurrente eidem ipso S. Macario, eorum, quæ acciderant ignaro, amanterque & humaniter eidem dicente: salutet te DEVS, bone agricola: illum respondisse: quid in me vidisti, quod tam humaniter me salutes? Macario autē familiarius ad huc respondente: quia video te laborantem, & non otiantem; tunc gentilem humanitatem, & beneuolentiam eius admirantē, ad pedes Sancti procidisse, ac ab eo vt Christianum ipsum faceret petiuisse, qui postea etiam factus religiosus, sanctimoniæ laude claruit.

Prior salutet etiam minores.

o *Phil.2.*

p *Rom.12.10*

HINC est quod perfecta humilitas & charitas in huiusmodi occasionibus non satis sibi esse existimet, salutantes resalutare (id enim est tanquam debitum iustitiæ) sed præuenit *priorque* salutat, non solum maiores; (id enim iure quodam fieri debet, & qui contra facit, magnam ostendit rusticitatem) sed etiam sibi *pares*, imò & *minores*: id enim est *humilitatis*, imitatoribus Christi valdè conforme, de quibus dixit Apostolus, quodo *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrentur*, p *& honore inuicem se præueniant*, etiam in salutationibus consuetis: sicut fecit Booz cum suis messoribus, & Christus Dominus cum suis discipulis, & Virgo sanctissima cum sancta Elizabetha: vt maiorum humilitas (ait sanctus Ambrosius) minores doceret, eosdemque exaltaret, iuxta illud Ecclesiastici: q *quanto magnus es humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*; imò etiam coram hominibus, quorum voluntates, & propensiones ad te attrahes, si demisse eos honore præuenias. Ac propterea Christus Dominus noster suis Apostolis dixit: r *intrantes in domum, salutate eam*; omnes scilicet, qui in ea sunt, non solum superiores ac dominos, sed filios etiam & famulos, omnibus applaudendo & blandiendo: sic enim eos præparatis ac disponitis, vt vos audiant, seque affabiles vobis ostendant: eum in modum, quo messores Booz audientes adeò benignam Domini sui salutationem, ex ea didicerunt, quid facere deberent: & cùm viderent, se non posse adeò propensæ eius voluntati par aliquid referre, recurreruntad vniuersalem pauperum patronum, dicentes: *Benedicat tibi Dominus.* Quasi dixerint: Dominus Deus Israel te benedictionibus repleat, ob istum amorem, quem erga nos ostendis; & honorem, quo nos afficis.

S. Ambr. & Beda in Lucam.

q *Eccl.3.20*

r *Mat.10.12*

Salutatio subditos conciliat.

CAPVT

CAPVT III.

REVERENTIA ET OBEDIENTIA SVBDITORVM ac domesticorum ad Superiores ac Dominos suos: & quàm exactam Apostolus eis commendet.

IVRE optimo ait S. Ambrosius, quod quemadmodum humani corporis membra ita proprijs funguntur officijs, vt nullum sibi vsurpet, quod ad alterum pertinet: nam oculi ita ad videndum sunt intenti, vt non se ad audiendum ingerant; & aures ad audiendum solùm, non ad videndum attendant ita in Republica & familia debet quisq; ita rebus status & officij sui attendere, vt non se immisceat in ea, quæ ad ipsum non spectant, cum aliqua iniuria aut turbatione reliquorum, quorum officia vsurparet, eum in modum quo a *Aaron* ex Dei præscripto officia *tabernaculi & onera, quæ portare deberent Leuitæ, distribuebat.* & vnusquisq; ita portabat, quod ad se pertinebat, vt non se immisceret ad aliquid portandum, quod pertineret ad alios: *vnumquemque autem recensuit Moyses iuxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Deus.* Quare contra Dei ordinē & voluntatem faci., si Reipublicæ ordinem perturbes, siue *negligendo*, quod spectat ad tuum officium; siue *immiscendo* te in alienū. Satis tibi sit, quod Christus D. N. dixit; b *vt tollas crucem tuam*, non te immiscendo indiscretè ad tollendam alienam. Satis enim feceris, si oneris tibi impositi bonā reddideris rationē: nā (vt ait Apostolus) c *vnusquisque onus suum portabit*, quod nisi rectè faciat, punietur: *Dominus* rationem reddet gubernationis, quæ ad ipsum pertinet; *famulus* suæ obedientiæ, quia hæc ad illos spectant: eorumq; perfectio in eo consistit, vt id, & eo modo præstent, quo debent. Quam perfectionē declarauit Apostolus ita loquens cum seruis: d *serui obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino: e siue seruus, siue liber: qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deū.* Hæc est altissimæ perfectionis regula, quam tradit Apostolus omnibus subditis erga suos Dominos seruandam: in qua *octo* indicat excellentias, obedientiam, vt ex omni parte sit perfecta, comitantes.

PRIMA excellentia, cui reliquæ innituntur, est, vt suis Dominis non sicut hominibus seruiant, sed sicut DEO & Christo Domino nostro, à quo omnis dominatio & potestas, quæ inter homines est, procedit: cuius voluntas est, vt inferiores omnes Superioribus suis obediant, subditi Principibus, & serui suis Dominis. Et propterea dixit idem Apostolus, f

Lib. 3. offic. cap. 5.

Neglige aliena, cura tua.

a *Num. 4. 19. 49.*

b *Luc. 9. 23.*

c *Gal. 6. 5.*

d *Ephes. 6. 5.*

e *Colos. 3. 22. 25.*

Octo excellentia Obedientia.

I.

Deo obedisti.

omnem

f Rom.13. 1. Nobilis est Obedientia.

omnem potestatem (siue Ecclesiasticam siue sæcularem) *esse a Deo, omnia autem quæ sunt, a Deo esse ordinata. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistere, ac sibi ipsi damnationem acquirere.* Quod si subiectio quæcunque nobili adeò intentione extollatur, magnam induet Christiana nobilitatem, quia in temporali Domino agnoscit æternum. Et hoc nomine (vt ait S. Chrysostom.) non vilitas est, sed magna *nobilitas* seruire & obedire homini, siquidem in eo obeditur Deo, cui seruire est regnare.

Hom. 22. in ad Ephes.

2.

Ita S. Tho. super cap. 6. ad Ephes.

Reuerentia iungatur.

HINC oritur *secunda* conditio siue excellentia, quæ obedientiæ adiungit *timorem* ac *tremorem*, vt scilicet *reuerentia* sit interior & exterior: nam *exterior* pertinet ad humanam politiam; *interior* autem est propria Christianæ perfectionis, qua quis cum humilitate reueretur eum, quem DEVS loco suo constituit in terra. Et in hoc sensu dixit S. Petrus: g *serui subditi estote in omni timore Dominis*, quod (vt S. Thomas declarat) significat cum *timore* integro & perfecto; non seruili & coacto, sed spontaneo, filiali, & casto; manifestando illum in omnibus operibus & verbis ac reliquis moribus & actionibus receptis & visitatis; non vt ad oculum tantùm satisfiat; sed ex corde, & tanquam Christo, quem ipsi Domini repræsentant. Hoc modo Dauid reuerebatur Saulem, eò quòd esset Rex, & h *Christus Domini*: licèt enim ille in se improbus esset: Dauid tamen venerabatur in eo regiam dignitatẽ, quæ erat bona; & simul doluit ac *percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram Chlamydis Saul*, hoc exemplo nos instruens, non solùm ipsam personam superioris; sed quamcunq; eius rem debere cum magna reuerentia tractari; grauemque culpam iudicari quamcunque in eam admissam iniuriam aut indecentiam, etiamsi leuis aliàs videatur: præcipuè cùm (vt ait Apostolus) ita detur Dominis occasio impatientiæ aut etiam i *blasphemiæ*: bonus autem seruus remouere debet, quidquid suum Dominum offendere possit.

g 1 Pet. 2. 8 Reuerentia iungatur.

h 1 Reg. 24. 7.

Dauid Saulem reuerebatur.

i 1 Tim. 6. 1.

3. Simplicitas.

HVIC excellentiæ adiungitur *tertia*, quam Apostolus *simplicitatem cordis*, siue cor simplex appellat, cum quo vult Deus sibi seruiri; ac Dominis: Consistit autem hæc excellentia in eo, vt eis seruiatur intentione pura, & sincera, absque fictione, duplicitate aut fraude, cum fidelitate & veritate, ita vt bonus animus sit in corde, qui exterius apparet, & exterius ita bonum ostẽdatur, sicut habetur interius, vt verba operibus respondeant; & vtraque bonis affectibus internis.

4. Eadem absenti qua præsenti fidelitas seruetur.

ET propterea *quartam* addit conditionem, *non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes*: vt scilicet non solùm cùm ipsi Domini præsentes sunt, seruire & placere studeant, quod faciunt illi, qui tantum quærunt hominibus placere, à quibus temporale aliquod commodum quærunt, & expectant: sed vt soliciti sint ac fideles, tam in præsentia, quàm in absentia, & in omni loco: nam supremus omnium Dominus, qui vbique præsens est,

ita

ita fieri statuit,& ita vult; videtque quod fit: & complacet sibi, cùm iuxta suam voluntatem id fieri videt:ita enim S. Chrysostomus, si ea quæ iubentur cum pari animi tui voluptate præstes, cùm non videris ab hominibus: ostendis *quòd ea propter oculum Dei perpetuo vigilem cuncta videntem facias.* Quòd si attenti ac zelantis præfecti domus præsentia sufficiens est, vt reliqui domestici sint diligentes, etiam absente Domino, quanto magis ad id sufficere debet præsentia Domini cæli & terræ,qui valdè magno zelo vult, Dominis temporalibus exactam obedientiam præstari:alioquin eueniet eis quod Saluator noster in quadam parabola dixit:k *quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire,& cœperit percutere seruos,& ancillas; & edere,& bibere,& inebriari: veniet Dominus serui illius in die,qua non sperat,& hora qua ignorat:& diuidet eum,*l *partemq; eius ponet cum hypocritis,illic erit fletus & stridor dentium.* Aptè verò dixit quod ponet eum cum *hypocritis*: hypocrita enim est,fictusque seruus,qui præsente tantùm Domino illi seruit, non absente: ex hoc enim quod absenti Domino nõ seruiat,planè efficitur,quòd nec præsenti ex corde seruiat:sed ad oculum tantum, & pro forma, fingens tunc animum,quem reuera non habet.

Hom. 22. in Epi. ad Eph.

k *Luc.* 12. 45

l *Mat.* 24. 51

Hypocrita.

Hinc etiam *quinta* oritur conditio & excellentia, vt scilicet *ex animo & cum bona voluntate* obediatur, ita vt adsit hilaritas, promptitudo, ac celeritas,sicut solent homines res illas aggredi,quæ valde ipsos delectant:vt talis adsit Volvntas, quæ Bonæ cognomen mereatur: eò quòd innitatur puro Christi amori, propter quem cum magna sua voluptate operantur. Et de hac prompta voluntate ait S.Chrysostomus, *quod faciat ex necessitate virtutem*; ideoque in causa est, cur serui & famuli multum in suis obsequijs promereantur:non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Ac propterea adiecit Apostolus: *facientes voluntatem Dei.* Hoc est quidquid feceritis,eodem feruore & spiritu facite, quasi ipsemet Deus id fieri iuberet: siquidem ipse verè iubet quidquid superiores, ipsius nomine iubent: & de omnibus illis intelligitur, quòd suis discipulis Christus dixit: m *qui vos audit,me audit*: ita tamen, si Domini imperent, vt oportet: seruantes scilicet subordinationem, qua supremo Domino ipsi debent obedire. Et hac ratione intelligitur quod idem Apostolus dixit:serui obedite n *per omnia* Dominis,quæ scilicet sunt licita & honesta:nam si mala sint; & prohibita, quãuis sub culpa veniali:nullo modo est illis obediendum, sed respondendum potius,quòd Apostoli Concilio Phariſæorum responderunt: o *obedire oportet Deo magis,quam hominibus:* & iterũ p *si iustum est in conspectu Dei,vos potius audire,quam Deum iudicate.* Si enim ciuitatis gubernator aliquid iubeat cõtra legem & præscriptum Regis,non est huius mens & voluntas,vt illi obediatur: siquidem in ea re non gubernatorem agit, sed transgressorem: &

5. Voluntas bona.

Vbi supra.

m *Luc.* 10. 16.

6.

n *Col.* 3. 22. *In omnibus honestis.*

o *Act.* 5. 29.

p *Cap.* 4. 19

Dominus, qui rem iniustam imperat, non officium & partes Domini, sed tyranni exercet: ac proinde nec in ea re DEI vices gerit, sed potius Dæmonis, à quo tanquam à fonte iniustum illud mandatum prouenit. Hoc igitur casu excepto, obedientia debet esse vniuersalis, & *per omnia*, quæcunque imperantur magna & parua, facilia ac difficilia: quia in illis omnibus Dei voluntas elucet, iubentis ea executioni mandari: modò non transgrediantur limites potestatis eius, qui imperat, nec apertè excedant vires & facultatem eius, cui coniunguntur: id enim totũ spectat ad *prudentiam*: quę omnium virtutum est regula: quæ magis est ipsis gubernatoribus necessaria, vt postea dicetur. Nam obtemperantium prudentia solum exigit, vt in omnibus sese subijciant, quæ non sunt manifestè mala, nec impossibilia; aut indecentia, & à sua professione & statu aliena.

Prudentia Superiorum Obedientia Inferiorum.

7. Ex Quo fit, vt eorum obedientia & subiectio comitem habere debeat insignem *patientiam*: debet enim se extendere (vt S. Petrus ait) ad seruiendum & obediendum fideliter principibus, & q *Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*, qui seueri sunt, & quibus difficilè satis fit: cuius rei rationem reddit, dicens: *hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Quasi dixerit, in hoc DEI gratia & amicitia consistit, & hac ratione obtinetur: si, vt seruus, puram ad Deum conscientiam seruet, cupiatque illi placere: toleret patienter tristitias & afflictiones, quas sine causa Domini furor & morositas illi infert, ita vt benè seruiens, malum recipiat, & pro opere, quo præmium merebatur, pœnam accipiat. *Quæ enim est gloria* apud Deum, *peccantes & colaphizati suffertis? sed si benè facientes*, & obedientes, vt par est, *patienter sustinetis* absque murmuratione, & querelis, iniurias à Dominis vestris illatas: *hæc* magna *est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis*, ad obediendum scilicet, non modò Dominis, qui se benignos erga vos ostendunt; sed & ijs, qui durius vobiscum agunt, & iniuriã inferũt: r *Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui, cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autẽ iudicanti se iniustè.* Nam si seruator mundi, innocens cùm esset, iniquis se iudicibus, ac nefarijs præsidibus subiecit, eorumque iussis, omnem rationem excedentibus, est obsecutus: quanto erit æquius, vt Domini eiusdem amore, Dominis suis serui obediant, ijsque etiam immitibus & duris se subiciant? Quamuis enim tunc iniustè, ac nullo suo demerito vapulant: forsan alia olim commisêre, ob quæ hanc castigationem, vel etiam maiorem commeriti sint. Ne verò serui ac subditi qui fideliter seruientes, neque proficiunt, neque mercedem suam aut præmium vllum accipiunt, sed quotidiè è contra affliguntur magis, & tunduntur, tædio ac mœrore conficiantur, hoc

Patientia.

1. Pet. 2. 18

Christus obediens vsque ad crucem.

1 Vers. 21.

Heu quoties meruisti?

8. *Spes in Deũ.*

5. Col. 3. 24.

modo

modo concludens Apostolus, illos consolatur: *quodcunque facitis, ex animo operamini, scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis; & quisque eius quòd gesſit, mercedem accipiet*: quasi diceret, si Domini temporales obsequia vestra digna mercede non compensent, Deus eadem suo tempore remunerabitur: modo illius amore seruiatis: ac tametsi præmia temporalia amittatis, æterna tamen hæreditate non frustrabimini, si Domini crudeles sint, & iniqui, patientiam nolite amittere, aut vindictam deposcere: Dei nãque est, iniuriarum vestrarum vltionem sumere; & sine vllo personarum discrimine in vos affligentes animaduertere. Quod tametsi in hac vita non faciat, in alia faciet haud dubiè, statuens vt t *potentes potenter tormenta patiantur*; & sortem ac locum, quem hìc habuerunt, ita commutent, vt qui dum viuerent, ad dexteram fuêre, & eadem crudeliter sunt abusi: ad sinistram statuantur cum illis, qui æternis ignibus adiudicandi sunt: subditi verò & serui, qui hac in vita ad sinistram fuerunt coniecti, & in humilitate vixerunt, ad dextram inter electos & cœlo destinatos collocentur.

Deus vtrisque iustam reddet mercedem hic & in futuro.

t *Sap. 6. 7.*

Hæ sunt summatim perfectæ obedientiæ partes, & conditiones: in qua omnis sæcularium seruorum perfectio consistit: de quibus in Tractatu de statu Religiosorum copiosius agetur. At opus fuit hic illas recensere, vt sæculares sublimitatem perfectionis, quam lex Christiana ab ijsdem exigit, cognoscant; nec ad solos religiosos illam referant: cùm & ipsi in eandem & debeant & possint incumbere; & media suppetant, quibus facilè ad eam pertingãt; nullo nouo exteriori labore adhibito, sed in melius mutatis duntaxat affectibus & intentionibus interioribus. Quod si hæc non tantum à seruis domesticis communibusque, sed & ab aliis, qui nobiles sunt, Regibusque ac principibus in aula obsequuntur, notarentur; eodem & pari labore maius tunc commodum profectò perciperent. Quis, obsecro, adeò demens ac vecors foret, vt eodem, quo aurum eruere posset, labore ac sudore ferrũ effoderet? Ecquis mercator adeò puer, vt pecuniam omnem insumat in eas merces, quæ nõ nisi decuplum pariant: cùm aliæ ad manũ forẽt, è quibus centuplum lucrum affulgeret? vnde infero, si iisdem laboribus externis & obsequiis *regnum* cælorum promereri queas, intentionem tantùm eo, quo diximus, modo extollendo: quanta tua ignauia ac stupor futurus est, temporali mercede contentum viuere, eò quòd non nisi humana vilique intentione eadem exerceas? Quid verò si etiam *minor* labor tuus erit? nam gratia, patientia, & æternæ mercedis spes illum suauiorem reddent: imò nec temporalem, quæ tibi expediens conueniensque erit, amittes; cùm Dominus nouerit, illos, à quibus remunerationem accipere debes, ita excitare, & impellere, vt mercedem tibi non sint denegaturi.

Minor labor & certior merces puræ Intentionis.

CAPVT IV.

RATIO GVBERNANDI FAMILIAM; CVM FAmulis agendi, & eisdem de temporalibus rebus necessarijs prospiciendi.

QVEMADMODVM omnis seruorum perfectio in obediendo Dominis, vt iam diximus, sita est: ita Dominorum perfectio consistit in præcipiendo; seruisque, & omnibus familiæ membris debita ratione regendis, idque ex prudẽtiæ, ac præsertim illius, quam *œconomicam* dicũt, præscripto: cuius est benè ac ritè familiã regere, quæ quamuis ab alijs discrepet, quas *politicam* ac *regnatiuam* nuncupant, quarũ est ciuitates ac regna ritè administrare: in multis tamẽ inter se conueniunt. Ex ijs verò, quæ in tractatu sequenti de Regum ac Reip. Rectorum perfectione dicturi sumus, ampliùs intelligemus, quæ ad priuatos quosq; Dominos circa propriæ domus administrationẽ spectant: cùm teste S. Chrys. ciuitas quædam sit vniuscuiusq; domus, & princeps sit quisque domus suæ. Ad hæc, quæcunque Rex in regno; præfectus in vrbe; in Rep. Iudex exequitur: hæc & patrẽfamilias domi (præsertim si ipsa numerosa sit, & varij in eadem famulorum sint ordines, malorum alij, alij minorum) suo modo facere debere certissimũ est. Sed præter hoc multa ad ipsum, eiusq; gubernationis rationẽ propriam spectant: quæ tamen & ad Reges: & Dinastas, & omnes in genere præfectos ac Iudices tũ Ecclesiasticos, tũ sæculares referri queant, iuxta præclarũ illud D. Bernardi ad Eugeniũ Papam consiliũ: *In palatio* (inquit) *Papam domi te patrẽ familias exhibe.* Hoc planè modo rex, & alij principes regiam ac principis dignitatẽ in publico exerceant, statusque sui authoritatem & magnificentiam tueantur: at cùm versantur domi propriæ, affabiles se & benignos exhibeãt, instarq; patris familias, eiusdẽ directioni sedulò intendant. In quo patres omnes familias ac dominos hanc perfectionis regulam, quam Apostolus, enarratis famulorum erga suos dominos obligationibus, refert, seruare par est. Dominos enim, de modo quo erga suos se gerere oporteat, sic statim alloquitur: b *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud eum.* Quid est, inquit S. Chrysostomus, aliud *eadem facite illis*; nisi vt vobis illi seruiunt, ita & vos illis seruite? si enim omnes obligationes adimpleatis, quas Christiana lex Christianis & perfectis Dominis præcipit: multa haud dubiè occurrẽt, in quibus seruis vestris obsequimini; & pro ipsis laboratis, vt ipsi aliàs pro vobis. Quocirca dominorũ nõ est, simpliciter impe-

Hom. 22. in Epi. ad Eph.

Lib. 4. de consid. prope finem.

Ephes. 6. 5. & ver. 9.

b *Eph. 6. 9.*

Vbi supra.

imperare ac iubere; sed ita, vt Deo obedire, & obsequi videantur. Si enim serui Dominis, vt Deo, cuius locum tenent, parere debent: & quia idem ipse Deus vult vt illis obediant, ac seruiant: æquissimum videtur, vt Domini in Dei nomine seruis præcipiant, & regant ea omninò forma, qua Deus vult, eos præcipere, partesque suas agere. Cùm igitur Deus, quamuis supremus omnium Dominus, non tyranni sed *patris* instar regat: seruis suis cum amore paterno, mansuetè, benigne, prudenter & clementer imperat; & semper, quæ bona sunt, nunquam autem mala; & vniuscuiusque capacitati & viribus accommodata, nunquam verò supra illas iniungit. opportunè & illorum imbecillitatis misertus de necessarijs omnibus abundè illis prospicit illorum defectus ex charitate corrigit, & ad tempus sustinet, & indulgenter illorum infirmitatibus conniuet. Hæc aliaque similia Deus cum seruis suis agit, suo Dominos exemplo inuitans, vt quemadmodum suo ipse, ita illi vicissim suo fungantur officio. Quare cum illi, obedire sibi seruos velint, vti ipse præcepit Deus, idcircò eo etiam imperent modo, quem Deus præscribit: atque vt Deus vnà cum Domini officio Spiritum etiam paternum induit: ita quoque illi erga seruos se & dominos, & *patres* exhibeant, vt vicissim serui velut *filii* etiam illis obsequantur.

Domini imperando obediunt Deo & seruiunt subditis.

Deus pater esse mauult quam Dominus. Idem faciant Domini. Tract. 4. c. 7. hoc latius habetur.

§. 1. *Nihil aut legi diuinæ, aut rationi contrarium seruis esse imperandum.*

IDIPSVM idem Apostolus alio in loco latiùs deducit, dicens, quod iam diximus: a *Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, scientes, quòd & vos Dominum habetis in cœlo.* quasi dixerit: attendite, ne quid iniquum vnquã, aut legi Dei, rationique aduersarium seruis imperetis, sed æqua diuinæque voluntati vsquequaque respondentia: quin nec omnia, quæ licita sunt, illis iniungenda: sed *moderatè*, & ea tantum, quæ illorum conditioni consentanea sunt; quæque iuxta eam commodè exequi poterunt: non graui eos labore exercendo, aut opprimendo: ne defatigati, deficiant. Adhæc & iustæ illorum expostulationes exaudiendæ; & labor relaxandus, cùm opprimũtur, & quietem aliquam sibi dari petunt. Nolite *Pharaonem* æmulari, graui tyrannidis iugo Hebræos operi lateritio insudantes opprimentem; tam durum enim pensum ijs imponebat, vt ferendo non essent; Nam totidem ab ijsdem lateres fieri volebat, cùm stipulas colligere ipsi cogerentur quot antè, cùm b *paleæ ab operum præfectis darentur*: & quãuis impares se oneri dicerent, & laborẽ detrectarẽt: surda aure omnia excipiebat, nec de labore quidquam diminuebat. IOB potius sequamini, qui quamuis ea auctoritate foret, omnes vt illo præsente, obtumescerent: hoc tamen de seipso testatus est: c *si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea: cùm disceptarent aduersum me. quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæ sierit:*

Licita & moderata iniungenda.

Audiendi subditi.

a Col. 4. 1.

b Exod. 5. 7. 8.

c Iob. 31. 13.

Lib. 22. mor. c. 20.

fierit: quid respondebo illi? nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est; & formauit me in vulua vnus? Duplicem hic (vt benè S. Gregorius ponderat) rationem ponit, qua veluti fræno quodam retinebatur, ne in seruos durius animaduerteret: oculos enim in *Deum*, supremum omnium Dominum conijciens; cogitabat primùm quid ille in vitæ *extremo* cum omnibus facturus esset; & quid deinde in eiusdem *exordio* fecerit. Quod verò ratio prior validior ac efficacior videretur, primo propterea loco illam posuit: Deum scilicet omnes sine vlla personarum acceptione iudicaturum. Quare si seruo iniuriam herus irrogârit; quid faciet, cùm ab illo rationem exacturus est Deus? quid respondebit, illatæ iniuriæ rationem petenti? dicet forsitan, seruum illum suum fuisse. Sèd ratio illa omnino reijcietur: tum quòd lex Dei illum tuebatur: tum quòd, cùm & ipse seruus Dei esset, legem & iussa illius seruare debuit. Adeò enim strictè Deus leges de seruis conditas voluit seruari, vt per Ieremiam Prophetam acerbissimas intentârit minas: d *gladii, pestis & famis, ac seruitutis*, ijs qui eadem infringere ausi fuerunt. Hoc porrò fræno Domini & superiores Prælati se ipsos continere debent ne, qua pollent, imperandi potentia eos in præcipitium abripiat. Et, si iniectis in subditos, quos imperio premunt, oculis, insolescere contingat: eisdem in iudicem, cuius tribunali subiecti & ipsi sunt eleuatis, se humiliabũt; neque cum seruis æqua postulantibus, in iudicium descendere dedignabũtur; sed boni æquíque iudicis ipsi partes obibunt: Deus enim iniquos & duros iudicaturus ac puniturus dominos, cùm illis in iudicium descendet; seruorum oppressorum partes & iustitiam tuebitur.

Domini extremum recogitent Iudicium.

d *Ier. 34. 13.*

Ex S. Greg.

ALTERA, qua seipsum velut fræno retinebat Iob, ratio hæc erat, quod idẽ Deus, creator esset Dominorũ ac seruorũ; qui *natura* quidem (vt S. Gregorius ait) ortuq́; sunt pares, licèt occulta Dei dispositione vnus altero *conditione* sit maior aut minor. at, qui sanctimoniæ student, quò se intra humilitatis terminos contineant, & superbiæ tumorẽ reprimant, oculos suos à sua prælatione ac præeminentia auertunt; & inæqualitatem illam naturæq́ue paritatem eosdem conijciunt, *nec præesse gaudet hominibus, sed prodesse*: primùm sibi, deinde alijs: atque ita regunt & imperant, vt & humilitatem conseruent, & auctoritatem tueantur: *exterius*, vt Domini imperent, *interius* verò, vt æquales, humilitatem seruent: legem Dei præ oculis assiduè habẽtes, quæ ad omnes in genere homines extenditur, & neminem nõ obligat: ne forsan à Malachia Propheta audiant: e *nunquid non pater vnus omniũ nostrum: nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergò despicit vnusquisq; nostrum fratrem suum, violans pactũ patrum nostrorum?* Cũ igitur superiores & subditi secundũ naturã, fidẽ, & gratiæ statũ fratres sint & æquales, eundẽ Patrẽ & creatorẽ habẽtes Deũ; & cũ ad idem legis pactum seruandũ obligati

Vbi supra.

Domini naturæ pares seruis.

e *Mal. 4. 10*

sint:

sint: rationi minimè consentaneum est, ab altero alterum despici; atque vt seruus herum contemnere non debet; neque Dei legé infringere, quantum ad fidelitatem, & constans obsequium: ita nec seruum dominus; nec in Dei legem, quoad iustitiam & vigilantiam, quam Deus ab eo exigit, impingere: dicit enim: f *mei sunt serui.* Ego illos creaui, redemi, & è peccati seruitute eduxi. Quamobrem leges, quas de ijsdem decreui, exactissimè seruari volo.

f *Leui.* 25. 42. 55.

§. II. *Saluti corporis & animæ subditorum esse consulendum*

ABHISCE fundamentis ad particularia, quæ ad familiarum gubernationem spectant, & dominis omnibus necessaria sunt descendamus: ne forsan in infidelitatem illam labantur, de qua Apostolus ait: a *si quis suorum curam non habet, & maximè domesticorum fidem negauit, & est infideli deterior.* Quibus verbis *duo* subditorum genera Apostolus proponit, quos Domini habent; primos vniuersali nomine *suos* nuncupat, quod nonnullis illorum officijs occupentur, vti vasalli, cēsiti, & mercenarij diurni: alij *domestici* dicuntur, quod in domibus suis, vt plurimum agant & familiæ pars quædam sint. Horum charissimi & intimi sunt filij, & omnes sanguine ipsis coniuncti. Quicunque verò horum omnium curam non habet, ac præsertim posteriorum, fidem negat, si non verbis, saltem opere: cùm negligentia sua testetur, fidem se non habere, quam diuina præscribit lex; quamque fides Christiana præcipit: in quo *infideli est deterior*: quòd non modò, quæ lumen naturæ dictat; sed & quæ fides Christiana, maiorem seruorum curam gerere præcipiens, quàm Gentiles gerant, conculcet. Ne verò huius infidelitatis reus constituatur, allaboret, (inquit Sanctus Chrysostomus) vt quidquid illis tum ad *corpus* tum ad *animam* necessarium est, prouideat: parum quippe profuerit de iis, quæ corporis sunt, prospexisse; si, quæ ad animam spectant, & maioris momenti sunt, negligantur: nec sufficerit etiam animæ cura; si non & corpori consulatur. Opus igitur est: vt seruis tuis in primis de omnibus quæ corpori sunt necessaria prospicias, prout leges æquitatis & iustitiæ postulant; tam de mercede & stipendio, ordinariaque vestis, & mensæ prouisione, quàm de apta habitatione pro eius personæ qualitate. Si enim suadente Ecclesiastico, g *seruum fidelem quasi fratrem* germanum *tractare, & sicut animam tuam habere debes*: vide porrò quomodo tecum ipse agas: ac tantumdē seruo tuo præstare; eumq; sicut teipsum diligere debere intelliges. Nam etiam de illo hæc legis naturalis præcepta intelligenda sunt: h *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquādo alteri facias: & omnia quæcūq; vultis, vt faciāt vobis homines: & vos facite illis.* Vide iā, quo te loco à domino, si seruus fores haberi velles. Cùm ergo iam dominus sis, talem te erga ser-

a 1. *Tim.* 5. 8.

Subditi & Domestici.

I*ta* D. *Tho. ibidem.*

Ho 14. *in* 1. *Tim.*

I.

g *Eccl.* 33. 31. *Seruus frater & anima tua est.*

h *Iob.* 4. 16. : *Matt.* 7. 12.

uos

uos ostende. Quòd si *misericordiæ* lex, pauperum te curã habere iubet, panẽ frangere esurientibus, potum dare sitientibus, vestire nudos, ægros inuisere, peregrinos domo ac tecto suscipere: quanto magis *iustitia*, Christianæ misericordiæ tanquam suæ sorori coniuncta, idem & seruis tuis præstare iubebit? Insinuat hoc Isaias Propheta dicens: k *frange esurienti panẽ tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum; & carne tuã ne despexeris*: quo loco S. Chrysost. legit: *& domesticos seminis tui ne despexeris.* Quamuis enim ad omnes pauperes misericordia ipsa extendatur; ad cognatos tamen & seruos eandem in primis referri par est, qui velut caro tua sunt: erga quos ita gerere te oportet, atque ad rem propriam.

2. *Misericordia pauperes, Iustitia subditos commendat.*

k *Isa.* 58. 7.

Vbi supra.

D. Tho. 2. 2. *q.* 32. *art.* 9

AD HÆC: si sedulò illos tuis in rebus occupari, & gnauiter insudare velis, tuum vicissim est illis de vestibus, & omnibus ad laborem tolerandum necessarijs, prospicere. De cordata ac prudente muliere Sapiens dixit: l *nocte eam surrexisse, & prædã dedisse domesticis suis, & cibaria ancillis*: opusq; diuinũ siue pensum præscripsisse, *nec timere domui suæ à frigoribus niuis*: *quia omnes domestici eius vestiti essent duplicibus*, ne manum ab opera retraherent. In quo si negligens fueris, & in seruos inhumanus, quid ab ipsis expectes aliud, quàm maledicentiæ spicula, & execrationes: clamabunt, deferent te namque in cœlum, ac vindictam à Deo de inhumanitate tua deposcent. Et sanè exaudientur; permittetque Deus, vt alij res tuas negligant, sicut tu curã tuorum non habes. Hoc olim Moyses populo suo proposuit: m *non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sed eadem die reddes illi pretiũ laboris sui ante occasum solis, quia pauper est: & ex ea sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Et S. Iacobus Apostolus diuitibus mundi ob peccata enormia commissa minas intentans, hoc primo loco posuit, dicens: n *ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Et sanè Sacræ scripturæ solenne est & vsitatum, peccatorum enormitatem per verbum *clamoris* legenti proponere; vnde colligit D. Thomas, quatuor esse peccata in cœlum clamantia: *homicidium* scilicet, eo modo, quo o *sanguis Abelis* innocenter effusus, vindictam *clamare* perhibetur; deinde infame *Sodomiæ* peccatum, p *clamor* enim *Sodomorum venit* ad Deum; iniqua etiam iustorum oppressio, qualis fuit Hebræorum, graui seruitutis iugo in Ægypto oppressorum: q *clamor* (inquit) *filiorum Israel venit ad me.* postremo r *merces operariorũ defraudata.* Quod si hæc defraudatatio *ita clamet*, cogita ac perpende, quem editura sit clamorum merces & stipendiũ, quod misello seruo inique detinetur: quo tamen ad vitam tolerandam in primis indiget?

3. l *Pr.* 31. 15. 21 *Bene pascere: magnum vectigal.*

4. m *Deut.* 24 14. *Tob.* 4. 15.

n *Iac.* 5. 4. *Peccatum in cœlum clamans.* *Ibid.*

o *Gen.* 4. 10
p *Gen.* 18. 20
q *Exod.* 3. 9.
r *Deut.* 24. 14.

5. DENIQVE si dominorum mundanorum ac *Christianorum* discrimen

despi-

deſpicere volueris, propone tibi quæſo *puerum* illum *Aegyptium*, in quem in mortis articulo iam conſtitutum milites Dauidis inciderunt, & miſericordia moti; panem & aquam, ficus & vuas ei præbuêre: quibus petentibus ecquis eſſet, reſponditi *puer Aegyptius ego ſum, ſeruus viri Amalecitæ: dereliquit me autem Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius.* Vnde colligere licet: Dominum hũc fuiſſe Amalecitam, infidelem, immitem, & crudelem tyrannum: dum ſeruum, quem ſanum & integrum apud ſe tenuerat, iam ægrotantem in medio deſeruit itinere, omni ope auxilioque deſtitutum: quò fame moreretur, aut feris in cibum & eſcam cederet. Sed miſeria eius & inopia, de Domini ſui inhumanitate vindictam poſtulauit. nec fruſtrà: nam Deus clamorem eius audiens; Dauidem excitauit, à quo auxilium & opem, vt iam diximus, accepit: qui ab illo mox ad immitem dominum deductus eſt: quem Dauid cum vniuerſis penè copijs profligauit. Quotquot autem verorum ac *Chriſtianorum* Dominorum volunt nomine gloriari, diligentem (*Dauidis* in morem) ſeruorum ęgrotorum, maleque habentiũ, cutam habent, eosque recreare omni ope connantur: memores, illos dum benè haberent, ſedulos ſeruos egiſſe.

[i 1. Reg. 30. 13. *Pœna crudelis & præmium benigni Domini.*

CAPVT V.

RATIO; QVA DOMINI SPIRITVALE FAMILIÆ ſuæ bonum procurare; ſingulisq; bonæ vitæ exemplo prælucere debeant.

PRVDENTIVM & Chriſtianorum Dominorum eſt curare inprimis, ſeriamque operam dare, vt ſeruos *virtutibus* inſignes, & probos ſibi comparent; proprij ſaltem commodi ſolatijq; intuitu, quod ab eiuſmodi plurimis in rebus habere poterunt. Nam *primò*, ſi Deo fideles illi ſint, dubitandum non eſt, quin & Dominis in ijs rebus quæ ipſorum curæ committentur, fideles & ſynceri ſint futuri: quas Deus & conſeruabit & augebit, ſicut fecit cum Laban, quem Deus interea, dum *Iacob* ſeruiret, plurimùm locupletauit: ſic enim faſſus eſt ipſe a *experimento* (inquit) *didici: quia benedixerit mihi Deus propter te*; & cum Putiphar in Aegypto: b *cui Dominus benedixit propter Ioſeph* cuius etiam fidelitas honorem & nomen, quod vxor illius peſſundare & penitus calcare voluerat, integrum inuiolatumque conſeruauit. Apoſtolus quoque Philemoni ſcribens, eumque ex animo obteſtans, vt c *Oneſimum* ſeruum ſuum fugitiuum *reciperet*, & in gratiam admitteret, ſpopondit illum

I.

Deo fideles ſint Domini vtiles.

a Gen 30.27
b Gen. 39.5.

c Philem. Verſ. 11.

iam ad Christum conuersum, & vita in meliorem commutata, *vtilem* ipsi *futurum*, tametsi antea *inutilis fuisset*. Quod si insignis illa *obedientia*, quam ante descripsimus, in seruis eluceret: quanta futura esset dominorum quies! quin potius, si Christianos se esse gloriantur, hoc ipsum sufficere deberet, ne, quem sceleſtum aut improbum nouerunt: in familiam admitterent, sanctum illum Regem imitati, qui dicebat: d *per ambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ: non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes præuaricationes odiui: non adhæsit mihi cor prauum: declinantem a me maligenum non cognoscebam: detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar: superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorũ meorum.* quasi diceret: nullos flagitioſos in familiam meam allegebã, quali sperarem meo illos cõmercio familiaritateq; in melius cõmutandos: sed operã dabã, vt adeò *iustos* eligerẽ, qualis ipse esse optabã; & eadẽ puritate innocentiaque incederent, quã ego. In primis verò studebam, ne quis *superbus* in domo mea versaretur: eò quòd eiusdem pacem statim turbaret. Is quoque mihi amicus & familiaris non erat, qui *inhonesta, lasciua, contumeliosa* in proximũ, aut *vana verba* effutiret: visus enim fuissem illorum nequitiã approbare, aliosq; velle ad eandẽ imitandam inducere: quo in familiaritate meã ad optarentur. At quoniam non semper huiusmodi reperire datur; meritò Dominus diligentem operã dabit, vt quos iam domi habet, tales reddat. omni ratione, magnoque zelo allaborans, vt legem illi diuinã sedulò obseruent; nunquã verò permittet, vt aliquo oblequij, seruitijue sui prætextu eãdem violent. Qui si Dei obliti, in illius legem impingere voluerint: ipsius est id impedire, & reprehendere: si verò ad tale quid faciendũ ab eo facultatẽ petierint: c Dauide respõdeat: e *cur efficimini mihi hodie in Satan* cõsensum à me in rem prauã extorquentes? Quicunq; verò famulari mihi voluerit, ac diuinũ obsequium meo postponere, næ ille mihi *hostis* & non seruus futurus; nec amici sed inimici officium facturus. PRÆTER hoc tamen (vt S. Augustin. notat) vnusquisque patersamilias in domo sua velut *Episcopus* & pastor Ecclesiasticus sit oportet, vniuersæ familiæ Antistitem & custodem agẽs, & boni Præsulis partes aliquatenus explens; *pro Christo*, inquit, & *pro vita æterna suos admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat charitatem; ita in domo sua Ecclesiasticũ, & quodãmodo* Episcopale *implebit officiũ, ministrãs Christo, vt in æternum sit cũ ipso.* Intelligat igitur Dominus, verũ se Iesu Christi ministrũ esse, ipsiusque ad salutẽ animarũ seruorũ suorum procurandã cooperatorẽ, illos pro modulo suo adiuuando, vt à vitijs abducãtur; in virtutib. proficiãt, & regni cœlorum participes reddãtur.

d *Ps.* 100. 2.

Dauid nullos flagitiosos domi retinuit.

2. *Qui boni non sunt, hos tales efficiat.*

c 1. *Re.* 19. 12

3. *Tract.* 51. *in Ioan. in fin.*

Patersamilias sit Episcopus.

§. I. *Idola peccatorum esse amolienda.*

RE huiusce praxis in celebri illo Iacobi facto despicietur, nam Sichem ciuitate à filijs suis, Dinæ sororis raptum vindicantibus, euersa, cùm sibi metueret, ne vicina oppida in ipsum insurgerent: non sine diuino instinctu vniuersam conuocans familiam: *abijcite* (inquit) *Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra: surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis, & socius fuit itineris mei: dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum. Cumq; profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non ausi sunt persequi recedentes.* Vt insignia historiæ huius documenta dilucidius exponamus, præsupponendum: Rachelem Iacobi vxorem dum paterna domo egrederetur, omnia patris idola, tum aurea, tum argentea clancula sustulisse: idque vel quod (vt Sanctus Chrysostomus. & Rupertus testantur) idololatria infecta esset, quam vnà cum lacte materno suxerat, vel (quòd SS. Basilius, & Nazianzenus sentiunt) vt patrem suum ab idolorum cultu (quem illa, à marito edocta, oderat) diuerteret. At quoniam hominum cogitationes occultæ sunt & obscuræ, fieri potuit, vt illa minùs cautè idola seruante, aliquis domesticorum illa supplex coleret. His addo: Simonem & Leui, de excidio Sichimæ nonnulla secum etiam *idola* tum aurea tum argentea sustulisse, non sine Dei offensa, & idololatria cõmittendæ periculo. Quod cùm Iacob percepisset, vt tanti damni occasionẽ ab illis auerteret, ea protulit, quæ iam suprà retulimus. PRIMVM quod hinc documentũ elicimus, est: omnẽ patrẽfamilias diligẽter in cũbere debere, vt per oẽs domus angulos inuestiget, nũ aliqua forsã idola in eadẽ delitescant. Idola nãque sunt *peccata* ac vitia, quę peccatores supplices adorãt, eo modo, quem Tractatu præcedenti descripsimus, quibusque familia malè instituta, vt plurimũ scatet: est enim microcosmus, in quo nõ nisi *cõcupiscentia carnis, diuitiarum cupiditas, ac superbia vitæ* imperiũ ac dominiũ occupãt. Hęc porrò Sacra Scriptura *Deos alienos* hìc nuncupat, quodà verò nos Deo auertant, quos ab omni familia Christiana procul abesse oportet, ac multò magis ab eiusdẽ rectore, ac directore. Si enim tu Pater & Dominus hæc numina vt aliena non reijcis: mirũ profectò non est, filios & seruos eisdẽ velut proprijs supplicare: & si ipse immersus es vitijs, quì familiæ persuadeas, vt ab eisdẽ quã maximè declinet, eaque detestetur? Nõ verò crediderim, te adeò ignauũ & abiecto animo fore, vt publicam hanc idololatriam in tuis æquanimiter toleres: ac deprehensa peccata dissimules, nec corripias.

SED quoniam improbi filij & serui hæc idola omni studio *abscondere*

Gen. 35. 2.

Gen. 31. 19. Hom. 57. in Gen vide initio l. Pro. Perer. ib. Oratio de S. Paschat.

I.

Peccata extirpanda. cap. 6. 1. Ioan. 2. 6.

Inquire vt pater non vt hostis.

conantur: ne forsan parentes ac Domini talia domi haberi, colique re sciant: diligenter propterea attendendum est; & indicia omnia, quæ ea prodant, obseruanda & excutienda; interroganda, inquirendo, quibuscum agant domestici, siue domi siue foris; aliaque quæ prudentia suggeret, considerando: idque non anxiè, & instar inimici d *insidiantis, & impietatem* in tuis domesticis *quærentis*, vt calumnieris, *eorumq; requiem vastes*, si tali animo se obseruari intelligant; sed amici instar, nihil optantis reprehensione dignum inuenire, sed obseruantis tamen, & prudenter ac circumspectè inquirentis, vt præueniat; aut, si lapsum deprehendat, auxilium & remedium aliquod adferat. Nec, postquam omnem tibi adhibuisse diligentiam videaris, & nulla criminis offensionisque occurrat suspicio, rem domus in tuto versari propterea existimes, sunt namque subditi in sceleribus suis occultandis cautiores, quàm sint parentes ac Domini in eisdem inquirendis: sæpeque fit, vt de quo minima erat suspicio, is reuera idolum in sinu suo foueat, & amplectatur. Memineris quid ipsi Iacob in simili casu euenerit. Cùm enim Laban socer, idola sibi erepta cõquereretur, magna animi seueritate respondit: e *apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Tunc Laban magna quidem arrogantia & fastu eadem vbique quærens, non inuenit: quia Rachel fuit illo cautior, *quæ parentis videns anxietatem, festinans ea abscondit subter stramenta cameli & sedit desuper*, sumptaque à re verisimili excusandi occasione, cur surgere, aut loco se mouere non posset: ipsius Laban curam & anxiam solicitudinem facilè elusit, & ita Iacob exultauit ac gestijt, certò sibi persuadens, nullum suorum domesticorum furti illius reum esse, aut talia idola colore. Vterque tamen errauit: quia (vt Christus D. dixit) f *filii huius sæculi prudentiores filiis lucis sunt*, quibus opera sua occultant: eosque eludunt, qui omnem se in quærendo diligentiam adhibuisse credunt. Et quando superiores & patres familias sibi persuadent, domum suam sanctimonia clarere: aliqua fortè Rachel non deerit: de qua minima erat suspicio, quæ idola colat, crimenque committat; quod omni, qua potest, fraude & arte palliare conetur. Hinc Rupertus ait, singulari Dei reuelatione Iacob cognouisse: domi suæ idola abscondita delitescere: Dominus namque, dũ illum periculo, quod à ciuitatibus cum Sichima fœdere iunctis ipsi imminebat, educere vellet, illi interim apparet & indicat, familiam illius *idololatriæ* crimine contaminatam esse, quam nisi purgaret, se illi propitium minimè fore: quemadmodum postea etiam Iosue edixit: populum se discrimine non prius erepturum, quàm *furtum*, cuius vnus reus erat, expurgasset. Iacob itaque diuino motus instinctu, omnes domesticos collegit, eosque commonuit, vt omnia idola à se procul eliminarent.

d Pr. 24. 15

Ne sis facilè securus.

e Gen. 31. 32.

f Luc. 16 8.

Pro. 30. 20.

Li. 8 in Gen. c. p. 1.

Deus peccata vult tolli.

Ios. 7. 12.

Vt porrò Sancti huius Patriarchæ factũ imitemur, noua reuelatione no-

bis

bis minimè est opus: sed similia monita similibusq; verbis domesticis in genere proponenda sunt, *duobus* præsertim temporibus & occasionibus, quibus & suos Iacob est allocutus. Primo vbi aliquod periculum ac discrimen vniuersæ familiæ imminet: tunc quippe timendum, ne in occultorum aliquorum eius criminũ punitionem cælitus eueniat: ac propterea tunc expedit, omnes in locum vnum conuocatos, ad pœnitentiam & confessionem exhortari, dicendo: i *abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt*: vereor enim, ne inter vos idola aliqua abscondita delitescant; & sint, qui peccatis inquinatam habeant conscientiam. Quamobrem tam prauam à vobis societatem & commercium reijcite, ac delicta confitemini; quo iram Dei ceruicibus nostris imminentem auertamus.

In tribulatione conscientia excutienda. 1 Gen. 35 2.

Imo si gloriæ diuinæ, tuæque familiæ boni sis cupidus non est quòd expectes, donec tale ei discrimen imminere videas, vt ita seriò eam admoneas, sed quemadmodum Iacob hanc admonitionem fecit, quando Dominus ei præcipit, vt in Bethel pergeret, sacrificium oblaturus; quia videbat, illud ei minimè gratum fore, nisi ista præcederet diligentia & inquisitio: Ita meritò in solemnioribus anni festis omnem familiam conuocare decet, eamque ascensionis in Bethel (id est *domum Dei*) admonere, quò diuinis officijs assistant; & solemnitatem, quam Ecclesia tunc repræsentat, celebrent. Quò autem domestici id ea cordis puritate peragant, quam Deus requirit, sincerè illis & ex animo dicas, oportet: *Eiicite Deos alienos de medio vestri, mundamini & mutate vestimenta vestra*, non modò corporis (quod in festis serui agere solent) sed inprimis *animæ*: omni vos vitiorum indumento spoliantes, & virtutum habitum assumentes; vt decenter ac purè omnes coram Deo comparere valeamus.

Et festis solemnioribus.

Sancta hæc monita, in genere, magno amore, spiritus feruore, opportuneque deprompta, magnam vim habent ad tollenda peccata, vt in hoc exemplo manifestè apparet. Omnes enim domestici Iacob (vt testatur scriptura) mox illi morem gessêre; & quotquot habebant *idola*, ea statim ei tradiderunt, etiam Rachel quæ astu quodam illa patri surripuerat, (si tamen adhuc illa apud se habebat) Iacob marito suo eadem reuelauit. Laban enim suo illa commodo inuestigabat; Iacob verò ob vnicum *animæ* bonum; Laban rigidè illam, ac velut extraneam alloquebatur. Iacob verò amicè ac beneuolè. Natura enim, quæ homini, more hominis, insulsè loquenti, & asperè agenti culpas suas occultare gaudet, à diuina gratia illicitur, & iuuatur, ad easdem homini, vices Dei gerenti, blandumque se ac misericordem exhibenti aperiendas. Hinc iam supra diximus, per magni referre, gubernationem cum amore ac *lenitate* dirigere, erga ingenuos præcipuè, qui id aduertentes, sponte ac libenter se dedunt, nec suam imbecillitatem negant, quo

Gubernatio lenis est efficax.

remedium aliquod adhibeatur. Atque hoc modo vitia, quæ firmas à multis annis radices egerant, iam à corde euelli solent; & manifestata curari: totaq; domus ab omni idololatria spirituali occultè inualescente, penitus emundari.

VERVM feruens Iacobi diligentia vlteriùs etiam processit; nam quamuis idola ex auro argentoque conflata, illorumque inaures, & monilia admodum pretiosa essent; nullum tamen *cupiditati* aditum dedit, nec metallum illud pretiosum in suum vsum conuertit: ne eius aspectu idola ipsa, quæ ex auro illo confecta erant, in memoriam reuocaret: ac propterea omne aurum & argentum, quod accepit, statim terræ infodit, ne inposterum videri posset. Imò notat Abulensis, Iacob non idola modò confregisse, sed igni omne metallum iniecisse, vt liquefactum per terræ venas penetraret, atq; ita euanesceret: ne, quod in idolum conflatum fuerat, in hominum vsum cederet, eosq; pollueret. Quid verò hoc aliud sibi vult, quàm superiores ac dominos de familiarum suarum bono solicitos commonefacere, non debere esse contentos, si peccata qualitercunque è medio auferantur, sed operam etiam dare debere, vt & *occasiones & radices* illorum penitus euellantur. Ne igitur auaritia illos excæcet, nec ob exiguum *lucellum* comparandum, domi quid retineant, quod alicuius criminis committendi sit occasio: sed viuat econtra amoris diuini in eis zelus, vt terra obruant, quidquid peccatum suscitare queat, dent operam, vt monilia aurea, quæ idolorum aures exornabant, obedientiamque idololatriarum testabantur, amoris diuini flamma consumantur & pereant, ac maledictam adeò obedientiam detestentur, terræque profundo obruaut: ne inposterum consurgat & compareat, neque alia in anima vigeat obedientia, quàm quæ offertur Deo vero, & Iesu Christo D. N. qui nos è dura captiuitate pretioso sanguine redemit; & ab i *omnibus peccatis nostris, quæ proiiciet in profundum maris*, emundabit. Declarauit hoc Iacob (vt benè Rupertus obseruat) *dum idola iuxta arborem terebinthum* (ex qua resina distillat) *sepeliuit*: quæ arbor *crucis Christi* figura est, è qua pretiosi *sanguinis* illius *resina*, ad vulnerum nostrorum medicamentũ profluxit: cuius efficacia omnia delicta nostra sepulta euanescunt.

In dictum locum.

Occasiones & radices peccatorum tollenda.

Absit cupiditas.

i *Mich.7.19 Li.3.in Gen. cap.12.*

Crucis Christi medicina.

§. II. *Exhortatio Dominorum subditos ædificat.*

DENIQVE dominus domesticos suos ita exhortari debet, vt exemplo illis suo præluceat, dicendo sicut Iacob: *surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui me exaudiuit in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei*; & non ait: ascendite, & struite altare; sed: *ascendamus & faciamus*: nam in hisce religionis actibus, *capita* præcedant necesse est, & alios secum trahere, vt sint tanquam a *lucernæ ardentes*, quæ toti domui colluceant, & tanquam SAL: vt omnibus, qui in domo versantur, virtu-

I præsequor

a *Mat.5.15.*

tum

tum gustum ac saporem adferant. Solent quippe serui in id accuratius incumbere, ac libentius, quod à Dominis suis fieri vident, &, quæ illi laudant, etiam dilaudare, quæ verò reijciunt, pariter reijcere. Ipsi igitur primi templum adeant: quò sacris, & concionibus interfint, & Sacramentorum participes reddantur: ac tunc alios secum trahant: non modò vt filiorum ac seruorum illis comitatus honori sit, sed vt omnes vnanimi consensu Deum dilaudent, eorundemque bonorum fiant participes. Proponant etiam, quanta illis olim beneficia contulerit Deus, quibus illos eripuerit periculis, quam benè ac placidè hactenus in consortio illius vixerint; quod ab eo bona charismata, fauoresque acceperint: æquum proinde videri, vt gratos se datori exhibeant: vt hoc pacto erga vnius Dei cultum afficiantur, qui tanta sibi obsequentibus bona confert, & ob accepta dona, immensas illi gratiarū actiones persoluant: quo ita paratiores ad maiora nouaque beneficia recipienda inueniantur.

Dominorū exhortatio.

Dei beneficia.

Non est verò quod dæmonum minitantium pericula, & incommoda, dū templum adire, & alia deuotionis exercitia exequi conantur, perrimescant. nam vt Iacob iter suum aggrediente, *terror Dei inuasit omnes*, itaque hostes perterruit, nemo vt cœptis obsistere, aut aliquā illi inferre iniuriā sit ausus, ita quoq; qui sanctis pijsque operibus incumbunt, quibus creatorem suum colant & honorent, confirmantur cælitus ac iuuantur, terrore inimicis, eadem impedire, aut saltem praua aliqua intentione inquinare satagentibus, iniecto. Nam (vt S. Chrysost. hoc examinans, ait) *nihil beatius est eo, qui diuinam gratiam assecutus est*, & Deo placet: cuius prouidentia semper excubat ad eius inimicos propulsandos, eumque à periculis eruendum.

Gratia Dei inimicos arcet.

Hom. 59. in Gen.

Qvod Si insignem prouidentiæ huius effectum scire desideres, audi obsecro, quæ in hunc locum Rupertus annotat. Eodem namque capite, Rachelis è partu vehementi mortuæ obitus describitur, insinuatque id eadem æstate, cum in Bethlehem pergeret, accidisse. Elucet hic insignis quædam Dei prouidentia ipsi Iacob inspirantis, vt omnia idola è familiæ manibus excuteret: ne scilicet Rachel, si cum ijsdem mori cōtingeret, aliquod salutis discrimē incurreret. Apparet etiā, quam Rachelis felicitas fuerit, quæ tam sanctum & solicitum maritū nacta sit: qui impietatis hanc caliginem ab oculis tolleret: vt, si mori contingeret, in gratia saltem Dei è viuis decederet. In quo adimpletur illud Apostoli: b *per virū fidelem, sanctificatā esse mulierē infidelem*; probum scilicet maritum causam esse salutis vxoris. Hinc patres familias discant, non esse incurios in danda opera, vt domestici exactam peccatorum Confessionem frequenter instituant, vitamque Christiano homine dignam agant: nam fortè inter plures, quibus id consulunt, aliquis erit, qui tali consilio & admonitione opus habeat: vtpotè morti fortè propior:

Vbi supra. Dei prouidentia, maritū cura salutata Rachel.

b 1. Cor. 7. 14.

Mors omni hora expectanda.

& cuius

& cuius salus in maximo discrimine versatur: pendet verò eius remedium ex consilio & admonitione ita opportunè proposita vt eam exequatur. Discant item ab hoc exemplo illi, qui idola suam intra conscientiam delitescere sinunt, dum tempus opportunum habent, eadem eijcere; ne mors inopinatò illos, cùm iniquo adeò hospite, qui æternæ damnationis sit causa, opprimat.

CAPVT VI.

RATIO ET MODVS QVO DOMINI, FAMILIAE suæ vitia corrigere, ac punire debeant, absque nimia severitate: aliorum ad id opera adhibita.

2.2.q.33.a.3

AMETSI *correctionis fraternæ* præcepta ad omnes in genere homines, teste D. Thoma, pertineant; vt proximum, quò peccandi consuetudinem deserat, sedulò commoueant: ad *prælatos* tamen inprimis ea spectant: quorum est non modò delinquentes commouere; sed & acriter (si opus fuerit, rigideque reprehendere, in eosque pro delicti grauitate animaduertere. Prælatorum verò nomine omnis *Superior* cùm Ecclesiasticus, tum sæcularis (qualis is demũ fuerit) Dominus cum subditis, pater cum filijs, ciuitatis præfectus cum ciuibus comprehenditur. Qui omnes si officio huic, vel præ inertia ac negligentia, vel ficto pietatis clementiæque titulo defuerint; in subditos, & vniuersam suam Rempublicam, communitatem vel familiam, quin & in se ipsos crudeles erunt: vt interim taceam, quàm grauiter Deum offendant, qui falsam hanc pietatem, ac veram potius crudelitatem grauiter puniet.

Superiorum propria Correctio.

Eius negligentia crudelis.

PRIMVM: si enim insignis *crudelitas* foret, seruum *corpore* ægrum, lectoque defixum deserere, nec debita sanitatis recuperandæ remedia adhibere: quò citiùs moreretur; ecqua futura immanitas (inquit Basilius) in *anima* illum debilem & infirmum non corrigere & iuuare, ne moriatur? magna profectò crudelitas & immisericordia a *sacerdotis illius ac Leuitæ* fuit, dũ in seminecem viatorem à *latronibus despoliatum* incidentes, eiusdem nec miseratione tacti sunt, nec vulnera alligârunt, nec medicamen aliquod applicuêre. Econtrà præclara atque insignis *Samaritani* misericordia, qui *vulnera alligauit*, medicamentum, non modò olei, quod lenit; sed & *vini*, quod pungit, adhibuit, erit igitur (ait S. Augustinus) insignis & detestanda *crudelitas*, sinere vt proximus tuus & subditus moriatur in anima, eò quòd corrigere ac corripere negligas; summæ verò *pietatis* actus, medicinam adhi-

I.

Reg. 46. ex fusis.

a *Luc. 10. 31 Corpus curas animam neglige?* *1. Reg. ad fratres ca. 7 refertur q. 5. ca. 1.*

bere,

bere; etiamsi correctum pungat, ac dolorem incutiat. Et si Deus olim (vt scribit S. Chrysostomus) in veteri lege præcepit, vt qui in b *sui inimici bouē aut asinum* errantem incidisset, *ad eum reduceret*: cùm hoc humanitatis esset signum; contrarium verò, odium, animique auersionem indicaret, *quomodo*, inquit, non summa inhumanitas est, & *ferina crudelitas, non tantum nos curæ impendere hominibus, quantum alii iumentis*? Si tuum iumentum amittas; egrederis ad quærendum: si verò serui tui anima in discrimine pereundi versetur, non eidem succurrere eniteris? Insignis haud dubiè boni illius pastoris; b *ouescentum habentis*, pietas fuit, qui *nonaginta nouē* in ouili *relictis*, foras egressus *vnicam, quam perdiderat*, ouiculam; magna solicitudine quæsiuit, & *inuentam*, magnaque animi lætitia, *in humeros impositam*, ad caulam reduxit.

Si famulus tuus, peccato iam commisso, se perditum eat: noli illum in tartarei lupi faucibus deserere, à quo deuoretur, sed stude, allabora, enitere, vt ad caulam properè redeat, vt æternam damnationem euadat. Imò si id negligas, maiorem in te ipsum crudelitatem ostendes. Nam, si peccatum, quod tibi incumbit corrigere, dissimules: eiusdem te participem constituis: quin (teste S. Augustino) etiam *grauioris*. Peccatum quippe alterius forsan intemperantiam vel castitatem commissum est, tuum verò semper *charitati* aduersatur, sæpè etiam *iustitiæ*, & officij tui præscripto. Poterit ille vel in *ignorantiam*, vel in cæcum *affectum* crimen reijcere, tuum verò purgari non poterit, cùm in tuo conspectu morientem ipsum videas, nec tantum eius damnum impedias. In diuinam proinde iram incides, ita per Prophetam comminantis: d *væ pastoribus Israel* &c: *quod infirmum fuit, non consolidastis*; & *quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis*; & *quod abiectum est, non reduxistis*; & *quod perierat nō quæsistis: sed cum asperitate imperabatis eis, & cum potentia*; & *dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor. Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.*

Hvc addere licet: quòd hæc negligentia vniuersæ Reipublicæ & familiæ crudelis sit valdeque noxia: cuius bonum atque incolumitas in periculo propterea versari solet, quod sedula desit correctio. Quis neget, Sacerdotē Heli crudelem fuisse, cum filios corrigere neglexit; cuius correctionis defectu e *vterque eius filius, & ipsemet, ac triginta ciuium millia ceciderunt*, miserrimeque *perierint, & arca Testamenti* propterea à profanis Philistæis *capta fuerit*? vnde manifestum fit, superiorum in corrigendo *negligentiam*, in causa esse: cur & ipse, qui *non corrigit*; & qui *correctus non* est; & simul ipsa, in qua viuunt, *communitas* pereant, & ipsius DEI gloria illorum causa plurimum imminuatur. Illud verò maximum omnium hic incutit timorem, quòd Heli filiorum delicta coarguerit quidem: sed adeò languidè ac negligenter: nullum vt inde emolumentum prouenerit: ac propterea dixerit

2. *Hom. de feren. reprehensione &c. 2. ad finem.*
b *Exo 23.4. Deut. 22.1.*
3. *Imo bouem & ouem.*
c *Luc. 15.4.*
4. *Non corrigens grauius peccat. Serm. 16. de verb. Dom. tom. 10. D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2.*
d *Ezech. 34.*
Remissio toti Reipubl. noxia.
e *1. Reg. 4. 11.*

DEVS: f *magis honoraſti filios tuos, quam me*: magis ſcilicet ſolicitus eras, ne tuorum honor aliquod hac correptione detrimentum incurreret: quàm vt peccatum tolleretur. Vt hinc diſcas te non explere muneris tui partes *molli* adhibita correptione; quando illa non prodeſt: ſed acriorem rigidioremq; eſſe adhibendam, & *virgam* exerendam: ne tibi culpa imputetur; ac proinde de te familiaq; tua vindictam Deus exigat. Recordare, inquit S. Chryſoſtomus, olim, ſolo Achan peccante, dixiſſe Deum, g *peccauit Iſrael, & preuaricatus eſt pactum meum*; & vnius ob noxam in plurimos flagellum exeruiſſe: eò quòd periculum eſſet commune: quia peccatum, peſtis inſtar eſt: quæ omnes inficit in communitate, niſi correctio obſiſtat.

DENIQVE ſi *Deum* plus, quàm te ipſum; & *proximum*, ſicut te ipſum, ames; vterque hic amor ſtimulabit ad eundem corrigendum. Hinc etiã Chriſtus Dominus, dum fraternæ correctionis præceptum promulgaret, hiſce verbis vſus legitur: h *ſi peccauit in te frater tuus, corripe illum*, nõ dixit *in te* quaſi ad ſola peccata *in te* commiſſa, iniuriasq; proprias duntaxat correctio, ſe extenderet; cùm multò magis ad peccata in Deum, & proximos commiſſa ſpectet. Sed motiuum zelumque correctionis oſtendit; calcarque tibi addere voluit, vt peccatum proximi, velut rem ad te ſpectantem, ſumeres. Si enim Deum verè amares; & vnum cum ipſo per amorem exſtiteris: peccatum in Deum admiſſum, *in te* etiam admiſſum cenſebis: & quaſi in te ſolum admiſſum corrigere & corripere debes, & ſimiliter ſi proximum ſicut te ipſum dilexeris, illius damnum ac detrimentum, *tuum* item exiſtimare debes; & quemadmodum proprium tuum auertere omni ope conaris: ita & illius amoliri debes ſtudere, ne dixeris cum Caino: i *num cuſtos fratris mei ſum ego*? hoc nãq;, vt obſeruat S. Bernardus, non à fratris ore procedit; ſed inuidi & crudelis inimici, cum: k *vnicuique* (vt docet Eccleſ.) *mandauerit Deus de proximo ſuo*: ac fraternum ſit, non ſinere fratrem perire. Ne exiſtimes, inquit Origenes, te culpæ expertem, ſi dixeris: *Quid ad me, ſi peccet alter*? perinde enim eſt, ac ſi *caput* pedi diceret, quid mea refert, ſi tu vulnereris, modò ego integrum & ſine ſpes exiſtam? ſed inſignis hic eſt error, cùm membri vnius ſcabies & læſio vniuerſo corpori grauis ſit & noxia, ni per correctionem punitionemque citius tollatur.

f 1. Reg. 2. 29

Monitio inefficax non ſufficit. Hom. 1. de verb. Iſaiæ.

g Ioſue. 7. 11

h Mat. 18. 15

Dei & proximi iniuriam tuam reputa.

i Gen. 4. 9.

Serm. 5. de Ioan. Bapt. Chryſo. hom vlt. in 1. Co.

k Eccl. 17. 12.

Hom. 7. in Ioſue.

§. I. *Præſcribitur correctionis methodus, ne vltra limites feratur.*

AT quoniam Domini ſæculares ira perciti, grauiter in *corrigendo*, & grauiùs etiam in *caſtigando*, puniendoque delinquere ſolent: pauca hæc illis in familiæ gubernatione, obſeruanda ſunt. *Inprimis* conſiliũ illud Apoſtoli exactè ſeruare contendant: a *remittentes, minas*: non, vt eaſdem penitus dimittant; ſed vt nimium rigorem & exceſſum moderentur: ſicut

I.

a Eph. 6. 9.

etiam

etiam Ecclesiasticus suadet, dicens: b *noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Id est: noli *tyranni* instar, imperium ac dominium exercere; animo crudelitatem spirante: domum furibundis clamoribus, mandatis intolerabilibus, horrendis minis, & castigationibus inusitatis replendo: nam hoc non familiam conseruat, sed euertit, tibique ipsi non parum damni adfert: cùm quæ tua sunt destruas. Caue, ne te *leonem* exhibeas, sed *hominem*: ac memineris c *in spiritu lenitatis* te regere ac corrigere debere, cùm in eadem delicta incidere & ipse possis. Aequum quidem ac iustum est, minas & verbera intentare, seruorum id exigente duritia ac peruicacia: at tum eo procedas oportet modo, quo Apostolus ad Corinth. est vsus: d *quid* (inquit) *vultis: in virga veniam ad vos; an in charitate & spiritu mansuetudinis? virga* castigationis (ait Sanctus Thomas) & *charitas* ac mansuetudo erga subditum, sibi inuicem non aduersantur, sed potius interiùs sunt tanquam coniunctæ valdè sorores. Et Sapiens ait: e *qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Et si Apostolus in virga correptionis eosdem visitans seueritatem exteriùs ostenderet: internum charitatis & benignitatis spiritum non exueret. At externus hic seuerior vultus à *subditi dispositione* potius, quàm *superioris voluntate* nasci debet. Atque idcirco. Apostolus ait: *quid vultis?* quasi dixerit: vobiscum dispicite, vtrum horum cupiatis: nam à vestra id voluntate pendet; si vos ipsos emendaueritis, & culpam sustuleritis: non erit necesse cum *virga* me ad vos descendere, sed cum *spiritu mansuetudinis*: at, si rebelles exiteritis, & in peccato obdurati: *virgam* me adhibere oportebit. Atque ita, cum spiritus *lenitatis* non fuerit ad famulum puniendum sufficiens, iungenda est caritati virga *seueritatis*, ad occurrendum peccato, damnumque reparandum. Vt enim obseruat Sapiens: f *seruus verbis non potest erudiri* ad emendationem: *quia, quod dicis, intelligit: & respondere contemnit.* Hoc est, quamuis quid imperes, probè intelligat: non ideò tamen eadem exequitur, nisi pœnarum eum metus coërceat. Atque idcircò eleganter Sanctus Bernardus Eugenio Pontifici scribit, *ament te domestici tui; si non, facito vt timeant.* Egregia sane illa est regula, quam circa hoc Ecclesiasticus præscribit, dicens: g *cibaria, & virga, & onus asino, panis, & disciplina, & opus seruo,* quasi dixerit: eodem modo cum seruo agendum, atque cum equo vel asino agitur, cibus quidem illi ad vires corporis conseruandas suppeditandus, sed & opus præscribendum, ne otio diffluat, & inertiæ se dedat: sed laborando, Domino sit vtilis, disciplina denique & correctio adhibenda: *seruo,* inquit, *maleuolo tortura & compedes.* hoc est: si peruicax contumaxue, hero imperanti parere detrectârit: ad tormenta ac pœnas procedendum, clausstris & carceribus coërcẽdus: quo rebellis eius durities dignis puniatur supplicijs.

b Eccl. 4. 35. *Lenitas in correptione.*

c Gal. 6. 1.

d 1. Cor. 4. 21. *In eum locum.*

e Pro. 13. 24. *Seueritas non voluntaria sit, sed coacta.*

f Pro. 29. 19. *Lib. 4. de consid. prope finem.*

g Eccl. 33. 25. *Timeat, qui nescit amare.*

h *Vers.* 30.

Mox autem hunc rigorem moderatus, subiungit: h *non amplifices super omnẽ carnem. Verùm sine iudicio nihil facias graue.* Quasi diceret; noli in castigando *crudelitatem* nimiam præferre, vel excedere in puniendo; sed memineris, seruum tuum ac mancipium eiusdem tecum *carnis* esse: ac propterea cum prudentia humanitateque tractandum: nihil graue in ipsum temerè & inconsideratè statuendo: ne scilicet punitionem turbatus aut iratus, & vindictæ appetens animus suggerat; neciustitiæ & charitatis Christianæ terminos illa excedat: ne dum *alienam* culpam castigas, ipse incidas in *propriam.* Nam aut defectum castigas corporalem, eò quòd in *te* sit admissus; aut culpam in ipsum DEVM. Si primum: non minima foret temeritas, impudentiaque, propria culpa alienam, & quidem minorem, alia maiori velle tollere: si enim maledicta, iram, impatientiam, verbaque contumelioſa inter corripiendum admiscueris, aliud non effeceris, quàm nouarum in te grauiorumque culparum onus in DEI tui seruitio suscipere: quo minores multò corrigas, quas in tuo seruus commisit. Si verò dixeris, crimen in DEVM commissum corrigere te velle; non zelus, sed iracundia; non DEO gratum, sed offensa noua erit, hoc modo admissum crimen corrigere velle. Nec sanè sapientia fuerit, ita te in corripiendo ac castigando gerere, vt in eo quod agis, ipse corripi & castigari dignus habearis, ac tantum abest, vt vulneri medicamen ac remedium adhibeas, vt prauo tuo exemplo ipsum deterius reddas; in causa siquidem es, vt seruus tua iracundia in noua incidat delicta, qui tuus excessus, si adeò pernicioſus censetur, cùm in crimina culpasque vetè admissas animaduertis; quanto censebitur magis noxius, si non à veris serui culpis, aut defectibus; sed à praua, aspera, intolerabili, nimiumque præfracta natura tua nascatur? ita namque seruos tuos paulatim peruertis, & è bonis prauos; è fidelibus infidos, & fugitiuos reddis. Hinc subnectit Ecclesiasticus: *si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta; quoniam in sanguine animæ comparasti illum, si læseris eum iniustè, in fugam conuertetur,* atque ita bono, quod ab ipso tibi proueniebat, illius fuga excides. Prauam itaque & duram naturam tuam doma, ne bonos ac fideles seruos amittas, sed potius prudentia tua effice, vt qui mali & perfidi sunt, in melius deinde commutentur.

Sine culpa tua corrige alienam.

Cauenda subditorum exacerbatio.

i *Vers.* 31. & c. 7. n. 23.

ALIVD etiam huc inprimis spectans documentum, Dominis amplam habentibus familiam, seruandum proponitur: vt scilicet ex vniuerso seruorum numero vnum pluresue seligant, quorum prudentiã probitatemq; iam perspectã habeãt: vt in eis, quæ iã diximus; auxilio ipsis sint, cæterorũ curam gerãt; vitia illorum impediendo, & bonos mores inducendo: illisq; iniungendo (vti dicebat Moysi Ietro): vt, o *quicquid maius fuerit*, præsertim quæ ad cultum diuinũ spectant, *ad ipsos referant*, quò melius efficaciusq; remediũ

Domini fidelem eligant dispensatorem.

o *Exod.* 18. 8.

adhi-

adhibeatur. Illud ipsum consilium S. Bernardus Eugenio Papæ Præscripsit; *Li. 4. de con. prope fin.*
selige (inquit) ad familiam gubernandam vnum, qui, vt Dominus ait, p *seruus fidelis sit ac prudens, fidelis* quidem, ne ipse decipiat; *prudens* verò, ne de- p *Mat. 24. 45.*
cipiatur. Porrò nec hoc suffecerit, si defuerit tertium, ipsa inquam *auctoritas.* parum quippe profuerit *velle & scire* rem disponere, prout necesse
est, nisi adsit auctoritas, & manus ipsa ad exequendum. Danda ergò illi ad- *Huic auctoritas concilietur.*
hæc *facultas* agendi pro libitu. Si verò dixeris rationi consentaneum non
esse, tam amplam illi potestatem concedi: memento *fidelem*, qui agere ni-
hilominus pro ratione volet: attende *prudentem*, qui agere nihilominus
pro ratione sciet: sed fidelis hìc solersque voluntas tunc profuerit: cùm ei
affatim suppetet, vnde tota facilitate mancipetur effectui: cunctis ei sine
cunctatione parentibus. Itaque iste omnibus facienda iniungat: & vni o-
mnes respondeant. Nam si gentilis ille Ægyptius, qui omnibus suis *Iose-*
pho traditis ignorabat, quidnam domi suæ haberet, ob singularem, quam
de *fide* illius conceperat opinionem; erubescat Dominus Christianus, ser-
uo Christiano sua non credens, perspecta iã ante illius & fide & prudentia?
Addit verò idem Sanctus: quamuis in rebus temporalibus ampla hæc ei fa- *Spiritualia per se curent.*
cultas danda sit, domini tamen partes esse, non propterea bonum *spirituale*
negligere: multa, inquit, nescias, plurima dissimules; nonnulla obliuiscaris,
sunt tamen quæ ignorare te nolim; mores inquam & studia tuorum, non
opportet vitia domus tuæ vltimus scias: quapropter alius alia dispenset, de
disciplina tu prouide: illud nemini credas; tuum est, ea quæ ad animã spectãt,
non negligere. Quamobrem, etsi ad dominos non spectet per se ipsos *puni-* *Tu commone, puniat alius.*
re; sed castigationis executionem alteri committere; illorum tamen est *re-* q *Pro. 27. 23. Eccl. 7. 24.*
prehendere, & commonere: eò quòd maioris illorum verba sint efficaciæ,
propterea necesse fuerit illos, seruorum tanquam ouium suarum defectus
nosse; vigilis accuratique pastoris officio fungi. (Vnde Sapiens ait) q *dili-*
genter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera. quod si feceris, gloriæ
sempiternæ coronam adipiscaris, propter officium impensum ijs, qui tuæ
erant curæ concrediti; cùm hoc non alijs delegaris, sed ipse tibi assumpse-
ris. Ita fecit Booz noster, qui quamuis constituisset aliquem r *iuuenem* qui r *Ruth. 2.*
suo nomine *messoribus* ac seruis *præesset*; illos tamen ipse adire, & suis coram
oculis, quid rerum agerent, videre voluit. Nam quemadmodum *Episcopi*
Ecclesiæque prælati diæceses suas obire ex muneris præscripto tenentur, & *Episcopi tenentur visitare.*
pecoris sui vultum agnoscere; vt videant scilicet, quomodo curiones, paro-
chi, ac clerici officio suo fungantur; & cæteros fidelium confirment ac di-
rigant; omniumque saluti prospiciant: ita quoque domini *seculares* suo
modo visitationem instituant, & singulorum seruorum, cum maiorum tum
minorum actiones & opera perspiciant, ad bonos in officio confirmandos,

prauos verò reprehendendos & corrigendos. Maiores porrò viuitent, vt videant, num *fideles* sint & *prudentes*; quomodo data *facultate* vtantur & num suo munere propè fungantur, nullam minoribus iniuriam, aut molestiam exhibendo: minores verò, vt coram cernant, quomodo maioribus *obediant*; & num singuli ea, quæ ex officio incumbunt, debitè riteque *exequantur*. Hoc scil. modo ad literam intelligendum est, quod amicus Iob ait f *visitans speciem tuam, non peccabis*; speciem inquam domus tuæ: tua namque visitatione pacem & iustitiam conseruabis; & omnes domestici, tam vxor, quàm liberi & serui, officio suo fungentur, tuamque ad præsentiam ordinatè cuncta fient.

f Iob. 5. 24.

CAPVT VII.

SINCERITATEM AC PRVDENTIAM IN ALIORUM gubernatione, & commertio simul coniungendas: ne temerè quis iudicet, aut etiam se decipi sinat.

Sinceritas prudens

INTER cæteta, quæ in familiæ alicuius directione, & mutuo cum alijs commercio difficilia occurrunt, non postremum occupare locum crediderim *sinceritatem* cum *prudentia* nosse coniungere; nimia enim sinceritas & candor decipi solet cum magno prudentiæ præiudicio; & nimia prudentia cautelaque suspecta esse, cum sinceritatis detrimento. Idcircò dominus qui nihil mandauit, quod fieri nõ posset, in Euangelio discipulis ait: a *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut colũbæ*: quasi diceret, segregate à serpẽte & columba pretiosum à vili, & bonum à malo vile & malum reijcite; pretiosum verò & bonum amplectimini. E columba *sinceritatem* accipite & *mansuetudinẽ*, relicta *ignorantia & vecordia*: ne de vobis dicatur, quod olim de Ephraim Oseas: b *sicut columba seducta, non habens cor*; E serpentibus verò accipite *prudentiã*, & *cautelam*: *malitia, vafritie ac dolo* relictis: adeò, vt erga res & personas ad vos nõ spectãtes, oculos habeatis *colũbinos*, non curiosos vel suspicioſos, sed simplices & candidos: ne scilicet curiosè, temerè, & malitiosè aliorũ vitã inspiciatis & scrutemini: sed quæ in eis videtis & auditis sincerè ac leniter, & sine aliqua vestra perturbatione & anxietate pertranseatis: cũ ad vos nihil horũ pertineat: modò tamen in rebus tum proprijs, tum aliorũ, quæ vobis incũbant, ne stupidi ac negligentes sitis, vt eas inspicere & exactè cognoscere non curantes, vos ipsos certissimo deceptionis periculo exponatis: sed in his, astutos potiùs & sagaces imitamini *serpẽtes*, quos aiũt, *oculos* suos linire ac purificare, vt magis perspica-

Pretiosũ à vili separandum.

a Mat. 10. 16

b Ose. 7. 11.

Columba.

Serpens.

ces

ces ad videndum reddantur : *caput* verò insigni astu semper subducere,& occultare. Eodem igitur modo visum vos exacuere oportet; magnaque diligentia conquirere quidquid tũ ad vestræ,tum ad aliorum conscientiæ puritatem conseruandam conducere iudicaueritis:ne vestra forsan negligentia discrimen aliquod adeant, nisi maturè periculum imminens auertatis. absit tamen omnis malitia,& quæuis obliqua intentio.Hoc igitur est admirabile illud consilium,quod Christus omnibus & superioribus,& subditis, & inter se æqualibus dedit: vt *extrema*,quæ in vitium propendent, fugientes, *medium* sectentur. Ita tamen,vt in superioribus excellat cauta *prudentia* in cæteris verò *sinceritas* & candor:vti postea declarabimus.

Extremã vitanda.

Prudẽs superior, simplex sit subditus.

§. 1. *Temeraria iudicia,& aduersus eàdem remedia.*

A TEMERARIIS iudicijs sanctam *sinceritatem* euertentibus ducamus exordium : sunt hæc iudicii nostri sententiæ quædam definitiuæ,quæ quod nobis duntaxat ita videatur, sine certo vllo fundamento,aliena dicta, factaue condemnant. Quæ sententia, dum aliquo modo dubia est, & non nisi leuibus coniecturis nititur, dicitur *suspicio*.Ita iudicabat Sacerdos a *Heli annam* Samuelis matrem vinolentam & *ebriam* esse, quòd multis cum exoticis gestibus,ab Spiritus feruore prouenientibus, orantem videret.Melitenses quoque b *Paulum* Apostolum *homicidam* esse *dicebant*. quòd eius, tempestate iam erepti, digitum vipera præmorderet: quasi *vltio diuina non sineret eum viuere*. Sed temerarijs hisce iudicijs magna Deo irrogatur iniuria, quia temerè sibi talis arrogat, quod ad solum Dei tribunal spectat. nam quemadmodum in magnam turbationem, ac Reip. damnum cederet, si quisque sibi iudicandi partes assumeret; controuersiasque inter cives ortas suo calculo dirimere contenderet; aut si *secularis* Iudex in *Ecclesiasticas* causas, quæ sui fori non sunt sese immisceret,easque expediret: ita absurdum est ac temerarium te vilissimum vermiculum,Dei ac IESV Christi vniuersalis viuorum & mortuorum Iudicis,ad quem solum de verbis & operibus intimisque cogitationibus(vtpote qui solus illas perspectas habet) iudicare spectat, officiũ tibi non commissum,liberè vsurpare. c *Tu quis es*, inquit Apostolus, *qui iudicas alienum seruum*? d *Vnus est*, inquit S.Iacobus, *legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autẽ quis es, qui iudicas proximũ*? nõ attẽdis,te hoc tuo iudicio reipsa ostẽdere,Iudicẽ nõ esse vnũ: cùm & ipse tibi hoc munus arroges: Quænã tua,inquit Iob,audacia,vt e *faciem* & quasi laruã *Dei accipias*, *& pro eo iudicare nitaris*,vsurpãdo tibi temerè quod Deitati illius est propriũ? f *noli ante tẽpus iudicare*,cũ certũ Deus iudicio diẽ præscripserit. Terribile in hanc rẽ exẽplum refert S.Dorothens de monacho, qui cum audisset quendam in fornicationis peccatum incidisse sine vlteriori examine illum condemnauit. Cumque paulò post fornica-

Suspicio.

a 1.*Reg*.1.14

b *Act*.25.4.

Dei est iudicare,cum tu tibi id sumis?

c *Rom*.4.12.
d *Iac*.4.12.

e *Iob*.31.8.

f 1.*Co*.4.5.

tor

Angelus arguit iudicantem. apud Clem. c. 2.

tor ille defunctus esset, apparuit monacho Angelus quidam, defuncti animam secum adducens, vt illã iudicaret, sententiamque vltimã in eã ferret: cùm iam ante illam dijudicare cepisset. Quo audito, perterritus monachus, grauem suum errorem animaduertit: & in posterum cum quodam alio dixerit proculdubio: *non iudicare veni, sed iudicari.*

2.

g 1. Co. 2. 11.

h Iere. 17. 9. *Occulta & futura vnde scis? Coniectura non sufficit. Epist. 2. decret. l. 19. mor. c 14.*

i Gen. 18. 21.

k Ioa. 7. 24.

ADHÆC: quæ maior temeritas esse potest, quàm occulta, quæ nec scis, nec scire potes, dijudicare, g *Quis* (ait Apostolus) *hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Imò & ipsummet multa eorum præterreunt, solusque h *Spiritus* diuinus illa *nouit, qui cordis* penetralia *scrutatur.* Quomodo verò iudicare poteris illum, qui hodie improbus est, cras talem etiam futurum, vel non conuertendum: cùm solus Deus norit, quæ euentura sint? Si dixeris: ex indicijs externis perspici posse, quę intra mentem delitescunt, quęque postea euentura sunt: hoc ipsum, *temeritatem* tuam arguere, & prudentiæ defectũ indicare, tibi respondeo. Imò, quãuis legitimus proximi tui Iudex esses cõstitutus: eundem tamen nisi sufficienti rei probatione precedente dãnare nõ deberes: quare si nudis leuibusque indicijs nixus illũ condẽnes: insignẽ illi iniuriã irrogas. Nã & ipse Deus (vt Euaristus, & Greg. Pontifices obseruarũt) quò nostrã temeritatẽ iudicandique pronitatẽ refrenaret, Sodomitarũ peccata dijudicare noluit, nisi verbis illis præmissis: i *descendã & videbo, vtrũ clamorẽ, qui venit ad me, opere cõpleuerint; an nõ est ita, vt sciã:* quo loquẽdi modo ostẽdere voluit, se nõ ex solo relatu, aut leuibus cõiecturis dijudicare; sed re planè comprobata, & benè perspecta, k *nolite* inquit Dominus *iudicare secundum faciem, sed iustum* veritatisque conforme *iudicium iudicate.*

3.

l Tob. 4. 16. *Velles ne iudicari?*

IDEM suadet lex illa naturalis, quæ precipit: l *quod ab alio oderis tibi fieri: ne tu alteri facias.* Nolles porrò à quoquã temerè iudicari de rebus tuis: cur igitur de alienis ipse tam leuiter dijudicas? nolles ab alio interiùs contemni: cur ergò tu aliũ contẽnis? Si nolles falsũ testimonium ab alio de te dici: cur tu iniustè & immeritò aliũ calũniaris? temerariũ.n. iudicium aliud non est, quàm quidam proximi contemptus, & falsum de illo testimoniũ, quod in corde aduersus illum profers, dum sinistram de illo concipis opinionem.

4.

m Luc. 6. 37 Mat. 7. 3. *Serm. 6. Iudicans alium sæpe grauius peccat.*

DENIQVE: si *proximi* peccatum tam graue tibi videatur, considera, quæso, *tuum* quod temerè hic iudicando committis; sæpè etiã *grauius* fore. Audi quid in hãc rẽ olim edixerit Dominus, m *nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & nõ condẽnabimini. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem* autem quæ *in oculo tuo* est, *non* consideras? Fatue, inquit, sanctus Dorotheus, dispice tecum ipse temerarium iudicium; de proximo tuo, eiusque contemptum, magnæ *trabis* instar esse, oculos tuos opprimentis; peccatum verò illius, quem tu condemnas, non nisi *festucam.* Tibi

ergò

ergò certò persuadeas grauius tibi imminere iudicium; ac maiorem impendere condemnationem. o PHARISÆVS, qui vnà cum *Publicano orandi* causa in *templum ascenderat*, condemnatus egressus est; non quòd ob Deo accepta beneficia gratias ageret, sed quòd temerè iudicasset, & cõdẽnasset publicanũ: vt nefariũ ac scelestum reputans eum, qui sua pœnitentia se iã iustificauerat. Atq; vt præceps hoc Phariſæi iudicium publicano nihil nocuit, sed ipsimet à quo profectũ erat: ita quoque (inquit Augustin.) sæpè iudiciũ temerarium minimè nocet ei, qui iudicatur: iudicanti tamen semper temeritas nocet. Ac præter hanc culpam duo grauia tibi afferet mala; primum, quòd iusto Dei iudicio in eadem peccata ipse incidas, de quibus iudicas: quemadmodum bonus ille senex, qui de seipso (referente Cassiano) dicebat: in tribus iudicaui & reprehendi fratres meos: & in eadem tria ipse deinde sum collapsus. memineris etiã terribilis illius sententiæ Christi: p *in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini*; & Apostoli: q *propter quod inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.*

HINC secundum oritur incommodum, permissurum scilicet Deum vt alij quoq; te sint temerè iudicaturi, vt ipse alios iudicas. Idcircò non immeritò Propheta dixit: r *væ qui prædaris: non etiam prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* æquissimum namque est, vt s *eadem mensura remetiaris, qua* proximo *mensus es.*

QVIS denique miseram & infortunatam vitam mortemq; amaram referat, quã huiusmodi iudicia suspicionesq; adferent, si praua eisdem consuetudine assueueris? illa siquidẽ (vt B. Dorotheus benè notauit) à cõmercio familiaritateq; DEI te auocãt. neq; enim is lumen suũ *oculis* immittit, huiusmodi trabibus impeditis. Impediunt etiam, ne proprios possis *defectus* agnoscere, dum nimis in alienis dispiciendis occuparis. *animam* quoque turbationibus, angustijs, curis, molestijsque replent; quin & *os* ad murmuta, querelas, detractionesque soluunt. Suspiciones, (inquit S. Augustinus) venenum amicitiæ sunt & pestis: quòd vnionem turbent, pacẽ auferãt, confidentiã tollant, ac fidelitatẽ, quã inter amicos esse oportet, discindant. Quænã enim inter cõiugatos futura cõcordia, si nunquã absint suspitiones? inter superiores & subditos, si alter alterũ semper habet suspectum? inter fratres & religiosos, si de cogitationibus & intentionibus mutuis temerè diiudicant? O execrandã in iudicãdo temeritatẽ, tot malorũ causam & radicẽ! Sed quid mirũ, tã prauos ipsam fructus edere, cũ, teste S. Thoma, tam prauas habeat radices? temerè sc. iudicãtis malitiã; & illius affectũ, odio, rãcore, inuidia, vel præsumptione deprauatũ? hinc dixit Salomõ: t *cor sapientis in dextra eius; & cor stulti in sinistra illius: sed & in via stultus ambulãs, cũ ipse insi-*

o *Luc.18.*

5. *Prauum iudicium iudicanti noxium.*

Lib.2.de ser. Dõ. in monte c.6.

6. *Te ipsum iudicas.*

Li.3.c.30.

p *Mat.7.1.*

q *Rom.2.1.*

7. *Alij te iudicabunt.*

r *Isa.33.1.*

s *Luc.6.38.*

8. *Serm.9. Suspicionum damna.*

Lib.de amicitia c.24.

9. *2.2.q.60. a.5.*

t *Eccl.10.2. Radix prauæ Iudicij.*

pies sit, oes stultos æstimat. NEMO est qui nesciat, oēs homines naturaliter cor eodē in latere habere: sed improbus, & inimicus, inuidus atque arrogans in *siniſtro* illud habere dicitur; eò quòd siniſtrè de alijs sentiat: atque vt Plutarchus ait, odio excæcatur: vt ea, quæ videt, in malam deterioremq; partem interpretetur; & vbi ipse impegit; & alios impingere putet: & (vt in libro Iob dicitur) u *cùm pax sit insidias suspicatur.* Nā (vt declarat Greg.) quidquid ille de proximis suis cogitat: hoc illos de se viciſſim suſpicatur cogitare. Cor itaque à siniſtro latere in quo illud habes, in dextrum transmuta, in quo iusti, misericordes, humiles, ac simplices illud habent: vt ita iudices, alios eodem in loco illud habere. Attēde, inquit S. Dorotheus, quòd eundē, *cibum* sanus homo in bonum, æger in prauum ac vitioſum humorem conuertat: quin & qui bonæ est corporis cōstitutionis, etiā ineptum & vitioſū cibum ſolet in bonū ſanguinem conuertere: & tu ſi Sāctus fueris, quod alij temerè cōdemnant; tu cum caritate excuſabis: quæ) vt Apoſtolus ait) x *non cogitat malum,* y *& operit multitudine peccatorum*; & quidquid proximus egerit, rectè interpretatur: ſicut Sanctus ille Monachus, qui cū aliorūm cellam *minus* ordinatam cernebat, nimio id erga ſpiritualia ſtudio & ardori adſcribebat: qui adeò exactè corporalibus vacare non ſineret: cū verò aliorū *benè* compoſitam mundatamque videbat: quemadmodum ſedulam animę ita & exteriorum rerum curam illos habere aiebat. Huc ſpectat quod Apoſtolus ait: z *is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat manducantem non iudicet.* cùm enim opera *arbitraria* ſunt, quæ tum benè, tum malè agi queunt: quiſque debet exiſtimare proximum in eo, quod agit, non errare; ſed benè agere. Quod ſi opus *externum* excuſare nequeas (ait Bernardus) *intentionem* ſaltem excuſa: tibique perſuadeas, id ignoranter, aut inaduertenter & fortuitò eſſe factum. Si verò nec huc deſcendere licuerit; eò quòd culpa ſit nimis euidens ac manifeſta, dic intra te ipſum: vehemēs aliqua *tentatio* virum hunc inuaſit, ac poſtrauit: quid ego feciſſem, ſi eadem me fuiſſet aggreſſa. Adiungit S. Dorotheus, alium Monachum religione inſignem dixiſſe in re ſimili; Is *hodie* peccauit, ego forſan *cras*; is ad ſe reuertetur, reſipiſcet, agetque de commiſſo pœnitentiam, ego forſan non agam: nam ad omne opus bonum piger & lentus ſum. Et quamuis in hac excuſatione interdum decipi te contingat: non propterea omittenda eſt. nam, S. Auguſtino teſte, tolerabilius & melius fuerit cogitare, malos eſſe bonos; quàm praua iudicandi conſuetudine ſuſpicari, bonos eſſe malos. nam in hoc poſteriori iudicio bonos offendis in priori nec malis, nec tibi ipſi noces: recta ſiquidem intentione procedis, & iuxta Chriſtianæ prudentiæ regulas, quæ in dubio proximo fauet, boni ſui nominis poſſeſſionem habenti.

Li. de vtilitate ab inimicis capienda.

u *Iob.15.21. Li.12.c.21. & lib.14.2. D. Au. ſer. 12. in pſ.112. Serm.6.*

x *1.Cor.13.5.* y *1.Pet.4.8.*

Omnia benigne interpretare.

z *Rom.14.3.*

Serm.40. in Cant. Charitas ingenioſa.

" "

" "

Serm.6. Hodie tibi cras mihi

Hom.in id nolite iudicare, tom.8. Expedit errare in bonum. D.Tho.2.2. q.60. ar.4. ad 1.

§. II. De cautela adhibenda, ne quis decipiatur.

QVIBVS aliorum cura non incumbit, facilè *columbinam* simplicitatẽ ijs, quæ ſuggeſſimus, medijs conſeruare queunt: ſecurè enim ac tutò oculos ab alienis defectibus auertere poſſunt, cùm ad illos non pertineat remedium adhibere, ſuſpicioni ſuæ dicẽdo: a *quid ad te*, quod hoc fiat, aut illud? noli quod tibi minimè incumbit, inquirere. At ſuperiores ac Domini, oculos apertos habeant oportet. ad ſubditorum delicta inſpicienda, ijſq; remediũ adhibendũ; aut in tẽpore periculo occurrendũ. Ideò neceſſe eſt eos ita *ſimplices* eſſe, ſicut columbas; vt ſimul ſint *prudẽtes*, ſicut ſerpentes. Hinc cũ cõiecturis nõnullis mori crimẽ aliquod ſuſpicantur: licet eis (vt docet S. Tom.) iuquirere & ſciſcitari quantum ſufficiat ad plenã rei notitiã aſſequendã, crimẽ deprehẽſum corrigendũ: ſeruata tamẽ caritatis iuſtitiæq; regula, iuxta illud Eccleſ. b *pruuquam interroges, ne vitupereſ quenquã: & cùm interrogaueris, corripias iuſtè*; ita ſcilicet, vt neque iuſtitiæ limites in inquirendo aut corrigendo *egrediaris*; neque etiam negligentia & indiſcretione in ijs, quæ officij tui ſunt, complendis *torpeſcas*. Obſeruauit hoc venerabilis Booz cùm ſeruos & meſſores ſuos inuiſit. videns namq; iuuenculã & alienigenam RVTH ſibi in incognitam inter illos verſari, *ſerpentina* prudentia ac Zelo inquiſiuit, ecquẽnã illa eſſet: quò ſuorum honeſtatem tectã ſartamque conſeruaret: ſi fortaſsè laſciua quædam mulier fuiſſet, externa ſpecie nequitiam internam velans: ſinceritate tamen ſimplicitateq; *columbina* temerè de illa non iudicauit, neque malũ eſt ſuſpicatus, aut indignans & furens illam mox abire compulit: ſed, qua erat prudentia, non priùs illam iudicauit, quàm rem maturo examine libraſſet, ne forſan vel innocentem condemnaret, vel ream inter ſuos indemnẽ fineret. Quamobrem veritatis cognoſcendę ſtudio primarium ſeruum; cui meſſorum curam crediderat, ad ſe vocans, examinansq; obiter circa ea, quæ officij ſui erant; tandem petiit: c *cuius eſt hæc puella*? vnde venit, quis huc eam adduxit, quomodo inter meſſores noſtros verſatur? nec porrò *imprudens* aut *curioſa* tantum hæc fuit interrogatio, ſed planè *diſcreta* ac *neceſſaria*: ſuperiorum quippe eſt, non ſegnes eſſe in ſubditorum rebus inquirendis, aut temerè tanquam bonum credere, quod boni ſpeciem habet, niſi decipi velint. quemadmodum d Ioſue Dux à Gabaonitis fuit deceptus, dum ſe è longinquis regionibus ad pacem ineundam veniſſe mentiebantur: nullum aliud mendacio ſuo ſtabilimentum adfetentes, quàm veſtes detritas, panemque valdè induratum. Ioſue verò ſine vlteriori exanime aut inquiſitione fidem eis adhibuit: fœdusque cum illis percuſſit: contrà quàm Deus ſtatuiſſet, quem licèr Sanctus Ambroſius excuſet, dicens: *quis*

Subditi ſint ſimplices.

a *Ioã. 21. 22. Superiores prudentes.*

2. 2. q. 6. a. 2. ad 3.

b *Eccl. 11. 7. Ne quid nimis.*

Rut. 2. 5.

Superiores nec diſſimulent, nec temere iudicent.

c *Rut. 2. 5.*

d *Ioſ. 9. 6.*

Lib. 3. offic. c. 10.

hoc reprehendat in Sanctis, qui ceteros de suo affectu æstimant? nam, vt sancti sunt veritatis amici, & ab omni fraude alieniſſimi: ſincerè credunt ſe à nemine decipi: ſacra tamen ſcriptura aliquã illius in credendo, paceque cũ eis ineũda *incuriam* inſinuat: quia ſcilicet e *os Domini non interrogarit*, ſed antequam Deũ conſuleret, (quod alijs in rebus facere ſolebat) id effecerit, vt ita euidens fiat, nõ ſufficere *ſinceritatem*, niſi comes acceſſerit *prudentia*, quæ omnẽ fraudi vitã præcludit. Propterea dixit Spiritus S. in Canticis: f *oculos ſponſæ eſſe ſicut columbarum, abſq; eo quod intrinſecus latet*: quaſi diceret, quãtumuis oculi ſinceri & candidi ſint in rebus exterioribus conſiderandis & inſpiciẽdis: internè tamen viſum alium acutiorem magisque penetrantem illã habere, ad videndũ ea, quæ tum ad proprium, tum ad alienum commodũ ſpectant. Hoſce porrò oculos Chriſtus D. *Serpentum* prudentiam nominauit: quum ſimplicitatem columbinam priùs diſcipulis commendauit; futuri ſiquidem erant magiſtri ac ſuperiores aliorum: ad quod non tam ſimplicitas, quam prudentia conducebat, vti in ſequentibus latiùs deducetur.

c *Ver.* 14.

f *Can.* 4. 1.

Sit prudens ſinceritas.

CAPVT VIII.

DE VERITATE ET FIDELITATE IN VERBIS ac promſſis, omnis mendacij fraudisq; genere reiecto.

a *Ier.* 4. 2.

MVTVVM inter homines commercium, & conſuetudo, quò perfecta plenaq; ſit, *tres* illas comites ſemper habeat neceſſe eſt, quas Ieremias a VERITATEM, IVDICIVM, ac IVSTITIAM nuncupat: nam licèt ille verbis nominatim, quæ *iuramento* confirmantur, tales ſocios aſſiguet (*reuerentia* ſiquidem Sancto DEI *nomini* debita exigit inprimis, vt illi omninò adſint) tamẽ ſi (Thoma teſte) in noſtris omnibus colloquijs, modò perfecta ea eſſe velimus, eoſdem etiã adeſſe par eſt, includunt. n. *tres* virtutes inſignes, quarũ eſt linguã cõpeſcere ac refrenare, ne in verba iniqua prauaq; laxetur, iuxta illud Eccleſiaſtici conſiliũ: b *aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos*: ad verba ſcilicet tua ponderanda, quorum materia eſſe debet aurum & argentum *trium* harum virtutum: VERITAS ſcilicet ſiue veracitas ac fidelitas. quæ non aliud dicit, quàm ſentiat; promiſ-

a *2.q.89.a.5 ad 5.*

In verbis.

b *Ecc.* 28. 29.

Veritas.

millaque implere gestit; Iudicium, & discretio quæ benè id ipsum cogitat; dicitque, vt oportet; Iustitia denique, quæ ad aliorum profectum, & nullius damnum, quod æquum & iustum est loquitur. Porrò omnes tres implere quam maximè conantur, & connituntur sanctum illud Pauli consilium: c *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Harum tamen virtutū effectus & sphæra, multò patet latiùs: vtpotè quæ officia, status ministeria, omnigenaq; opera complectitur, in quibus, vt perfecta sint, Veritas, Iustitia, ac Iudicium resplendere omninò debent.

Iudicium. Iustitia.

c *Ephes. 4. 29.*

§. 1. *De veritate in verbis sita.*

A Veritate ducentes initium, illam omittamus, quam S. Hieronymus Vitæ veritatem appellat, & de qua S. Ioannes Apostolus dixit: a *maiorē horū non habeo gratiam, quàm vt audiā filios meos in veritate ambulare,* cùm eius amussi, quæ Dei, statusq; & officij lex est, vitam conformātes; & externas omnes actiones ad eas, quæ in corde latent, sine vllo fuco & hypocrisi accommodantes. At quoniam veritas hæc latissimè patet: ad particularem, quæ in *verbis* consistit, veniamus. Hæc porrò *duplex* est: *altera,* cum *verba rebus* ita respondent, vt neutrum ab altero dissentiat: cuius contrarium dicitur *falsitas,* quæ ab *ignorantia* proficisci solet: *Altera,* cum ipsa *verba* à cogitatione *interiori* non dissident; & huius oppositum dicitur *mendacium,* quod à *malitia* procedit: ac proinde non idem est, mentiri, & falsum dicere: *mentiri* namque est secus dicere, quàm in animo tuo sentias: quamuis idem in facto ipso sit verum, exempli causa; mentieris coram Deo, si cogitans tibiq; persuadens tria & quatuor coniuncta, octo constituere: dicas tamen, constituere septem: at falsum dicere non semper peccatum includit, cùm ex ignorantia putas, ea, quæ dicis, vera esse. Quod fieri etiam potest, sine vllo alterum decipiendi animo: nam mendacij finis proprius est decipere, & in fraudem pertrahere: ac propterea nunquam non malum est, iuxta illud Ecclesiastici: b *Noli velle mentiri omne mendacium:* Id est, vt exponit S. Augustinus: noli loqui mendacium *sacrilegum* aduersus Deum, nec *perniciosum* in proximum; neque *iocosum,* quod recreationis ergò dici solet, nec denique *officiosum* ad aliquod tibi vel proximo commodum accersendum: nunquam siquidem licitum est (vt Innocentius Pontifex definiuit) mentiri: quamuis omnium inde mortalium salus dependeret, nunquam enim bonum id esse potest, quod natura sua malum est. Quemobrem, sicut impossibile est, Deum desinere esse Deum, ita fieri non potest vt mentiatur. Mysterio porrò non vacat verbum, *noli* Velle; significat enim: quamuis malum sit, inaduertenter, aut ex præcipiti aliquo motu siue passione mentiri; multò tamen peius esse, si sciens volensque mentiaris, propterea

Veritas vitæ.

Apud Gloss. Matth. 15.

D. Tho. 2. 2 q. 109. art. 3 ad. 3.

a *Epist. 3. 4.*

1. Verba sint nec falsa nec mendacia.

b *Eccl. 7. 14.*

In Psalm. 5.

D. Dho. 2. 2 q. 110. art. 3. & 4.

Cap. super eo de vsuris. Deus nequit mentiri.

2. Sancti rarissimè.

quàm *rarissimè* in viros valdè perfectos cadit mentiri, vti obseruat S. Gregorius exponens feruens illud S. Iob studium, animíque decretum, quod verbis illis expressit: c *viuit Dominus: quia non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur mendacium.* Turpius, inquit, est, meditari mendacium, quàm loqui, nam *loqui* plerunque præcipitationis est: *meditari* verò, studiosè prauitatis. Sed vir Sanctus, vt perfectè adhæreat veritati, nec studio se perhibet, nec præcipitatione mentiri; summoperè enim cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam, vt vitam alteri præstet, mentiatur: sed hoc quoque mendacij genus perfecti viri summoperè fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur: ne animæ suæ noceant, dum præstare vitã carni nitũtur alienæ. Et quamuis d *obstetrices* Aegypti mentitæ sint, quò pueros Hebræorum neci subducerẽt; & licet hunc in modũ in veteri testamẽto nonnulla possint talia reperiri, nunquam tamen hoc vel tale genus mendacij à perfectis admissum studiosus ibi lector inueniet. Hæc S. Gregor. Huc addere licet, quòd studio meraque sponte mentiri non modò *perfectioni* Euangelicæ, sed & humanæ *nobilitati* quàm maximè aduersetur. Nam, vt dicit Ecclesiast. e *opprobrium nequam in homine mendaciũ, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis.* Nam ille facultates, hic verò *veritatẽ* surripit, ac deprædatur; sæpè etiam *nomen* & honoré, vterque porrò communem Reip. *pacem* destruit ac dissipat: & quocunq; perrexerint, eos sequitur *ignominia* & confusio. Quin & in mundo inter viros honorabiles probrosum est, cuiquam dicere, quod mentiatur; idque meritò, quia mendacium vilis & abiecti generis esse reputatur. Atque S. Dorotheus ait, proles *diaboli*, quem testatus est Dominus, f *in veritate non stetisse, & cùm loquitur mendacium ex propriis loqui, mendacẽ enim esse, & mendacii patre*: quod ab ipso ortum habuit: dum scil. mendacio quodam confecto, Euam in fraudem pellexit, ac totius humani generis mortis causam dedit. Quare mendaces omnes dæmonem sequũtur, & à Deo, qui suprema ac summa veritas est, recedunt, neque agnũ sequi possunt, quocunq; ierit; nam illum sequẽtibus, ait Ioannes: g *nõ esse inuentũ in ore eorum mendacium*: neq; cælorum habitaculum subire vllus poterit, qui eodẽ fuerit h *inquinatus*. non quod officiosum vel iocosum mendacium semper cęlo arceat, cùm veniale tantum peccatum sit: sed quòd prius id purgari debeat, quã in cælũ aditus pateat: & quòd viam paret ad perniciosũ, quod lethale est. Hinc ait Scriptura, Deũ i *perditurũ omnes, qui loquuntur mendaciũ*: & k *os, quod mentitur, occidere animã*, & nõ rarò causam esse mortis corporalis, cùm nimirũ subditi corã superioribus, à quibus vice Dei reguntur, mentiri præsumunt. Exemplo fuit l *Ananias, & Saphira*, qui funesta horrendaq; perierunt morte, quòd Apostolorum principem

deci-

Lib. 18. c. 4

c Iob. 27. 4.

Mendaciũ ore meditatum turpius.

d Exo. 1. 19.

3.

e Eccl. 20. 26. Mendax fure peior.

4.

Serm. 9.

f Ioan. 8. 44 Mendax Sathanæ proles.

5.

g Apoc. 14. 5

h Apoc. 21. 27 Mendacium cælo arcet.

i Psam. 57.

k Sap. 1. 11. & Vita priuat.

l Act. 5. 4.

decipere conati, imprudenter mentiti sint, à quo audiuerunt, *non hominibus sed Deo*, cuius vices ipse agebat, *mentitos* esse.

Denique non sine causâ Christus Redemptor vetuit, ne Christiani iuramentis assuescerēt, sed omnis *sermo* illorū esset, k *Est, est: non, non*: discerent se ita veraces in verbis esse debere, vt digni sint, quibus siue affirmantibus siue negātibus, siue promittētibus, etiā nullo adhibito iuramēto, fides adhibeatur. Hisce de causis detestandū ac fugiendū est omne mēdacij genus, nō modo ipsū quod patēs est & manifestū; sed & tectū & inuolutū: quod quia voluti pallio aliquo obtegitur, infame ac probrosū non habetur. Atq; idcirco apud plurimos hodie in vsu est, modò rē exaggerātes, modò diminuentes, ex quo *duo* vitia oriuntur, quæ S. Thom. cum Aristotele Iactantiam nominat, & Ironiam. Illa magna & grādia de se ipsa prædicat; & maiora quam reuera sint; & quæ aliquando honori *diuino* aduersātur, qualia fuerunt superbi illius, qui apud Prophetā dicebat: l *Deus ego sū*, aliquādo honorē *proximi* lædūt: vt illa arrogātis m *Phrisæi* magnifica de se ipso deprædicantis, alios verò per se despiciētis, aliquādo etiam nōnisi ad vanitatē aut cōmodū aliquod *tēporale* proferūtur: ac tum nōnisi veniale peccatū fuerit, aliàs lethale. Ironia rē minuit, & pauciora de se dicit, quā reuera sint, idq; ficto humilitatis titulo, de quo benè S. Aug. dū prætextu humilitatis mētiris: si ante peccator nō eras; mentiendo efficeris. Interdū hæc à malitia & *hypocrisi* initium habet, vt sanctitatis nomē sibi comparet; interdū ab *indiscretione* & imprudentia, & propterea dixit Eccles. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sūt dolo*. Deflectūt item à veritate ad excessus aut defectus extrema oēs *adulatores*, & assentatores, & quotquot aulicas fictasq; benēuolentiæ & amoris cæremonias vsurpāt: & similiter duplices animo, ioculares, fraudulenti, astuti, subdoli, qui æquiuocis & amphibologicis verbis ad ea quę dixēre vel fecēre; velagere aut negare conātur, dissimulāda, vtātur, qualia de o *muliere adultera* refert Sapiens, quòd scil. *comedat, tergensq; os suū dicat: non sum operata malum*. Fraudes hæ (vt ait S. Doroth.) à *tribus* procedere solēt radicibus, maximè in subditis. *Primò* namq; nascuntur ex *superbia*, qua quis culpā tegit, ne à superioribus reprehendatur, & castigetur; vel cum fraude eandē excusat, dū reprehenditur; vel veritati ipsi præfractè obnititur, vt victor euadat. *Deinde* oriūtur à *sensualitate*, qua necessitates aliquæ, & lassitudines fingūtur, ad leuamē aut relaxationē aliquā impetrandā; vel ad laborē, qui imponitur, reijciendū; vel ad se exhilarandū, & tēpus garriendo fallendū, nugas & fabulas, quæ magis illis arridēt, referendo. *Tertia* radix est *auaritia* & propriorū cōmodorū cupiditas, vt qui negat ea, quæ habet, ne dare cogatur; vel ne superior auferat; vel rationes fictas & mēdaces pducit, ad euincendū id, q desiderat: huc referuntur etiā infinita illa mendacia, quæ lucri gratia negotiato-

6. k *Mat.* 5. 37. *Mendacium tectum.*

2. 2. q. 112. & 113. *Iactantia.*

l *Ezec.* 28. 2. m *Luc.* 18. 11 *Ser.* 29 & 31 *de verbis Apost. Ironia.*

n *Eccl.* 19. 23. *Adulatio. Duplicitas. Prou.* 30. 20. *Serm.* 9.

1. *Superbia.*

2. *Sensualitas.*

3. *Auaritia.*

Mercatorū.

res

Aequiuocatio pessima.

res inter negotiandū intermiscere solēt. Subtilissima porrò mēdacia verbis proferuntur *aequiuocis*, variumque sensum admittentibus: nam ita reipsa mentiuntur, vt nemo mendacium manifestum esse deprehendat: & cū nunquam mentiri videantur, nunquam tamen veritatem proferunt. Addit verò idem Sanctus: si aliquando ad vitam proximi conseruandam, vel pacem Reipublicæ fouendam, verbis commutatis veritatem tegere, ac *dissimulare* necesse esset: id quidem in tali articulo & necessitate licere; sed magnā id cautelā faciendum, tempusque illud tanquam tempus *tentationis* lapsusque periculo expositum iudicandum: ac proinde suadet, huiusmodi verbis non consuescere: nam, vt noxium foret, sæpe medicamentis purgantibus vti ita non parum noceret talem sermonem sæpius vsurpare, quo veritas ipsa tegitur. quare non nisi in *extrema* quasi necessitate, & summo adhuc cum timore vsurpandum; præmissis etiam coram DEO intentione ac desiderio nostro à recto nō aberrandi, causamque necessitatis adducta, quæ huiusmodi verbis ac phrasi tunc nos vti compellat. Hæc è S. Dorotheo, vnde manifestè patet, quàm sancti solicitti de verborum suorum veritate fuerint, ne vel minima mendacij vmbra in ijsdem appareret.

Dissimulatio periculosa rarissimè adhibenda.

§. II. *Fidelitas in promissis adimplendis.*

2.2 q.8.a.1. ad 2. & q. 110.a.3. ad 5.

VERITATI, de qua hactenus, coniuncta est FIDES siue FIDELITAS (vt S. Thom. ait) in ijs adimplendis, quæ alijs promittimus. Quæ, vt recta sit, *duo* complectitur veram scilicet *intentionem*, ea, quæ promittuntur, implendi; (sine qua ipsa promissio mera fraus, ac mendacium censeretur: cùm aliud lingua loquatur; aliud lateat in corde) & ipsam suo tempore *expletionem* promissionis, ita vt firmiter, & constanter, quòd promissum est, opere ipso præstetur, iuxta S. Gregorij decretū illud *studiose agendū est, vt, quæ promittuntur, opere cōpleantur*, id quod FIDEI est maximè propriū: quæ, teste Cicerone, *fundamentum iustitiæ est, id est, dictorum, conuentorumq; constantia & veritas*, vt totius Reipublicæ bonum consistere possit, omnesque rectè suis officijs ac muneribus fungantur, & eorum obligationibus plenè satisfaciāt, superiores erga subditos; & hi erga illos, paresque erga pares. Quare Fidelitas ita semper Veritatem inter & Iustitiam versatur, vt Veritas eam præcedat: sequatur verò Iustitia; & ita vtraque eam comitetur, vt omnes tanquam tres sint valdè germanæ coniunctæque sorores, supremi illius Domini valdè propriæ ac familiares, quem S. Ioannes vidit super album equum sedentem, qui a *vocabatur Fidelis & Verax; & cum iustitia iudicat & pugnat.* Vt intelligeremus, Diuinum Verbum Incarnatum sacratissimæ suæ humanitati, Fideliumque congregationi (per *album* equum, vt suprà insinuauimus, significatis) præsidens eos cum *veritate* in omnibus quæ dicit; cum *fidelitate* in adimplendis promissis; & cum *iustitia* in suis decretis legibusque constituen-

C. qualiter. de Pactis.

Lib. 1. officiorum.

Veritas. Fidelitas. Iustitia.

a Apoc. 19. 11.

tuendis gubernare: imò & in ipsis, quas in suos hostes init, pugnis easdē virtutes seruare: ac proinde suos etiam dilectos seruos ad easdem colendas seruandasq; impellere, vt & *veraces*, & *fideles*, & *iustos* se exhibeant in omnibus, quæ dicunt, pollicentur, & faciunt; in omnibus vestigia sequentes Domini ipsis præsidentis. Ideò siquidem cum albo ac generoso equo eos confert, qui frenum facilè admittit, & à prudente peritoque sessore regi se sinit.

Religio.

Iuramentum.

HINC prouenit, vt Fidelitas ad maiorem suam firmitatem in subsidium adsciscat virtutem *Religionis*, quæ Dei cultum & honorem respicit; & cuius actus est *Iurumentum*, quo promissio firmari solet: vt sanctum DEI nomen, eique debita reuerentia, nouo illo Religionis titulo obliget, impellatq; nos ad implenda promissa, & ipsa hominibus debita fidelitas valdè augetur, hac accedente, quæ debetur Deo, qui causam illam vt *propriam* accipiens, iniuriam vlciscitur sibi illatam: eò quòd insignis censendus sit diuinæ maiestatis contemptus, si quod homini, Deo tanquā teste ac fideiussore adhibito, promittitur, non præstetur. Vtriusque huius rei aptum habemus testimonium & exemplum in casu Gabaonitarum, cum Iosue eiusque duces deceperūt, dicentes, se non esse ex Chananæis, contra quos ipsi pugnabant: sed b *de terra longinqua venire, pacem cum ipsis facere cupientes*, quibus fidem adhibens Iosue, *fecit cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quòd non occiderentur: principes quoque multitudinis iurauerunt eis*, fraude autem eorum deprehensa, tantam habuerunt sancti nominis Dei rationem & reuerentiā, vt statuerint promissum fœdus illæsum seruare: quamuis ad id ob fraudem, qua decepti fuerāt, in rigore non tenerētur. Adeò enim est generosa virtus *fidelitatis* & cum ingenua sua socia *Religione* coniuncta, vt sua promissa non solū amicis seruet, sed etiam *inimicis*, nec solùm sincerè illa impetrantibus, sed aliquam etiam astutiam & *fraudem* admiscentibus: quando scilicet illa possunt absque peccato & notabili aliquo detrimento impleri. Iustus enim diligenter cauet, ne ipsius hostes cogitent, aut existiment, ipsum non præstare quæ debet; etiamsi ipsi, quæ debebant, non præstiterint, aut quòd in eundē incidat ipse defectum, quem in alijs reprehendit, decipiendo scil. eos, à quibus est deceptus, non adimplens promissum, quod fraude ipsi extorserunt. Nam esto id aliquando liceat: contrarium tamen magis est generosum, magisq; perfectū & reuerentiæ sacrosancto iuramento debitæ, magis conforme, cuius rei bonum est testimonium, qui postea secutus est exitus huius casus, cum Rex Saul ob cupiditatem capiendi ciuitates, quas Gabaonitæ possidebant, iuramentum hoc est transgressus, quam transgressionem puniuit Deus ingenti fame, in totum populum Israel missa: c *tribus annis iugiter*; reuelauitque Dauidi iam tunc Regi, plagam illam non cessaturam, donec iniuria Gabaonitis à Saule illata repararetur: ad quam reparationem cùm Ga-

b *Iosue 9.6.*

Iustus mauult decipi quam esse infidelis.

c *2. Reg. 21.*

Pœna infidelitatis.

boanitæ peterent *septem viros de filiis & stirpe Saulis, vt eos crucifigerent*, Dauid ex DEI instinctu eos illis tradidit, quos ipsi *crucifixerunt*, & ita fames illa plagaque cessauit. Ex quo apparet quàm seuerè DEVS ex zelo honoris sui, *infidelitatem* puniat non adimplentium, quòd iureiurando promiserunt, etiamsi Reges illi sint; ijs verò quibus est iuramentum præstitum, viles & pauperes.

Pluris fac verbum tuum quam totum mundum. Plutarch in vita Anton. Ribadeneira l. 2. inst. princip. c. 5. d Pro. 15. 24.

SED præter hoc ipsa etiam virtus fidelitatis per se ipsam obligat ad implendum, quod promittitur sub nota & pœna deficiendi in veritate; & in eo quod iuxta rationis dictamen, & naturalem legem decens est & expediens. est enim mendacij quoddam genus, quod quis verbum suum absque sufficienti causa non expediat: id quòd à quouis ingenuo homine procul abesse debet, multoque magis à magnatibus, quorum vel simplicia *verba* maiorem fidem ac certitudinem continere deberent, quàm aliorum *iuramenta*; pluris facientes *simplex verbum suum*, quàm quòd sint ipsius mundi Domini: quemadmodum *Sextus Pompeius* Duci cuidam respondit: facultatem petenti ad quidpiam contra suum verbum faciendum.

Infidelitatem Domini imitatur seruus.

SED aptius huiusmopi hominibus respondet Salomon, dicens: d *nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir glorioſus, & promissa non complens*, ex quo intelligent, quantum à sua nobilitate & gloria degenerent, qui cùm gloriosi haberi velint, seque ad nubes vsque erigant & suum thronum super alios collocare velint, quicquid tamen se facturos recipiunt, & spondent: transit inuentum & ostentationem inanem absque vlla vtilitate eludentes & contristantes eos, qui spem suam in ipsis collocauerant. Ex quo prouenit, quòd quemadmodum nubibus ac ventis non adferentibus, quas terræ promittebat, pluuias, illa sterilis redditur, fructusque non profert, quia sine pluuiarum auxilio id præstare non valet: ita cùm Principes magnique Domini non fideliter implent, quod subditis promittunt: hi remittunt de sua erga eos *fidelitate*: eò quòd non possint promissionē suam implere ijs, qui suam ipsis non implent: sicut etiam è contra horum fidelitas impellit illos ad suam etiam seruandam. Eum in modum, quo Ecclesiasticus ait: e *Hominem sensatum credere legi: & hanc illi esse fidelem*: & ita seruus Domino suo credit; & sic illi fidelem meritò se exhibebit. Si igitur vir nobilis instar nubis aqua plenæ, quæ nō inani vento, sed rationis impulsu moueatur: suoque tempore quam pollicetur, aquam dimittat; vt sic suæ nobilitati respondeat. Nam alioqui & in constantis & leuis animi est indicium, iudicium sine sufficienti causa mutare, iuxta illud Sapientis: f *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: stultus verò sicut luna mutatur*. Qui enim quod promisit, pro suo arbitratu non implet: is certè leuiter mutatur; aperteque ostendit, se aut in promittendo fuisse stultum; aut certè non implen-

c *Eccl. 37. 3.*

Iustus sit cōstans in promissis.

f *Eccl. 27. 12*

do illud,

do illud, stultum esse. Quod si tamẽ legitima aliqua causa accederet, cur voluntas mutaretur: nec culpæ, nec leuitati tribueretur, quod promissum non impleretur, rebus enim ipsis mutatis (vt ait Seneca) licet mutare promissa; & de nõ impletis conquerenti respondere: *fac tu res esse easdem; & ego ero idẽ.*

Aliquando licet mutare. Lib. 4. de Benef. c. 34.

Ne quis desit tam veritati, quam fidelitati verborum & promissorum, multum iuuat alter vtriusque socius, quẽ Ieremias Iudicivm appellat: quòd S. Thoma teste, est actus *prudentiæ*: cuius munus est, diligenter omnia attendere, quæ facienda sunt, & promittenda: benè ea perpendẽdo, & æstimãdo, ante quàm verbum ex ore egrediatur: iuxta illud Dauidis: g *Os iusti meditabitur sapientiam; & lingua eius loquetur iudicium*, nõ quòd os aut lingua per se meditetur: sed quod nullũ proferat verbum non satis cogitatũ & meditatũ, & quod iudicetur expedire, vt proferatur, ac propterea dicitur: h *disponere sermones suos in iudicio*, ipsum Dominũ imitando, de quo Sapiens, ꝙ i *omnia in mensura, & numero, & pondere disponat*, quia verba ipsa numerat, ne superflua sint, aut nimis multæ; ob periculuũ lædendi veritatem, quod in multis verbis esse solet. Eadem quoq; ponderat, vt grauia illa sint peccata, & modestia leuitatis omnis expertia, & quæ nõ ab impetu passionis abripiãtur, quę facile rationis iudiciũ perturbant, aut à furia, & præcipitatione, quę impedit hominem ab attenta eorum expensione. Eadem quoq; perfectionis amussi dimetitur, quam Deus præscribit: dando operam, vt intentio recta sit, ac sancta res ipsæ bonæ; circumstantiæ, loco, & tempori accommodatæ; & cũ reuerentia Dei maiestati debita, in cuius præsentia loquitur, & omnia, quæ dicuntur, audit. Qua de re fusior in Duce spirituali fuit sermo.

g *Psal. 36. 30.*

h *Psal. 111. 5.*

i *Sap. 11. 21.*

Verba sint iudicio dimensa.

Hæc omnia sunt studio singulari in promissis & sponsionibus seruanda, ita vt in *pondere, numero & mensura* sua executioni mandentur. Dando inprimis operam, ne quod promittimus, vires nostras excedat, vt sic liceat illud opere ipso præstare. Imprudentiæ enim est insignis tot, adeóque difficilia polliceri, vt ob eorum multitudinem, & grauitatem non possint executioni mandari, quemadmodum mechanici, & negotiorũ actores polliceri solent, se ad talem diem rem aliquam perfecturos, scientes se non posse præstare quod dicunt; aut recentibus promissis rẽdẽtes se impotentes ad priora præstanda. Rationis deinde, legisq; diuinæ regula mensuranda sunt promissa. Nihil enim promittendum est, quod non *liceat deceatq;*: alioquin nulla remanebit adimplendi oligatio: quin vt promittendo talia deliquisti: ita exequendo delinques: & volens fidelis esse homini, non eris fidelis Deo: neq; (vt S. Aug. ait) vera est censenda virtus fidelitatis, quæ verbum & promissum implet *iniustum*, cùm ipsamet iustitia exigat, nec illud impleatur, id quod etiam iuris regula præscribit, dicens: *in malis promissis rescinde fidem; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Tract 4. c. 16.

I.

Promissa sint facilia,

2.

Iusta. De bono Cõiug. c 4. 2. 2 q. 4. c In malis.

3. Certa.

HINC etiam fit, insignis censeri imprudentiæ, in genere, & in confuso promittere, & offerre se ad faciendum quidquid alter petierit, præcipuè cùm de petente timeri possit, quòd sit rem iniustam petiturus. Quemadmodum Herodi euenit, qui saltatrici filiæ Herodiadis k *iurauit: quia quidquid petieris dabo tibi*; ipsa autem petijt, *dari sibi in disco caput Ioannis Baptistæ*. Qui (vt S. Ambrosius ait) imprudens fuit in promittendo; & multò peior in adimplẽdo promisso: quia nunquam potest esse legitima fidelitatis materia, quæ simul est iniustitiæ. Multò melius (ait sanctus Augustinus) fecit Dauid, qui etsi iurasset, occisurum se diuitem illum Nabal Carmelum; ad preces tamen vxoris eius Abigail ab eo quod iurauerat destitit, pœnitudine sua præueniens & auertens ingens damnum, quod ex præcipiti suo iuramento, si illud seruasset, fuisset consecutum. De hoc tamen puncto fusiùs agetur, cùm in tertio Tomo erit sermo de votis.

k *Mar.6.23.*

Lib.1.de offic.c.10.& lib.3.ca.18. Serm.11.de Sanctis. Vide 2.2.q. 4.c. Est etiam, &c. Quod Dauid.

CAPVT IX.

PERFECTIO IN LOQVENDO BENE DE PROXIMIS absque adulatione: cautè autem coram esse laudandos.

a *Cant.4.3. 11.*

IVRE optimo de Sapientibus Ecclesiæ dixit Spiritus sanctus, quod essenta *sicut vitta coccinea*; & haberent *mel & lac sub lingua*: nam quemadmodum *vitta* sparsos capillos colligit, & ligat; ita charitas ipsos fideles, qui Reip. Christianæ sunt partes, vnit, facitq; valdè concordes dulcedine & suauitate bonorum verborum & sermonum, quibus omnes allicit, eisque bonum, quod potest, præstat: nunc illos *laudando*, & honore afficiendo; nunc *excusando*, defendendo, eorumque causam, in quibus expedit, propugnando: hæc est *charitatis lingua*, quam prudenter exercere deberes, sequens illud Ecclesiastici consilium, dicentis: b *Sapiens, in verbis se ipsum amabilem facit*: adeò enim benè de omnibus loquitur, vt omnes propterea illum ament, magnique faciant.

Charitatis lingua.

b *Eccl.20. 13.*

SED quoniã error aliquis facilè in hoc accidere potest, necesse est, *duo* vitiosa extrema euitare, *nimietatẽ* scilicet, & *parcitatem*: *parci* deficiunt in hoc, q proximi bonũ in loco, tẽpore & occasione tacẽt, in quibus ad rẽ fuisset illud manifestare. Quod licet interdũ ex quadã naturali parcitate & ad loquẽdũ ineptitudine proueniat nã (vt Sapiens ait): c *est tacens, non habens sensũ loquela*, quia scilicet discretionem ad id non habet; sed vt plurimum parcitas

c *Eccl.20.5.*

hæc

hæc oritur ex rancore, aut inuidia, cuius proprius est effectus, vt si non malè de alijs loquatur: taceat saltem quod in illis est bonum; doleatque, quòd alij benè de illis loquantur nec loquentes, in eo sermone iuuent. In extremum *nimietatis* incidunt, qui plùs alios laudant, quàm par sit; quod vitium generali vocabulo appellatur ADVLATIO, quæ, teste S. Tho. ex quatuor circumstantijs redditur vitiosa.

Laudatio non sit parca.

2.2.q.115.a. 1. & 2.

I.

PRIMA circumstantia est, cùm *malè* ab alijs facta laudantur, vindicta verbi gratia, quam de suo aduersario sumpserunt. Qua ratione (vt S. Gregorius expendit) datur illis occasio in malo suo statu perseuerandi. id quod etiam Dauid insinuat, dicens: d *quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & iniquus benè dicitur; exacerbauit Dominum peccator, & secundũ multitudinem iræ suæ, non quæret* quòd sibi maximè expediret; *non est Deus in conspectu eius*, quia non cogitat de illo: *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Nam (vt ait S. Hieronymus) nihil adeò facilè bonos hominum mores corrumpit, atque adulationes & laudes vanæ. Quæ lethalia erunt peccata: si id, quod laudatur, est tale; venialia verò, si sit leue: illis enim competit quod Isaias minatur, cùm dicit. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, cùm scilicet id, quod malum est, atque si bonum esset, laudatis. & Sapiens in eundẽ sensum dixit: *qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

Lib. 4. mor. cap. 3.

d *Ps. 9. 24. Adulatio laudat peccata. Epist. ad Celantiam de ratione pie viuendi. Isa. 5. 20.*

2.

SECVNDA circumstantia est, cùm quis ob solam externam speciem & apparentiã boni, absq; alio indicio bonitatis eius laudatur aut vltra meritũ extollitur. Hoc insinuauit Ecclesiasticus, cũ dixit: e *non laudes virum in specie sua*, ob pulchritudinem scilicet aut externam tantum superficiem, nimium æstimando corporis elegantiam: aut ex ea sola, animæ pulchritudinẽ conijciendo: & tanquam Sanctum eum laudando, quem vides exteriùs benè cõpositum. Et idem Ecclesiasticus alibi dicit. f *ante sermonem non laudes virum*, hoc est, non priùs laudes, quàm *loquentem* audias: eius enim verba ostendẽt, qualis ille sit: nec decet prius laudare, quàm eũ *noueris*: exponis enim te periculo tanquam iustum approbandi improbum, alijsque pernicioſum. Et hanc ait S. Ambrosius esse causam, cur Deus D. N. statim atque reliquas res corporales creabat, eas dem laudabat: quia earum bonitas sita erat in *externa* specie earum; sed cùm hominem creauit, noluit laudare: quia bonitas eius non est in externis sita, sed in *internis* & occultis, quæ non apparent: quare, donec illa per externa opera manifestetur, non est ille laudandus.

e *Eccl. 11. 2.*

Externam speciem.

f *Eccl. 27. 8.*

De Inst. Virg. ca. 3. Homo laudandus ab internis.

TERTIA circumstantia est, cùm probabiliter timetur, quod laus nostra impellet probum hominem ad *inanem gloriam*, & superbiam: qua excidat à virtute, quã habet; aut illam imminuat. Et hoc insinuãs dixit Ecclesiasticus: *ante mortem ne laudes hominem quemquam*, tanquã Sãctum: fieri enim

3.

Cum periculo subuersionis. Eccl. 11. 30.

Deus non statim laudat.

potest vt ob tales laudes ille mutetur, excidatque à fœlicitate & sanctitate, quasi fruitur. Ac propterea ait idem S. Ambrosius, Deum non laudasse primũ hominem statim atque illum condidit; sed laudes illius ad eius finem reseruasse, in quo tum laus erit securior: tum ipse bona sua vita eam erit promeritus.

4. *Vt hominibus placeat*

QVARTA circumstantia est; cùm laudes nostras eò præcipuè dirigimus, vt *hominibus placeamus*: siue vt illi nos laudent, siue vt emolumentum aliquod temporale ab illis obtineamus? ita vt finis nostræ laudis sit vel inanis gloria, vel auaritia, aut inanis aliorum voluptas: tunc enim rectè habet locum, quod ait Apostolus g *si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*: nam h, *Deus*, ait Dauid, *dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*. In his omnibus casib. adulator agit *inimicum* quidem blandum, sed *amicum* valdè crudelem, ob graue, quod proximo infert, detrimentum: iuxta illud Salomonis: i *homo, qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expãdit gressibus eius*, vt ad ipsius pedes corruat confusus, ob grauia peccata, in quæ adulationum ipsius causa labetur. Quod etiam clariùs adhuc Deus ipse per Isaiam monuit: k *populc* (inquit) *meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiũt, & viam gressuum tuorum dissipant*. nam, cũ te ob malefacta laudant, occasionem præbet, in eisdem persistendi, cùm autem ob bonum quod habes, eãdem etiam præbent, vt illius iacturam facias, dum te ob nomen bonum, securum reddũt: vt turpiùs postea cadas: quod si laudent ob aliquod bonum, quod non habes, efficient, vt credas, te illud habere. Nam quia te ipsum valdè amas, facilè credes, esse in te, quod dicitur de te: quas ob causas adulator (vt S. Greg. notat) est tanquam *locusta*, fructus rodens & consumens; & tanquam *aspis* in ore habes mel; aculeo verò pungens. Quare perfectionis cupidus summè horrere debet hoc vitiũ, propter damnũ, quod suæ & proximi animæ affert. Nec tamen propterea prudentes laudes & ex charitate prætermittendæ sunt siue coram, siue absente proximo: adhibitis tamen circumstantijs, de quibus iam dicemus.

g *Gal. 1. 10.*

h *Ps. 52. 6.*

Prou. 29. 5.

k *Isa. 3. 12. Blandus inimicus, crudelis amicus.*

l *31. moral. c. 20.*

§. I. *Laudes in absentia*

LAVDES proximorum *absentium* cùm eorum virtutes coram alijs referuntur, vt bonam eorum opinionem habeant, eosque magnificant, securiores multò sunt, quã quæ *coram* & in eorũ præsentia proferuntur: tum quia ijs, qui laudantur, nullũ ex hoc *periculum* imminet: tũ quòd magis distent ab *adulatione*, & puriores sint à nota alicuius *lucri* aut mercedis. Nam, qui aliquẽ præsentẽ laudat, statim solet gratiarum actionẽ, tanquã suæ laudationis præmium accipere: qui verò nõ præsentem laudat, eo ipso ostendit, se non ab *hominibus* præmium, expectare; sed à Deo, qui præsens est: & potius excitari se ob honorem virtutis, vt illa ab hominibus æstimetur:

quàm

quàm ob suum, quem ab ijs speret, quos laudat: quamuis neque proprio carituras honore: qui virtutis est præmium: semper enim qui bonam habet linguam, beneque absentib. loquitur, amatur, & in veneratione est: quia facilè nobis persuademus, ita de nobis eum locuturum oblata laudum nostrarum occasione.

Amatur, qui absentes laudat.

BONVM hoc in absentia laudandi officium in tribus præcipuè occasionibus meritò præstabis. *Prima* est, quando id ad malum & incommodum aliquod proximi euitandum est necessarium. Si. n. intelligas, eius honorẽ, famam, facultates, aut vitam, aut iusta eius vota & conatus in periculo versari quod tu possis, producto in medium bono, quod in eo nouisti, præuenire: æquum certè est, bonum illud producere, omnique liberalitate intra veritatis tamẽ limites, laudare. Quemadmodum Ionathas, aduertẽs Saulis patris sui irã in Dauidem, quem contra omnem rationem & iustitiam persequebatur, ac de morte ei inferenda agebat a *locutus est de Dauid bona ad Saul patrem suũ, quẽ cùm audisset Saul, placatus est voce Ionathæ*: & tunc à persequẽdo Dauide cessauit. Quod si quis inuidus ex tali laudatione tristaretur, dolens talia bona de proximo dici: nõ est propterea prudens ac discreta laudatio intermittenda: hoc enim esset scandalũ tantũ, quod *passiuũ* appellamus, acceptũ scil. sine causa, ex sola audiẽtis malitia, nõ verò datũ culpa ipsius laudãtis: quemadmodum Deus S. Iob, coram Sathana laudauit, benè conscius, quòd Sathanas ex inuidia concepturus esset animum eum tentandi, ac persequendi. Vt plurimũ tamen expediet ita absentem probũ laudare, vt præsentib. non præferatur. id enim esset inuidiarum & discordiarum seminariũ. Sicut vidimus, omnem Saulis inuidiã & furorem in Dauidem initiũ sumpsisse ex eo, quòd mulieres in signum lætitiæ præcinerent, ac ludentes dicerent: b *percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* ex quo *iratus est Saul nimis*

1. *Laudandus proximus vt eum à malo liberes.*

a 1. Reg. 19. 4. 6.

Ob Inuidiam alterius ne sileas.

Caue, præsentibus absentem præferas.

b 1. Re. 18. 7.

SECVNDA occasio loquendi benè de proximo est, quando ad bonum eius & vtilitatem refert, vt is, corã quo laudes eius dicũtur, eas nouerit, præcipuè si de ijs interrogeris, & ad dicendum quod de eo sentis, prouoceris. Tunc enim non satis tibi esse debet, quod veritatem dicas necessariã, vt ad interrogata, quod *iustitia* requirit, respondeas; sed æquum etiam est, tunc addere quidquid cum veritate dici potest, ad bonam illius proximi opinionem promouendam; & *commodum* aliquod eidem hac via præstandum. quemadmodum videre licet in responso dato Booz ab eius famulo, cùm interrogaretur, quæ esset illa puella, quæ in agro erat: nam quamuis ad hanc interrogationem satis fuisset dicere: c *hæc est Moabitis, quæ venit cum Noëmi*: non tamen contentus id dixisse; in laudem ipsius Ruth, adiecit ea, quæ in illa obseruasset, ad pleniorem ipsius Booz informationem, referens eius *humilitatem*, & modestiam, qua spicas colligendi, à messori-

2. *Vt bonum eius promoueas.*

c Ruth. 2. 6.

bus

bus relictas, facultatem petijsset; ac de mane vsque ad vesperam in agro stetisset, & ne ad momentum quidem domum reuersa esset; sed in magno silentio absque vllius offensione ita remansisset, vt nec in summo æstu ad vmbram aliquam diuerteret, ne quam male de se suspicandi occasionem alicui præberet. Et hac ratione non solum bonam ipsi *Ruth* opinionem creauit; sed etiam Dominum suum *Booz* permouit, ad beneuolentiam eidem & fauorem liberali manu exhibendum. vt ex hoc constet, quâ sit proprium & familiare bonis laudare bonum, quod in alijs vident, cùm Prælatos & Principes, aliosque homines alloquuntur, qui studiosis *præmium* virtutis reddere, & auxilium in eorum necessitatibrs ferre possiunt. Idque faciunt multò exactiùs, cùm ij, quos commendant, sunt *pauperes*, & in hominum obliuione; & quasi in angulo aliquo huius mũdi delitescentes, non habent, qui vel manum illis porrigat, aut verbum bonũ pro illis loquatur. & hic est quidam misericordiæ & eleemosynæ modus valdè facilis, & omnibus vtilis. sæpè enim, vt Ecclesiasticus dixit: d *verbum melius quam datum*. quasi dicat: sæpè est vtilior eleemosyna, verbum bonum, quàm si munus aliquod offerretur. Quare si non habeas, quod dare possis, licebit hac ratione agere cum habente, & intercedere pro indigentibus: laudando eorum virtutem, vt subsidium illis adferat. Et quoniam homines non minus honore & fama indigent, quàm fortunis; si eleemosyna iudicatur aliquam pauperi offerre pecuniam, qua se alat: etiam erit bonum eleemosynæ genus, bona verba pro indigente proximo proferre, quibus eius fama & honor conseruetur & augeatur; siquidem Sapiẽs dixit: e *melius esse nomẽ bonum, quam diuitias multas*. illud enim solet esse aptũ medium ad eas obtinendas; quẽadmodum euenit pauperi f *cuidam viduæ* suis bonis spoliatæ: quæ cum *ad Regem Israel accedere vellet*, vt recipere illa posset: *Giezi* puer Elisæi Prophetæ, qui Regi tunc aderat, ante quàm illa quicquam peteret, ita illam commendauit, referens mirabilia, *quæ fecerat* erga illam *Elisæus*: vt statim Rex iusserit, *restitui ei omnia, quæ ipsius fuerant*.

Laus proximi Vtilis audienti.

d *Eccl.* 18. 16 *Pauperes commendare, prompta Eleemosyna.*

e *Prou* 22. 1

f 4. *Reg.* 8. 5.

Famam proximi conserua.

TERTIA occasio absentem proximum laudandi est, quando expedit, homines bonam de illo habere opinionem, præcipuè si persona sit publicæ vt, tali de eo opinione concepta, alii ex eius doctrina & exemplis proficiant: eum in modum, quo Christus D.N.S. g *Ioannem Baptistam* coram suis discipulis & Iudæis commendauit, vt *doctrinam*, quam ille prædicabat amplecterentur, sanctamque *vitam* aliqua ex parte imitarentur. Et in hunc finem magnæ prudentiæ est, feruentes concionatores, bonosque prælatos, ac Iudices laudare, ac commendare, & omnes denique, qui officia aliqua gerunt proximis vtilia, vt sic permoueantur ad vtilitatem & profectum ex bonis eorum exemplis, & consiliis capiendum.

3. *Ad aliorum commodum.*

g *Mat.* 11. 7. g *Ioan.* 1. 35.

Laudandi operarij.

DENI-

DENIQVE lingua (vt S. Iacobus Apostolus ait) data est, vt *fons* esset *aquæ dulcis*, dulcia verba proferendo, & vtilia ad gloriã Dei, & bonum proximorum etiã hostium. & ipse Saluator iubet, *benedicere maledicentibus nobis*: hoc est loqui benè de illis, qui malè de nobis loquuntur; cùm igitur nullus adeò sit improbus, qui non habeat aliquid boni, ob quod laudari possit: æquum est, vt lingua suo fungatur officio: malum reticendo, manifestando autem bonum, iuxta regulas rationis; nam, vt idem Apostolus dixit: *non potest fons de eodem foramine emanare dulcem & amaram aquam*: nec dulcis poterit amaram dulcorare; sed amara potiùs dulcem inficiet. Quamobrẽ lingua semper habere debet dulcedinem in verbis; nullis malis & amaris admixtis, quæ illa deprauent.

4. *Iac. 3. 11. Luc. 6. 8. De nullo nisi bonum loquaris.*

§. II. *Laudes in præsentia.*

MAIORI attentione opus est in laudandis proximis, cùm sunt *præsentes*; vt laudatio sit vtilis, & non noxia. Præmittimus autem, quòd licèt vt plurimum homines laudemus ab aliquib. dotibus naturalibus quas habent: è pulchritudine V. G. aut robore corporis; à memoria, ab ingenio, & alijs naturalibus animæ ornamẽtis: propriè tamen (vt Aristoteles dixit & S. Thomas cõfirmat) non sunt laude aut vituperio digni ob huiusmodi res naturales, quæ non sunt in eorum potestate; sed ob eas, quæ à *libero* eorum *arbitrio* dependent: nec hæ quidem omnes laudem apud Deum promerentur; sed illæ tantum, quæ sunt *studiosæ*: virtus enim absolutè hominem facit laudabilem, sicut vitium eundem facit contemnendum. Et in hunc modum explicat S. Bernardus sententiam Ecclesiastici, quam his verbis refert: *neminem laudaueris in vita sua duplicem*, inquit, homo habet vitã; alteram *propriam* à natura sua corrupta & misera. Et propter hanc, vt dictum est, non laudem promeretur, sed vituperium: alteram habet *non suam*, sed DEI, à diuina eius gratia communicatam: propter quam laudari potest: nam tunc laus non est præcipuè ipsius hominis; sed Dei, cuius illa est *vita* ac proinde etiam *gloria*, quæ ex illa oritur. Et quoniam iustus non in se viuit, sed in Christo: cùm laudatur, non in sua, sed laudatur in vita Christi, qui gratiæ suæ dona in ipso posuit. Quare ita vir probus in sua præsentia est laudandus, vt in memoriam illi reuocetur præcipuus ipsius boni & virtutis auctor, ne ex ipsa laudatione damnum sentiat; sed vtilitatem, in quam illa ordinatur, hoc est, vt in virtute foueatur & confirmetur; & persuerare & perfici in ea possit: quod obtinebit, si memor sit bonum, quod habet, nõ ipsius esse, sed Dei, cui gloriam reddere; & in quo fiduciam suam collocare debet. Alioquin facilè ob suam superbiam aut fiduciam propriam, aut securitatem nimiam illud amittet.

Li. 3. Eth. c. 5. 1. 2. q. 21. a. 2. Sola virtus laudabilis.

Ep. 13 & ser. 5. de Sãctis. Eccl. 11. 30. iuxta LXX.

In Christi vita laudatur Iustus.

Christus a quos laudauit.

HVNC in modum laudauit Christus, D. N. multos in eorum præsentia: tam vt illis animum adderet; quã, vt tepidos & murmuratores cõfunderet, eosque ad illorum imitationem permoueret. Laudauit *Magdalenæ* opus, quo b *lachrymis rigabat pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, eosque osculabatur, & vnguento vngebat*: eam enim laudando confundebat pharisæi torporem, malè de illa sentientis: *Zachæi* quoque zelum laudauit, dicenti: d *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplũ*: propter quod, dum ipsum laudauit, *filiumq; dixit esse Abrahæ*, cæteros publicanos excitauit ad illius imitationem. Fidem etiã *centurionis* laudauit, dicens: e *se non inuenisse tantam fidem in Israel*, vt sic Iudæorum incredulitatem argueret. Laudauit etiam *S. Petri* confessionem, vt reliquos discipulos ad eandẽ magis excitaret: sed adiecit: *Beatus es Simõ Barionia, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*: vt intelligeret, in quem deberet laudationis illius gloriam referre; gratumque se exhiberet ei, à quo tale beneficium accepisset. Et in Apocalypsi artificio mirabili laudat idem Dominus *Episcopos Asiæ*, ad quos literas scribi iubebat, in quibus eorum *virtutes* & bona opera referrentur; sed mox subiungebat aliquos eorum *defectus*: vt, si laudatio illos extolleret, admonitio defectus humiliaret: & minimum eos, defectus perseuerantiæ admonebat. sic enim quendam expresè monuit dicens: g *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: ne ob laudationem illam putaret se esse securum: sed attenderet, se, dũ viueret, mutationi esse subiectum: Quamobrem dixit Ecclesiasticus: h *ante mortem ne laudes hominẽ quenquam*, ea scilicet laude quæ debetur beatis, plenam iam victoriam adeptis. siquidem quam diu pugna durat, semper est pereundi periculum. Quamobrem cùm Christus D. N. multa in S. Ioannis Baptistæ laudes dixisset, adiecisseque: i *inter natos mulierum non surrexisse eo maiorem*, subiunxit: *qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo*. quasi dixerit: omnes hæ laudes sunt hominis adhuc in terra viuentis, & mutationi subiecti. Ac proinde, quantumuis Ioannes sit Sanctus, non attingit tamẽ ad *securitatem* minimi iam beati, qui ratione sui status potest integrè & plenè laudari, tanquam victoriam iam consecutus.

Defectus virtutibus miscendi.

Laudentur qui securi sunt.

SED vt ad nostram historiam redeamus, præclarè valdè fuit ipsius Booz prudentia ac discretio in laudandis bonis ipsius Ruth operibus. k *Nuncupata*, inquit, *sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos; & terram in qua nata es & veneris ad populum, quem antea nesciebas, reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas*: quibus verbis perfectus ille vir ostendit zelum suum, quem superiores habere debent in confirmandis & fouendis Tironibus in Dei seruitio, laudando scil. illos, vitæque

b *Luc.7.44.*

d *Luc.19.8.*

e *Mat.8.10.*

f *Mat.16.17*

g *Apo. 3.11.*

h *Ecc.11.30.*

Mat. 11. 11.

2.

k *Rut. 2.11.*

Tom. 1. tra. 2. c. 10. 5.

muta-

mutationem factam approbando; & quòd vitia deseruerint, & socios malos; aut quod mundo valedixerint, domuiúque paternæ, vt religionis statum amplecterentur. nam quemadmodum alijs improbrantibus, quod benè faciunt, timidiores ac tristiores redduntur & interdum retrocedunt, & benè inchoatam viam deserunt: ita è contra magis excitantur ad progressum, valdeque exhilarantur, quando alij approbant: & factũ laudant, præcipuè cùm *magnæ* alicuius auctoritatis homines id faciunt, quorum approbatio & laus pluris omnino fit. Id quod commune illud prouerbium confirmat: *virtus laudata crescit*, quemadmodum teneræ *plantæ aquæ* irrigatione crescere solent: non quod præcipuè ob laudes operetur (hoc enim non virtutis sed vitij vanitatis esset) sed quòd motiuum & occasionem ex laudatione accipiat, ad operas perficienda, quæ à bonis laudantur; à sapientibus probantur, & à potentibu magni fiunt.

Tyrones laudandi.

Vt agnoscant se bene egisse.

DENIQVE est specialis quædam occasio, in qua expedit proximum laudare: cùm scilicet ille est valdè tristis, pusillanimis, & in periculo versatur labendi in abyssum *desperationis*: tunc enim æquum omnino est, bona, quæ ille fecit, laudare, & gratias ac dona à Deo illi collata in memoriam ei reuocare, in eum finem, vt respirans, nouam concipiat fiduciam: quemadmodum Apost. ad Hebræos in simílib. angustijs cõstitutos scribens, hæc dixit: *Rememoramini pristinos dies, in quib⁹ illuminati, magnũ certamẽ sustinuistis passionum & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestrã, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* hæc Apostolus, qui sæpè in suis literis ex huiusmodi occasionibus virtutem laudat afflictorum, ad eos consolandos. Nec mirum est, quòd in eum finem virtutem alienam laudemus: siquidem in similibus periculis constitutis nobis licet imò expedit propriam laudare: laudare intelligo, virtutes & insignia opera, quę Deus per nos fecit, referre; vt sic deiectum cor nostrum erigamus, confundamus verò Dæmones, & omnes hostes, qui nos in profundo desperationis sepelire contendunt: nam S. Iob satis fusè virtutes suas retulit, non ex vanitate, sed nè in desperationis abyssum corrueret, in quam eum dæmon per eius amicos præcipitare volebat: constat autem illum tunc non errasse: siquidem Deus ipse eum postea laudauit, eiusque approbauit sententiam.

2.
Tristes laude erigendi.

Heb. 10. 32

Tristi etiam propriis virtutibus se erigere licet. Iob. 31 per to.

Iob. 42. 7.

CAPVT X.

TRES IMPROBAE LINGVAE, QVAE MALE DE aliis in præsentia & absentia loquuntur, pacemq; ineptis narrationibus turbant: & ratio, qua quisque eas in se ipse contineat.

VIRTVS iustitiæ, ad quam spectat proximorum iura tueri, meritò debet omnes nostros sermones comitari, vt tres malas linguas refrenet, quarum a Ecclesiastic. mentionē facit, quia earum munus & occupatio non alia est, quàm malè loqui de proximis, detrahendo illis honorem, & reuerentiam ipsis debitam; aut famam, bonumque nomen, quod apud alios habent, obscurando, & amicitiam concordiamque mutuā inter alios dissoluendo. Hæ tres linguæ instar sunt b *trium spirituum immundorum*, quos Sanctus *Ioannes vidit* prodire *de ore draconis in modum ranarum* garrularum ac cœnosarum. Sunt etiam tres tentatores, à quibus *verba* procedunt *aspera*, quæ Dauid vocat c *sagittam volantem in die, negotium perambulans in tenebris, incursum & dæmonium meridianum.* PRIMVM enim est instar *sagittæ*, quæ propterea dicitur volare in die, quòd apertè & in præsentia iniuria affecti, iniurioso ipsum verbo lædat. SECVNDVM est, quasi negotium, quod in *tenebris* geritur, quia eius sermo fit absente proximo, contra quem profertur, optando, ne ad eius notitiam perueniat. TERTIVM verbum est, quasi incursus quidam & dæmonium *meridianum*, eò quòd tales inter proximos excitet controuersias & pugnas, vt lux ardorque charitatis, quæ inter illos feruebat, talis verbi causa, refrigescat.

a *Eccl.* 28. 15

Tres linguæ malignæ.

b *Apo* 16. 13.

c *Ps.* 90. 3. 6.

§. 1. *Quæ trium linguarum sit pernitiosissima.*

HARVM trium linguarum *prima* est pernitiosissima, eò quòd maior sit impudentia præsentes proximos iniuria afficere, eructando in conspectu *venenum*, quod in corde latebat; & expuendo (vt ait Sanctus Gregorius) in eorum facies sordida *sputa* iniuriarum & opprobriorum; & *sagittas* verborum ignominiosorum in eorum faciem iaciendo: & infamibus irrisionum *lapidibus* eos lapidando: eum in modum, quo Semei, crudelis Dauidis inimicus d *mittebat contra eum lapides*, & quod

Li. 20. Mor. c. 1.

d 2 *Re.* 16. 6.

hor-

horrendum magis erat, lingua magis illum lapidabat: *egredere*, inquiens, *vir sanguinum, & vir Belial, quoniam inuasisti regnum pro Saule, ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.*

HAEC lingua (teste S. Thoma) pungere solet manifestando *duo* genera defectuum ignominiosorũ. aliqui sunt animi defectus, vitia scilicet & ignorãtia: vt si quis per contemptum alium appellet furem, aut stultum, mẽtis impotem, & simplicem, in quod peccatum tulit Christus Dominus sententiam æternæ damnationis, dicens: e *qui dixerit fratri suo* FATVE animo illum iniuriandi, *dignum esse Gehennæ ignis.*

ALII sunt defectus *corporis*, qui pudorum aliquem & confusionem adferunt, quos solent homines in faciem obijcere proximis, vt illos irrideant, vt cùm luscus aliquis appellatur, aut lippus. Quod quàm sit graue peccatũ, apparet in seuera illa quadraginta duorum puerorum punitione, qui Elisæum Prophetam irridentes, dicebant: f *ascende calue, ascende calue*, quos lacerauerunt duo tremendi *vrsi egressi de saltu*, tanquam Dei iustitiæ carnifices, iniuriam Prophetæ illatam vlciscentes. Alij sunt defectus in bonis *fortunæ*, quæ aliquem inter homines contẽptum adferunt, quibus alij alios iniuria afficiunt, insimulantes eos quòd sint rustici, aut Iudæi, aut officij vilitatem, quòd habent, illis exprobrantes. Quemadmodum Pharisæi Christum Dominum apellarunt e *filium fabri*, aut improperantes, quod eis in necessitate aliqua constitutis contulerunt, quemadmodum ait Ecclesiasticus, quòd f *insipiens exigua dabit, & multa improperabit*: & quod *aperti oris illius inflammatio* sit: quia verba profert vrentia, osque in eum finem aperit, vt in famet & confundat proximum.

His peccatis valdè affinis est IRRISIO, dum hi defectus obijciuntur; nõ vt dedecoris sanguinem eliciant; sed vt rubore tantum afficiatur ob pudorẽ qui ex tali auditione cõcipitur, etiamsi ioco obijciantur. Et tunc peccatum quidem non esset adeò graue, sed excederet valdè superiora (vt ait S. Thomas) si esset irrisio seria, & propterea obijceretur, quòd adeò vilis opinio de proximi rebus haberetur, adque si essent ludicræ & ioci. Quot si ita irriderentur probi & studiosi viri, esset peccatum grauissimum: nam (vt S. Gregorius dixit) *sæpe lingua a bono opere, dum vituperat, reuocat.* Si enim vituperetur & irideatur iuuenum modestia, religiosorum mendicitas, piorum oratio, & frequentia Sacramentorum, & remissio iniuriarum, & pauperibus ministerium exhibitum: certum est, debiles ac pusillanimes, hæc virtutum exercitia fugituros, vt irrisionẽ euitent, qua homines ioculares illa afficiunt.

Sed multò adhuc maius detrimentum adferunt hæc verba, quando sunt sicut *sagitta in die*, non solùm eò quòd in præsentem & manifestè obijciãtur; sed quod ita dicantur, vt lucis & claritatis speciem quandam præseferre vi-

1. 2.2.q.72.a.1.ad 3. *Contumelia.*

e Matt.5.22

2. *Conuitium.* f 4.Reg.2.

3. *Improperiũ.*

e Mat.13.55. f Eccl.20.15

4. *Irrisionis tres gradus.* 2.2.q.75.a.2.

Lib.9.mor. cap.45.

5. *Maxime si speciem veritatis habeant.*

deantur; cum in modum quo indiscreti ac zelosi in suis disputationibus, aut lectionibus solent contumeliosorum verborum sagittas iacere, existimantes, se Dei gloriam & veritatem ipsam propugnare, quemadmodum amici g Iob linguis suis crudelius *spiritum* eius vulnerârunt, quàm dæmon *corpus* vulnerasset. Et quamuis non ex malitia illum læderent, valdè tamen fortiter pungebant: sæpe enim maior est vehementia & furor spiritus zelantis, quàm malitiosi: nam *zelus* sine discretione furor est: & quoniam existimat, se non aberrare, sed quod rectum est tenere, magna cum furia ictum iacit.

g *Iob. 6. 25. & c. 12. 4. Zelus indiscretus plus nocet quàm malitia.*

EXECRANDAM hanc linguam reprimit virtus IVSTITIÆ sancti *timoris Dei freno*, perpendendo scilicet *iniuriam*, quæ huiusmodi verbis proximo infertur; *damnum*, quod animæ sui fratris, imò & propriæ adfert; & horrendam *pœnam temporalem & æternam*, quàm hoc nomine promeretur. Quis nõ linguam suam refrænet; si (vt ait S. Chrysost.) perpendat: *quod maiora vulnera efficiunt verba quàm tela?* hæc enim *corpus*, illa *animam* lædunt; hæc in ipsa *carne* sistunt, illa (vt ait Sapiens) h *perueniunt vsque ad interiora ventris*, & ipsum penetrant *cor*; hæc vita *corporalis*; illa *spirituali* priuant, & æterna. Et priùs ipsũ iacientem, quàm in quos iaciuntur, interimunt. Vipera est verbum cõtumelioſum, quod vt prodeat ex ore, ipsius matris viscera frangit; & cùm exierit, suo veneno inficit, interficitque omnes ad se accedentes; Gladius (inquit S. Bernardus) est biceps aut etiam triceps, qui vno ictu *tres* interimit animas; eam scilicet, quæ *loquitur*, & quæ ictum accipit *impatienter*; & quæ *libenter* verba ipsa audiunt, aut ex eis, i *scandalum accipiunt*, nam quemadmodum amor amorem, ita odium generat odium: & quoniam huiusmodi verba rancoris & odij sunt indicia; facilè illud in ipsis audientibus gignit, nisi illi sint valdè perfecti: qualis erat Dauid, quem k *Semei lapides* nec ad odium, nec ad impatientiam, ob ipsius magnam sanctitatem, permouerunt; ipsos tamen eius Duces ad magnam iram & vindictæ cupiditatem prouocarunt, nisi Dauid prohibuisset. Non tamen censendus est non peccare grauiter qui dicit calumniam, etiamsi is qui patitur, æquo illam animo ferat: siquidẽ ille quod in se fuit, nocuit, quantum potuit: quemadmodũ qui hastam aut sagittam in alium iaculatur, aut pugione eũ percutit, etiãsi reuera nõ lædat, eò quòd ferreo thorace indutus ictum ille prohibuerit, grauiter peccat. Item, quia licèt animam eius non lædat, honorem tamen, pacemq; & conscientiæ quietem lædit: idque totum interdum non potest aliquo remedio reparari: difficillimè enim honor restituitur, qui facillimè aufertur. Quamobrẽ idem S. Bernardus dixit: verbum quidem esse leue, quia leuiter volat; sed grauiter vulnerare: leuiter transire; sed horrendè vrere: citissimè animam penetrare, sed nõ citò ab ea recedere: citò proferri; sed non citò reuocari: facilè volare, ideoque facilè interimere, auferens charitatem, quæ est animæ vita.

Ho. 8. in Epi. ad Rom. h *Prou. 18. 8. & c. 26. 22. Verbi contumelioſi damna. Serm. de custodia manus, linguæ, & cordis.* i *Psa. 49. 19.* k *2. Reg. 16. 6.*

Calumnia est calumnia etsi in mansuetum incidat.

§. II. *Aduersus murmurationes.*

EX dictis licet cognoscere nequitiam linguæ *murmurantis*, ac de absente proximo malè loquentis, præsentem verò laudãtis. Et ideò murmuratores in scriptura sacra a *bilingues* appellantur: quia vt plurimum sunt magni *adulatores*, qui *vna* lingua benè de proximo præsente loquuntur, magnisque amoris indicijs eis blandiuntur & adulantur: *altera* verò lingua absenti obloquuntur & rancoris signis editis eundem vituperant, & contemnunt. Et vtrumque hoc, ait S. Bernardus, esse tanquam b *vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas* Dei, hominum scilicet *conscientias*. Et quamuis blandus adulator mala sit vulpes, pessima tamen est, occultus detractor, de quo dixit Ecclesiastes: c *si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit*: nam eò tutius murmurationis virus effundit: quò minus ab eo, cui detrahit, cognoscitur. Et hoc nomine ictus eius in scriptura vocatur d *flagellum linguæ*: nam quemadmodum flagellum retrò vulnerat dorsum, ita detractor vulnerat in absentia. Sed quisnã varios eius feriendi modos enumeret? frequentius hi solent esse in vsu: falsum testimonium in proximum dicere; aut occultum eius aliquod delictum, aut alium ignominiosum defectum, etiam occultum manifestare; aut virtutem eius aliquam negare; aut abiectè valdè de eo loqui; aut eius dicta factaue calumniari, in deteriorem ea partem interpretando. Quæ murmurationes vt plurimum oriuntur ex generaliquadam hominum propensione, ad agendũ de rebus aliorum, iuxta passionem quæ in proprio ipsorum corde prædominatur; ideoque cum magna animi sui oblectatione & voluptate de illis loquuntur. Nam (teste S. Gregor. Nazian.) *nihil hominibus suauius quã aliena loqui, aliena curare: maximè si eueniat aliquos odio vel amore præueniri*, hoc est, si vel valdè sint propensi, ac diligant eos, de quibus est sermo; aut si odio illos prosequantur. Ex quo fit, vt *quatuor* præcipuè passiones linguam ad huiusmodi murmurationes laxent. Quosdam enim *odij* passio laxat, quemadmodum Pharisæos odium in Christum D. N. impellebat ad murmurandum de eius factis, & multa falsa testimonia & blasphemias in eum proferendas. Alios incitat *inuidia*, videntes socios suos in honore sibi præferri, & ad maiores dignitates exaltari. Sicut *Dathan & Abiron murmurarunt contra Moysen & Aaron*. Alij ob mala, quæ patiuntur, cum *ira* & impatientia conuertunt linguam suam in proximos, per quos talia illis proueniunt, quemadmodum filij Israel e *murmurabant ob* incommoda & *labores* quos in deserto sustinebant, & ob defectum cibi & potus. Denique cuiuluis rei nobis vtilis & commodæ *cupiditas* efficit, vt

murmu-

a *Prou.* 18. 8. *Eccl.* 28. 15.

Occultus detractor. Serm. 63. *in Cant.*

b *Cant.* 2. 15

c *Eccl.* 10. 11

d *Iob.* 5. 21.

S. Tho. 2. 2. *q.* 7.

Alienis vltro intendimus.

Quatuor fontes murmuris.

Odium.

Inuidia.

Num. 16. 11.

Ira.

e *Num.* 11. 1

Psal. 58. 16.

Cupiditas.

murmuremus de quocunq; nos ab ea obtinenda impediente, ita f *Iudas cõtra Magdalenum*, eò quòd non *vendidisset vnguentum trecentis denariis*, qui in pauperes distribuerentur, quorum partem aliquam sibi retinere cogitabat: Nec desunt vnquam murmuratori colores & astutiæ, quemadmodum ipsi Iudæ ad suã murmurationem alicuius virtutis specie contegendam. Et quãdo esserit, se non tale quid dicere, vt de proximo murmuret; tunc maximè tanquam proditor murmurat, vt linguam suam maiori laxet libertate. Et hinc oritur, vt pestis hæc (vt notat Glossa) per totum genus humanum facilè effundatur, illudq; inficiat quo nomine magno exponitur periculo, eò quòd (S. Thoma teste) vix aliquis euadat, qui non in alioquo murmuret: à modico autem facilè ascenditur ad multum; quia vnusquisque addit aliquid dictis ab alio. Eum in modum (ait S. Gregorius) quo solent homines mutua dare symbola, seipsos ita inuitantes, vt quisque cibum aliquem adferat omnibus communem. Et hinc oritur, vt mutuò sese homines interrogent de delictis aut defectibus occultis proximorum: siue *curiositate* ducti, aliorum vitas cognoscendi; siue vt argumentum habeant *murmurandi*: ideoque scientem aliquod alicuius arcanum, prouocant, vt infideliter agens, illud *reuelet*. Sed virtus *iustitiæ* potenter etiam execrandæ huic linguæ resistit, eamque mortificat, & eodem *timore Dei* reprimit; eò quòd eadem adferat incommoda, quæ prima; quia & ipsum *murmurantem*, & *audientes*, & ad id *incitantes* interimit; imò & *ipsum*, de quo murmuratur; ad cuius notitiam, vel citiùs vel tardiùs peruenit, oblocutio & murmuratio de illo habita.

QVAMOBREM (vt refert S. Clemens) solebat S. Petrus dicere: murmuratorem esse *homicidam* sui proximi; quemadmodum & S. Ioannes dicebat: g *omnis qui odit fratrem suum, homicida est*; & quemadmodum, h *omnis qui acceperit gladium & aliquem occiderit, gladio peribit*: ita hoc homicidium suam etiam habet horrendam punitionem. *Quid Mariam Moysis sororem effecit lepra candentem, quasi niuem apparere*? k *quid dirupit terram, vt aperiens os suum viuos deuoraret Datham & Abiron cum tabernaculis suis, vt viui descenderent in infernum*? quid effecit, vt l *ignis egressus a Domino interficeret ducentos & quinquaginta viros*? quid produxit m *ignitos serpentes*, quos *Deus misit in populum*, vt morderent & vrerent Israelitas in deserto? n quid eosdem excluserit *a terra promissionis*, lacte & melle manante? an non *murmuratio* hæc omnia damna *corporibus* attulit? quanto ergo maiorem *animabus* adferet vastitatem; & quanto erit *pœna* terribilior, cuius vel leue *vestigium*, horrendum adeò attulit damnum *temporale*? & iure optimo supplicia huiusmodi sustinebunt detractores: nam qui o *detrahit fratri*, (ait S. Iacobus) *detrahit* etiam *legi*, prohibenti ipsam detractionem; nihili illam faciendo, aut malè de illa sentiendo, eò quòd prohibeat detractionem. Imò (vt ait S. Chrysostomus) etiam ipsam *Ecclesiam* in-

famat,

f Ioan. 12. 5.

Nemo vult murmurator videri.

2. 2. q. 72. a. 2. ad 2.

In 24. cap. Prou.

Lib. 14 Mor. c. 14. in id. Prou. 23. 10.

Murmurationis facilitas & encommoda.

Epist. 1.

S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 2.

g 1. Ioa. 3. 15.

h Matt. 26. 52.

i Num. 12. 10.

k Ca. 16. 31.

l Vers. 35.

m Cap 21. 6

n Ca. 14. 23

o Iac. 4. 11.

famat, aut *religionem* ; cuius est membrum, & *Rempublicam* in qua habitat: nec vllus securum se existimat ab eius lingua. Quamobrem dixit Salomon, p *detractorem esse abominationem hominum*: omnes enim eum tanquam dedecus & opprobrium humani generis & iudicant, & detestantur ; vt qui eos, qui cum ipso sunt eiusdem naturæ, ita inhonoret. Ac propterea addit : *time Dominum, fili mi & Regem: & cum detractoribus non commiscearis: quoniam de repente surget perditio eorum, & ruina eorum*, quando sit ventura, *quis nouit*? fugeitaque improbam hanc societatem, ne suam tibi scabiem affricet. Time *cœlestem ac terrenam iustitiam*; quò tuam refrænes linguam: & attende, te in DEI conspectu murmurare, q *cuius auris zeli* (ait Sapiens) *audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur*: Zelo enim magno vlciscetur detractionem, quam audit. Quod si de nullo murmurare auderes, aut ei detrahere etiam absenti, si eius parens, aut frater, aut aliquis magnus amicus adesset, qui facilè posset eius honorem tueri, & iniuriam à te illatam vlcisci: quomodo audes murmurare ac detrahere proximo in præsentia DEI viui, qui eius est pater & amicus, simulque iustissimus Iudex?

HIS considerationibus excitare teipsum debes, vt verbis tuis sociam adhiheas supremam *Iustitiæ* virtutem, non permittens aliquam murmurationem siue magnam, siue paruam eis immiscери. Quod si aliquando impegeris etiam leuiter; statim eam pœnitentia intercipias, ne adolescat: eum in modum quo Dauid cum suis socijs in quadam spelunca latens, ad quam eius hostis Rex Saul solus erat ingressus, & cum socij ipsi suaderent, vt eum interficeret, cùm id iustissimè facere posset; nunquam tamen ipse huiusmodi suasionibus annuere voluit; sed tantùm r *præcidit oram chlamydis Saul silenter*; & vel quod fecisset, *percussit ipsum cor suum*; hoc est conscientia ipsum reprehendit ac momordit, eò quòd ausus esset id facere. vt ex hoc discamus, (quemadmodum S. Gregorius perpendit) quod iustus, si ex aliqua incuria honorem tangat sui proximi, etiam in re leui, statim à propria conscientia reprehendatur: nam cultello murmurationis aliquid abscindens de vestimento, quo ille se tegit, & quo integro manēte, ille est in *honore* sibi ipsi abscindit aliquid de veste *charitatis*, qua tegebatur: & ita manet cum maiori dedecore in oculis DEI, quàm proximus in oculis *hominum*, & quamuis ipsius iusti proximus sit eius inimicus, ac possit liberè & absque periculo de eo murmurare, non tamen vult id facere, eò quòd ipsum aspiciat Deus ; habeatque suum pædagogum, hoc est, *conscientiam*, quæ ipsum continet ac reprimit. Quamobrem ait S. Ambr. virum iustum etiamsi Gygis annulum haberet, vt etiam peccans à nullo videretur, non tamen peccaret ; quia non recedit à malo, propterea quod homines illum videant, sed quia videt DEVS, & sua ipsius CONSCIENTIA.

p *Prou.* 24. 9. 21. *Detractionis vltor Deus.*

q *Sap.* 1. 10. *Deus audit.*

Cecidisti, statim resurge.

r 1. *Reg.* 24. 5.

3. p. *Pasto. admonit.* 5. *Alteri honorem, tibi auferis charitatem.*

Lib. 1. *offic. c.* 4 & 5. *Iustus time. Deum & conscientiã.*

SED multò adhuc plura (ait S. Gregorius) docet nos hoc Dauidis factum, cùm sui doloris & pœnitudinis eam causam adfert, quod Saul, cuius oram chlamydis abscíderat, esset *Christus Domini*: vt intelligamus, quàm turpe sit, de Princip. & Prælatis, qui *Reip.* sunt *capita*, murmurare; etiamsi illi sint alioqui improbi: referunt enim ac gerunt vices ipsius Dei, qui dixit: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*, aut iniuriam eis facere; satis enim vobis esse debet, quòd illi mei sint, meumque locum teneant, vt nec eorũ *personas*, nec vestes, hoc est, *opera* & actiones, nec quidem earum *oram*, hoc est illas, quæ magis sunt humanæ ac terrenæ, tangere audeatis: sed vt eorum officium ac dignitatem veneremini. Quod si murmuratio propterea fieret, quòd illi cum rectitudine & exactè suo fungantur officio, illa esset magis pernitiosa, eò quòd cederet in iniuriã ipsiusmet Dei qui illud eis cõmisit: Et ita Moyses, & Aaron populo murmuranti dixerunt: t *non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominũ*, qui nobis constituit hoc facere, quod vobis graue videtur, & murmurationis vestræ motiuũ est & argumentum. Quare ad ipsum Dominũ nostrum spectat murmurationes in Prælatos punire, ad eorum honorẽ tuendum, vt tantæ subditis sint veneration, vt nunquam audeant linguas suas in eos mouere, vt obloquantur, quemadmodum in alia occasione euenit, quando u *Maria & Aaron contra Moysen murmurarunt*: nam cùm vterq; eiusdem murmurationis & culpæ reus esset, sola tamen Maria, quæ subdita erat, punita fuit: hoc enim nomine eius culpa & irreuerentia fuit maior. Aaronis verò culpam dissimulauit Dominus, eò quòd fratri suo Moysi dignitate esset par; ætate verò maior: ac propterea eius irreuerentia in Moysen fuit minor. Nec vacat mysterio, quòd pœna Mariæ fuerit *lepra*: significatur enim, subditos, qui de suis Prælatis murmurant, maculatos esse proprij iudicij ac voluntatis lepra: si enim & *iudicium* & *voluntatem* superioribus subiecissent: nunquam os suum ad improbandum, quòd ab ipsis præscribitur, aperirent.

Nolite tangere Christos meos. [Psa.104.15]

t Exod.16.8. *Deus punit murmur contra Superiores.*

u Num. 12. 11.

Lepra iudicij & voluntatis.

§. III. *Susurri & ineptæ delationes.*

TRANSEAMVS ad tertiam susurronum linguam, quæ tum complectitur omnia mala de murmuratione hactenus posita; tum maius adhuc aliud super addit. *Susurrones* enim, vt ait S. Thom. etiam sunt bilingues, sicut murmuratores; suntq; mali intermedij inter amicos: nam cum vtroq; gratiã ineunt, & malè de altero apud alterũ loquũtur: vt sic mutuam illorum amicitiam dissoluant; & *fraternã charitatem* lædant, quæ & ipsius Reip. & cuiusuis familiæ vinculum est, vt supra est dictum. Ac proinde qui discordiam in ea seminat, causa est ruinæ illius: nam (vt Saluator noster dixit) a *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Et idem Ecclesiasticus prosequitur dicens: b *susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos cõmouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diutũ de-*

2.2.q.74. a.1.& 3.

a Mat.12.25

b Eccl.28.1.

destruxit, & domos magnatorũ effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, è domibus se suis, & à viris separauit, *& priuauit illas laboribus*, & fortunis *suis, qui respicit illam, nõ habebit requiẽ, nec habebit amicum, in quo requiescat.* Hoc totum Ecclesiasticus, quòd tamen multò plura complectitur, quàm in ipso cortice appareat. Lingua enim tertia quod in se est, destruit c *regnũ Dei, quod est iustitia, pax, & gaudiũ in spiritu sancto*, conculcando iustitiam; & discordiam ac tristitiam efficiendo. Et vt Apostolus dixit: d malis suis verbis, quòd in se est, *contristat Spiritum S. Dei* habitantem in anima fratris eius, & ex sua domo expellit. Cùm enim e *Deus sit charitas: & qui manet in charitate, in Deo maneat, & Deus in eo*: qui lædit charitatem, in causa est, cur Deus habitationem suam deserat. Quomodo igitur *charitas* non detestetur linguam adeò sibi aduersam, vt pro fine habeat ipsam omninò destruere? & quomodo *Iustitia* non exerat vires suas ad vlciscendum illatum sorori suæ damnum? & quomodo vtraque soror non eam linguam detestetur, quam Deus summè detestatur: f *sex* (inquit Sapiens) *sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*, hoc est: *eum qui seminat inter fratres discordias*, destruens Christianæ eorum fraternitatis vnionem. Estq; admiratione dignũ, qud cùm inter illas sex numerasset, *homicidum*, & *falsum testimoniũ*, & alia grauissima peccata, hoc posuerit *septimum* tanquam magis horrendum: eò quòd destruat *charitatem*, quæ cuiusuis communitatis est neruus. Sufficiens huius rei testimonium & probatio est primus ille *susurro*, qui post diluuium primus fuit in mundo, & seminauit in familia Noë Zizania: quamobrem in eam incidit maledictionem, quam Ecclesiasticus minatur: quemadmodum in proximo capite apparebit.

c Ro. 14. 16.

d Ephes. 4. 30.

e Ioa. 4 16.

Susurrones odibiles Deo.

f Prou. 6. 16.

Susurro peior Homicida.

CAPVT XI.

QVA RATIONE REPRIMENDI ET CORRIPIENDI SINT DETRACTORES, & qui aliorum defectus solicitè inquirunt: & quando liceat eos prodere.

AD COMMVNE Reip. & Familiæ, & proprium tuum bonum, non satis est, quòd os tuum ad malè de alijs loquendum nõ aperias: sed quando loquendũ est, prudenter ac dextrè murmurationes, & ineptas delationes, & verba quæcunq; in proximos dici audies reprimere: respõdẽdo pro illis meliori, quo poteris modo, idq; ob *tres* titulos siue causas, quib. ad id teneris. *Prima* est, vt te ipsũ immunẽ à culpa serues, nec ex aliena maculã aliquã cõtrahas: nã (teste S. Th.) iustitia & charitas obstringũt nos ne huiusmodi murmurationib. & susurris cũ aliqua ap̃probatione, & delectationis indicio aures præbeam⁹, & vt studeam⁹ eas cùm cõmodè poterimus, reprimere. Siquidem (vt S. Bernardus ait) non

Detracto rem reprime.

I. 2. 2. q. 73. a 4. *Ne in qui neris.*

Lib. 2. de cõsid. circa finem.

est facilè statuere, vtrum sit grauius malum: murmurare, & detrahere; an aures murmurantibus ac detrahentibus præbere, nisi enim essent aures apertæ & paratæ, eos cum delectatione audire: illi nec os aperirent, vt linguã suam ad talia laxarent. Deinde is, quem eos audire delectat, prope est, vt eos in murmurando iuuet: qua ratione magis fit culpæ illius particeps, quã obrem dixit Ecclesiast. a *sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras* auribus tuis: quasi diceret, caueas à lingua aliena, occludens aures tuas, ne mala eius verba per illas intrent: sed & linguam tuam propriam custodi, ligando illam, ne huiusmodi mala verba proferat. Suadet autem primum *sepire aures*: quia quod per eas ingreditur, solet facilè laxare linguam, vt similia ijs, quæ audit, respondeat. Præscribit autem modum sepiendi, scilicet *spinis*; quæ & te & murmurantem pungãt. Eius enim murmurationes spinæ tibi esse debent, pungentes & lacerantes cor tuum, ita vtte cogant sensum aliquem exprimere externum, quo alter intelligat, displicere tibi talia audire; vt & ipse etiam pungatur & vulneretur ex eo, quod loquitur, ne vlterius in lequendo progrediatur. Hoc voluit Sapiens significare, cùm dixit: b *ventus aquilo dissipat pluuias & facies tristis linguam detrahentem*; ideoque cessare facit malorum verborum pluuiam, quæ ab illa procedunt.

a *Eccl. 28. 28*

Auditor detractoris & illum & se corrumpit.

b *Prou. 25. 23.*

2. *Teneris murmuratorem corrigere.*

NEC solùm hoc efficit charitas, vt immunem sese seruet à culpa, sed 2. accedit titulus, vt ipsum etiam *murmurantem* ab eadem eripiat, Deique offensionem impediat; ac damnum, quod eius anima patitur, reparet: & hac ratione ostendit se eum tanquam verum amicum diligere magnaque in eũ misericordia vtitur, quem à sua eripit miseria: corripiens quodammodo illum tristi illo vultu; vt malum agnoscat, quod facit, aut blandè etiam monens, aut etiam cum aliqua asperitate reprehendens, si culpa id promereatur, & ipse reprehendens aliquam ad id habeat authoritatem. In his enim casibus obligat præceptum Correctionis Fraternæ, quod Christus D. N. explicuit cũ dixit: c *si peccauerit in te frater tuus*, in tuo scil. conspectu, & contra te (vt S. Augustinus declarat) *corripe eum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, quem à peccato liberasti. Et in hoc casu nominatim, etiamsi murmuratio sit contra proximum, est etiam contra te ipsum: non solum propterea quod iniuriam proximi debeas tuam reputare, sed quòd te prouocet, vt eius, quam ille admittit, particeps efficiaris.

c *Mat. 18. 15 Apud S. Tho. in catena.*

3. *Proximo laso subuenire.*

HVC accedit *tertius* titulus non minus insignis & egregius, ad reprimendas murmurationes ac detractiones, quo studeas tui *proximi* honorem, qui læditur, tueri, eaque damna præuenire, quæ ex eis possunt in Rempublicam aut in familiam prouenire. Valde enim hoc est charitati solenne, vt alienam causam reputet propriam. Quare si tuum diligis fratrem; oportet, & in his occasionibus ita subsidium ferre, sicut velles tibi in eisdẽ constituto ab illo

ferri.

ferri. Quod si is, cui detrahitur; tuus sit *superior*, debes eius honorem ita propugnare, sicut bonus filius sui parentis honorem tuetur, & propugnat: quod si sit *minor* debes illi tanquam filio fauere; si autem est *par*, tanquam fratri & amico. quod nisi facias; prodis, te esse falsum filium, fictum fratrem, aut valdè timidum amicum.

§. I. *Declarantur prædicta exemplo filiorum Noë.*

QVÆ iam diximus, aliquam lucem habere possunt ex eo, quod euenit tribus filijs Noë, cùm ipse a *bibens vinum inebriatus est*, & obdormiens super terrā *nudatus* est indecēter: quod cùm vidisset *Cham* minimus natu, tanquam degener & malus filius, cùm debuisset parentem tegere, eique non detrahere, potius eum irrisit, & accedens ad alios duos fratres *Sem*, & *Iapheth*, retulit quæ viderat, murmurans, & instar canis genitorem suum mordens; fratresque suos instigans, ad idem faciendum. At illi tanquam boni filij, patris nuditatem non solùm alijs non manifestârunt, sed neque ipsi eam videre voluerunt, *sed impositio pallio humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt patris nuditatem*: vultus verò tristitia, quam murmuranti fratri ostenderunt, eius leuitatem & impudentiam repressérunt. Pater verò euigilans, cùm didicisset, quæ fecerat ei filius minimus, imprecatus est illi mala; Sem verò & Iapheth bona, eis benedicēs: & omnibus euenit, quod pater fuerat precatus. hæc est historia plena vtilissimis documentis ad scopum, ad quem tendimus. a *Gen.* 9. 21

I.

VT AVTEM à lapsu illo initium sumamus, qui murmurationis ac irrisionis materia fuit: non sine causa scriptura diuina hanc Noë imbecillitatem commemorat, qui cùm adeò Sanctus esset ac perfectus, per quem Deus tot fecerat prodigia, ipsiusque filijs tantum contulerat beneficium, vt à diluuio, qui reliquos homines submerserat, liberaret, eò tandem in senectute peruenit, vt in rem ignominiosam eiusque persona indignam incideret, scilicet in *ebrietatem*. Quæ licèt in ipso culpa non fuerit, (vt ait S. Chrysostomus) sed ignorātia, aut incuria: eò quòd vini virtutem nō esset expertus: est tamen signum eius, quod Prælatis virisque valdè perfectis accidit. Hi enim iusta Dei permissione impingere aliquando solent, & in aliquos labi defectus: siue id accidat ex *ignorantia*, siue ex aliqua naturæ *imbecillitate*: vt sic in *humilitate* contineantur; nec ob sua egregia opera in aliquam veniant superbiam: simul verò eademque opera fit, vt maiores sint instar *lapidis lydii*, in quo minorum & inferiorum virtus deprehendatur. *Deus permittit defectus in Iustis. Homo. 29. in Gen.*

2.

DEGENERES enim filij, malique subditi, sicut Cham, quamuis huiusmodi defectus occultè nouerint, statim illos publicè manifestant, irridentes suos prælatos, parentes, & superiores; deque eorum factis inter suos so-

cios murmurantes. Quod ex *duplici* radice ordinarie oritur. Altera est, quod sicut Cham *oderat*, cur certè parum ~~Noë~~ parentem diligebat, idque fortasse, propterea quod deprauatos eius mores asperiùs reprehenderet: ita mali subditi bonos superiores oderunt, & quemcunque in eis defectum notant: statim vindictæ cuiusdam causa illum promulgant: quasi dicerent attendite qualis sit ille, qui adeò asperè me reprehendit: cùm ipse maiori sit reprehensione dignus. Et hinc altera oritur causa siue radix, quòd scilicet eam in suis nequitijs consolationem habeant, quod dicant etiam maiores in aliquos defectus incidere, quos propterea libenter manifestant vt proprij ipsorum defectus non ita praui esse videantur. Perpendit hoc prudenter S. Ambrosius his verbis: *mens impia cùm putat errasse sapientem, insultandum arbitratur ei, cuius sibi putat mores esse contrarios: & collætandum sibi, quod iusto viro neque eruditio ipsius profuerit, neque iustitia suffragata sit.* Si enim fortis & robustus labitur: quid mirum, quod labatur imbecillis? & si Prælatus vel magister impingit: quis miretur impingere subditum & discipulum; & quemadmodum *vultures* (vt ait Sanctus Basilius) pratis odoriferis relictis, ad mortua cadauera graueolentia aduolant; & muscæ non accedunt ad partem corporis sanam & integram, sed ad vulneratam & vlcerosam: ita deprauati homines non attendunt egregia & insignia facinora, quæ alij edunt; sed vilia, & contemptibilia facta in quæ nonnunquam incidunt. Ideoque si superior & iustus aliquis in aliquo erret, aut impingat: (hominū enim est errare & impingere) id statim manifestant, de eo murmurant, optantes vt propterea vilescant & contemnantur. Boni autem subditi ad imitationem Sem & Iapheth linguas detestantur maledicas, & murmurantes, etiamsi vera narrent: & ostendunt se valdè ægrè ferre talia audire, ob amorem & reuerentiam, qua suos maiores prosequuntur, memores illius Ecclesiastici sententiæ: *ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio.* Et quoniam Prælati sui iniuriam, reputant propriam, licèt eorum culpa non placeat: eam tamen studeant cooperire pallio *charitatis, quæ operit multitudiaem peccatorum.* Ita Sanctus Gregorius moralia documenta ex hac historia deducens ait: quemadmodum filij Noë, dorso ad partem suum verso, eius operuerunt nuditatem: ita boni subditi suorum superiorum defectus improbare debent, vt eosdem studeant occultare: nam operimentum (inquit) auersi deferunt, quia improbantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt, tum ne, si illud videant, ad imitandum excitentur; tum ne, si manifestetur, alij habeant, quod irrideant. Talis fuit spiritus magni illius Constantini Imperatoris, cui in Concilio Niceno multi Episcopi memorialia obsignata obtulerunt, querelas mutuas continentia (quæ sæpè non aliud continēt, quàm

Duæ causæ murmuris.

Li. de Noë & Arc. c 30.

Oratione de Inuidia.

Impij obseruant defectus.

3.

Eccl. 3. 12.

Lib. 25. mor. cap. 15.

Boni defectus tegunt, etsi non ament.

,,

,,

mur-

murmurationes ac detractiones proprijs offerentium manibus subscriptas) quæ tamen ipse legere noluit; sed obsignata vt erant, proiecit in ignem, sententiam illam tali principe dignam proferens: Sacerdotum vitia non sunt populo promulganda: ne, eis cognitis, liberius peccandi occasionem accipiant: & si viderem, inquit, meis oculis Episcopum aliquem fornicantem, ego ipse meo pallio illum operirem, ne tale peccatum conspectum aliquod alijs scandalum adferret. ô charitatem pectore verè Christiano dignã: quæ peccatoribus non fauens, ipsa peccata occultat, ne malo odore alios inficiat? nec ipsi famam suam amittant; sed nomen seruent bonum, ne in maius aliquod detrimentum prolabantur. Ac propterea ait S. Hieronymus, Christum D. N. iussisse correctionem inprimis debere esse occultam, eò quòd amissa semel fama & pudore diutiùs hæreatur in culpa.

Constantin Magni charitas.

Correctio sit occulta. In Mat. 18.

§. II. *In duobus casibus manifestandos esse occultos aliorum defectus.*

NON est tamen parui momenti difficultas in eo, quod Sacer textus in eadem historia refert, quòd a *eugilans Noë statim didicerit, quæ fecerat ei filius suus minor.* Nunquid enim reliqui duo filij Sem & Iaphet statim murmurantes patri retulerunt, quid Cham fecisset? quod si ita fuit, cur non pallio charitatis cooperuerunt factum fratris sui, sicut turpem patris nuditatem operuerant? nam si ipsius Cham peccatum fuit graue, quod patrem suum irrisisset, & occultam alioquin nuditatem manifestasset: etiam videtur graue peccatum Sem & Iapheth, quòd de suo fratre murmurantes, eius delictum etiam occultum propalauerint. Et quemadmodum Cham deliquit volens filiorum amorem erga parentem imminuere: ita duo illi fratres peccasse videntur imminuentes patris amorem erga suum filium, etiamsi improbum. quem nodum vt soluamus, necesse est aduertere: non esse parem rationem, si occulta superiorum delicta subditis manifestétur; & si subditorum superioribus. nam primum, quoniam ordinariè loquendo non habet causam & rationem, qua iustificetur, erit contra iustitiam & charitatem, quæ iubet, illa potius occultare: siquidem ad subditum nõ spectat superiorem suum corrigere, aut eius delictis remedium adferre. Quod si aliquando id facere opus esset, debet (vt ait S. Thomas) id fieri occultè, reuerenter ac demissè. Sed quoniam superiores sunt tanquam patres quibus incumbit, subditos tanquam filios corrigere, eorumque spiritualia damna reparare; ac ne in ea incidant, prospicere & prouidere: in hunc finem licet subditorum defectus etiam occultos illis manifestare; nec censenda hæc est murmuratio aut detractio, sed actus veræ charitatis: quæ (vt idem S. Doctor ait) sæpè ad id obligat, ne vlcus occultatum putrescat,

a *Gen. 9. 24.*

Superiorum defectus celandi.

2. 2. q. 32. a. 4

Inferiorum manifestandi.

2.2.q.32.a. 7.& 3.ad 2.

treſcat, & eo laborantem occidat: & minus malum eſt ſubditum paruam aliquam honoris iacturam facere, quàm perſiſtere in periculo, animæ iacturam faciendi; aut quod hac occaſione commune bonum, quod eſt particulari pretioſius, lædatur. Non fuit murmurator aut inanis delator Ioſeph, b *cùm accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peßimo*; non enim ad id faciendum inuidia aut odium illum induxit: ſed zelus honoris *patris* ſui, qui filiorum delictis imminuebatur; & zelus boni *domus* ſuæ, quæ tali peſte infici potuiſſet: zelus item ſalutis *fratrum* ſuorum qui damnationis periculo exponebantur: ac denique zelus impediendi peccata, quæ cum Dei iniuria fiebant: nec aliud occurrebat medium illa prohibendi. Hæc omnia motiua & cauſſæ ſufficiũt, ad ſecreta inferiorũ delicta ſuperiori & patri, qui remedium adferre poſſit, manifeſtanda, cùm nos remedium adferre non poſſumus. Eædem autem cauſæ in Ioſeph fuerunt actus excellentis charitatis, cum inſigni animi fortitudine: nam ſibi perſuadens, quòd fratres hanc ob cauſam ipſum eſſent odio habituri, ac vexaturi, voluit potiùs in hæc tẽporalia damna incidere, quàm prætermittere, qua ratione poſſet ſpiritualia fratrum ſuorum damna reparare: meritò tamen exiſtimare licet Sanctum hunc virum ſeruaſſe naturalem fraternæ correctionis ordinem, monendo primum, vt ait S. Thomas, fratres ſuos occultè, vt reſipiſcerent, ſeſeque emendarent: hac enim ſecreta admonitione, quando delictum eſt occultum, non præcedente non eſt æquum alienos defectus manifeſtare, iuxta regulam à Chriſto D.N. præſcriptam, dicente: c *corripe fratrem tuum inter te & ipſum ſolum*, nullis ſcilicet adhibitis teſtibus delicti illius ignaris. Nam (vt Sanctus Auguſtinus ait) ſi tu ſolus es delicti conſcius, quia in tua præſentia eſt admiſſum, & illud abſque neceſſitate alijs manifeſtas *non es correptor, ſed proditor*; nec ita curabitur, ſed potius ruet in deterius; pudor enim, quo tunc afficitur, eum impellet ad culpam admiſſam defendendã; ac proinde illa augebitur, aut diutiùs in illa hærebit. In duobus tamen caſibus licet ſuperiori tanquam patri primum referre quando ſcilicet aliquis delicti *rumor* ſpargitur? aut quando meritò exiſtimamus noſtram correctionem *parũ* momenti futuram ob peccantis furorem & paruam corrigentis auctoritatem. propter quas cauſas credibilius eſt, Ioſephum nõ monuiſſe fratres ſuos vt qui ſciret furioſam illorum conditionem, & exiguum, quem erga ipſum oſtendebant, amorem; ac denique ob exiguam, quam minor natu apud eos haberet auctoritatem. Ob quas eaſdem cauſas credibile eſt, duos filios Noë ipſi manifeſtaſſe fratris ſui Cham impudentiam, vt illũ corrigeret, & tanquam pater reprehenderet; prauorumq; eius morũ torrentẽ retineret, & ipſam irriſionẽ & contemptũ quẽ erga omnes exercebat, reprimeret. Neque tamen quæ dicta ſunt efficiunt, vt quã-

Ordo correctionis ſeruandus.

b *Gen.37.2.*

Supra.

c *Mat.18.15.*

Serm.16. de verbis Dom.

Nõ ſi proditor.

Ne ſis vel murmur ſis vel nil proficeres.

do de-

do delictum est contra ipsummet *superiorem*, prudentiæ censeatur aut tutum, illud ipsimet ordinatè referre, propter occasionem, quæ illi datur indignationis in subditum; & vt ipsam correctionem in vindictam propriæ iniuriæ conuertat. Ideoque certiùs esse existimo: Sem & Iapheth non sponte sua parenti retulisse detractionem & irrisionem fratris sui Cham; sed coactos auctoritate ipsiusmet Noë, qui euigilans è sumno, cùm se nudum & pallio filiorum coopertum aduerteret, eos vocauit, & quid gestũ esset, quæsiuit, ita vt non potuerint illud ei occultare. Nam quando superior sufficiẽtia habens indicia inquisitionem instituit de delictis, non licet ea illi occultare, etiamsi ex tali reuelatione damnum alicui sit prouenturũ. sicut in hoc casu euenit; siquidem ipsa Scriptura Sacra dicit: *Noë cum didicisset, quæ fecerat ei filius minor, maledixit ei*, non spiritu vindictæ, cùm ipse esset vir perfectus; sed *prophetico*, prædicens, quæ in pœnam illius criminis illi essent euentura: vt scilicet ipse & genus eius *seruus esset seruorum fratribus suis*: alijs verò duobus benedixit, prædicens præmium quod essent à Deo accepturi ob zelum, quo patris sui nuditatem operuerunt. Quæ omnia figura quædam sunt eius, quod in his casibus est hominis proprium, & Dei, qui tanquã Iudex illis assistit. Homo enim naturali suæ propensioni relictus, non aliud nouit, quã sibi maledicenti maledicere; & vltionem expetere de eo, à quo iniuriam accepit contrà verò, benedicere benè de ipso loquenti, eumq; in honore haberi velle, à quo honorem accipit & fauorem. At Deus D. N. spiritu iudicis vtrumque præstat, nã & murmurantes punit, & defendentes eos; qui iniuriam illam patiuntur, remunerat. Ex quibus duobus frenum tibi & calcar conficere debes; *frenũ* quidem, vt linguã tuam contineas, cũ volueris Cham vestigia sequi; *calcar* verò, vt eandem extimules ad imitandum Sem.

Murmur in superiorem ipsimet nè facilè reueles.

S. Tho. 2. 2. q. 99. a. 1. & q. 70. a. 1.

Pœna murmurantis, præmium impedientis

§. III. *Contra indiscretas Interrogationes.*

Hinc discès, qua ratione respondere debeas imprudentib. ac temerarijs interrogationibus, quæ sunt quasi murmurationum seminariũ: seruanda. n. tibi est Regula Salomonis, a *ne respondeas stulto iuxta stultitiã suã; ne efficiaris ei similis. respondestulto iuxta stultitiã suã, ne sibi sapiens esse videatur.* Quę *duo* consilia etsi videantur mutuò sibi aduersari, respondere scil. & non respondere stulto iuxta stultitiam suam: at reuera non aduersantur, sed valdè sibi sunt conformia ac discreta: nam stulto stultè interroganti, respondendum non est iuxta ipsius desiderium: id enim esset stultitiam eius imitari; & culpæ participem fieri. Si enim curiosè te interroget de arcano ab amico tuo tibi cõmisso; aut de occulto proximi delicto, non debes illud manifestare: adeò. n. esset stulta & iniusta responsio, atq; ipsa interrogatio: fieret enim contra Sapientis sententiam, dicentis: b *qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autẽ fidelis est animi, celat amici commissum*, aut occultũ eius

a *Pro. 26. 4.*

b *Pro. 11. 13.*

delictum. Et similiter si interrogationes fiãt de rebus inanibus, aut noxijs, non licet illis respondere: ne praua illius colloquia foueantur. Sed in his casibus debes stulto respondere iuxta ipsius stultitiæ meritum, ne in ea perseueret; sed opinionem mutet, qua existimabat se non errare; aut, si sciens & volens errabat malitiosè, sese emendet: dicendo illi V. G. occultos proximi defectus manifestare non licet, etiãsi fortè aliquos habeat: sicut non vellemus nostros ab alijs propalari: quæ respondẽdi ratio præcipuè spectat ad eos, qui autoritatem aliquam habent ad docendum & corrigendũ: quemadmodum Christus D. N. non respondebat curiosis suorũ discipulorum interrogationibus, illorũ desiderio satisfaciendo; sed illud potiùs reprimẽdo.

Stulto respondũ & non respondẽdum.

Ioan. 21. 22. Act. 1. 7.

DENIQVE in his casibus seruari potest regula, quam Doctores tradunt reo, vel testi interrogato de secreto proximi delicto, ab eo qui non est Iudex; autà Iudice non habente indicia sufficientia, vt iuxta Iuris ordinem cũ autoritate interroget: quia non interroganti iuridicè non licet occultũ crimen manifestare in alterius detrimentum. Quòd si iudex vrgeret, & ad respondendum compelleret, potest respondere, se nihil tale scire: ita tamẽ, vt respondens in mẽte sua intelligat, se illud nescire, vt manifestet: nec eo modo, quo aperire illud possit: quemadmodum solent Confessarij respondere ad similes interrogationes de rebus in Confessione auditis: licitus enim est hic modus respondendi, quando ad occultam veritatem non manifestandã est necessarius; nec alia via est eandem occultandi. Nec tamen propterea cẽsendum est *mendacium*: cùm verba menti respondentis sint conformia: quãuis non sint talia iuxta mentem interrogantis: qui tamen dignus est tali deceptione, cò quòd contra rationem & iustitiam interroget.

S. Tho. 2. 2 470. q. 1.

Interroganti male, licet æquiuocè respondere.

SED ne prætereamus silentio documenta illa; quæ Christus D. N. in nocte vltimæ cœnę suę nobis reliquit, cùm Apostoli quærerẽt inter se, c *quis ex eis esset*, ipsum Christũ traditurus? & cũ S. Ioannes à S. Petro monitus, ipsum Christũ interrogauit, d *quis ille esset*. Nã licèt benè ipse Christus nosset, delictum illud paucas post horas fore manifestandum: noluit tamen omnibus Apostolis ipsum proditorẽ indicare, vt illo silentio turbationes euitaret, & bono ipsius Iudæ nomini breui saltẽ illo tẽpore cõsuleret, donec ipsemet detestãdo suo opere se ipsum infamaret: sed occulto tamen quodam indicio S. Ioãni proditorẽ indicauit, quia eius interrogatio nõ ex indignatione, aut curiositate; sed ex *compassione* & charitate oriebatur: neq; ex priuata illa insinuatione detrimentũ aliquod sequebatur; sed vtile potius fuit: quoniã S. ipse Ioãnes historiã illã erat conscripturus: expediebat verò in ipso Euãgelio exprimi quidquid Christus D. erga infelicẽ illũ discipulũ egisset, vt ex illo exẽplo disceremus prudentiã & cautelã ad respondendũ huiusmodi interrogationibus, etiã cũ fiũt de reb. quæ paulò post sunt aliàs futuræ manifestæ:

c *Luc. 22. 23*

d *Ioã. 13. 25*

Christus Iudam quando reuelauit.

feitæ : seruando scilicet secretum, bonumque proximi nomen, quamdiu is manifesta sua culpa illud non amittit : aut ad ipsius vtilitatem expedit, illam manifestare ; aut denique quando finis aliquis sanctus adest, cur reueletur. vt supra est dictum.

CAPVT XII.

QVA RATIONE SE GERERE DEBEAT IS, QVEM *alius laudat aut calumniatur: & quando expediat ipsis calumniantibus & murmurantibus rationem de rebus suis addere.*

AD perfectionẽ nostrã nõsatis est linguã nostrã ita benè refrenare, vt neq; in *adulationis*, neq; in *murmurationis* contra alios extrema declinet; sed necesse etiam est nosse similibus verbis vti, quando alij eadem *pro* nobis dixerint, aut *contra* nos: ordinariè: n. nõ desunt in mũdo *duo persecutores*, quos S. Aug. *adulatores* ac *detractores*, appellat quorũ linguę grauius sæpè nos persequũtur, quã manus & gladij homicidarũ, eorũ enim opera dæmõ ad iustos oppugnandos & expugnãdos vtitur: nã laudib. & adulationibus eos deijciũt in *superbiã* & inanẽ gloriam; murmurationibus verò & calũnijs in *impatientiã*: propterea (ait S. hic Doctor (constituit Deus D. N. vt ipsius Electi *vtrumq;* hoc genus probationũ & tentationũ experiãtur, quib. purificẽtur, magisq; in virtutibus perficiãtur: quis. n. existimaret, laudationes esse *ignem* ei qui laudatur, nisi Spiritus S. dixisset: *quomodo probatur in cõflatorio argentũ, & in fornace aurũ: sic probatur homo ore laudantis.* Caminus est *os*; gnis verò *laudatio*, in quẽ ingreditur *virtus* laudati: quæ, si sit *imperfecta*, nec benè radicata, tota euanescit in *fumum* vanitatis, & *scoriam* delectationis terrenæ, & *stannũ* solius speciei externæ si autẽ virtus est *solida* beneq; radicata, purior euadit ac splẽdidior. Perfectus. n. nihili ducit humanas laudes, benè sciẽs, se nõ aliud esse, quã sit coram Deo; & si quid boni habet, id nõ suũ esse, sed Dei; cui laus & gloria tota debetur. His addit S. Gregorius explicãs hunc locũ, laudationẽ torquere bonos, exhilarare verò improbos: Sed dum bonos cruciat, eos quasi ignis purificat, & dũ malos exhilarat: eos indicat esse reprobos; peccatores palcuntur suis laudibus, quia non sui creatoris gloriam quærũt, sed iusti, qui eã quærũt, cruciantur illis, timẽtes, se fortè intus nõ habere, quod exteriùs audiũt de se: quod si fortè habẽt, timẽt eius iacturã, dũ laudes suas audiũt: aut ne illud sit præmiũ suæ virtutis, quod esse deberet calcar ad proficiendũ & perseuerandũ in ea: ne etiã Deus illam remuneret in hac vita bono illo nomine, quod sua virtute consequuntur: & hoc sancto timore laudes suas audire horrent: ideoque nullum ex eis detrimentum accipiunt.

Duo persecutores. in id ps. 69. Euge. Euge.

Prou. 27. 21.

Laus probat virtutem.

Lib. 6 mor. cap. 2.
" "

Laus torquet bonos, recreat malos.
"

EX Hoc igne transeunt Iusti ad alterum calumniarum & *murmurationum* contra se: quemadmodum enim os laudantis ignis est, in quo probatur ipse laudatus: ita os murmurãtis est, ignis in quo probatur is, de quo murmuratur, de quo igne dixit Ecclesiast. b *homines receptibiles probari in camino humiliationis.* valdè. n. rigidè & exactè virtutis gradus examinat & probat: nã debilis & imperfecta solet dissolui, & in fumum tristitiæ, impatiẽtię & anxietatis cõuerti: quæ in grauia interdũ peccata hominẽ pertrahunt: si autẽ firma sit ac perfecta, purior efficitur tolerantia, emittitq; ex se maiores sanctitatis splendores. Cùm igitur omnes (vt S. Augustinus ait) hos duos ignes ingrediantur, vt ex eis incolumis euadas, danda tibi est opera, vt exitus bonus sit, sicut fuit ingressus, orãs Deũ D. N. (cuius ait Dauid esse c *custodire introitum exitũ* & nostrũ, vt quẽadmodũ sanus & integer fuisti ingressus: & ita integer prodeas ac perfectus: cum enim sis vas fictile, facilè, vt supra est dictũ, confringeris ob tuam debilitatem, nisi à diuina gratia fias solidior.

b *Eccl. 2. 5.*

Murmur probat patientiam. Suprà.

c *Psal. 120. 8.*

ET HINC prouenit, quod prouidentia diuina (quemadmodum S. Gregor. perpendit) ad maiorẽ electorum suorũ securitatem, constituit hos *duos* ignes mutuo sibi succedere: vt alter damnũ reparet, quod alter intulerit: ita vt si laus nos erigit ac reddit inanes: calũnia & contẽptus deijciat nos & humiliet: & si hic tardiores nos ac timidiores reddit, illa nos foueat & animum addat: eũ in modũ, quo arbor diuersis temporib. à vẽtis & cõtrarijs impellitur, quam si vnus ad alterum latus inclinat, alter inclinat in cõtrarium, & ita remanet recta: ita iustus à *laudibus & contẽptibus* oppugnatus robur acquirit, & firmitatem, ambulans, vt ait Apostolus, d *per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famã*, animo quodam his omnibus euentis superiori, vt in primo Tomo fuit explicatum exemplo Noëmi & Ruth: quæ aduersitatum ac prosperitatum vicissitudine magnam in virtutibus constantiam acquisiuerunt.

Laus & contemptus alternis nos iuuant.

d 2. Co 6. 8.

§. I. *Rationes vincendi in hisce conflictibus.*

OPeræ pretium est tamen *duas* vias hic ostendere vincendi in his congressibus: altera enim est *silentii perfecti*, cùm talia audiuntur: altera *prudentis responsionis.* Silentiũ oriri debet ex humilitate cordis, nõ agnoscentis in se aliquid laude dignũ; multa verò digna contẽptu. Debetq; huius humilitatis indicium aliquod exterius in vultu ipso apparere, aliter tamen atque aliter. Nam laudes audienti, tristitia est præferenda: vt appareat te illas illibenter audire, atque ita progressus in eis impediatur: si enim eas audire delectet, statim (vt S. Gregorius ait) illæ crescunt: pergunt enim adulatores in eis referendis, vt te recreent: & sensim cor tuum emolliant; & rigorem, quem in boni rectíque prosecutione adhibebas faciant relaxari.

Laudes tuas tristitia reprime. Hom. 11. in Ezech.

quam-

quamobrem oportet eas statim retundere, tibique ipsi interne dicere illud Dauidis: c *Ferant confestim confusionem suã, qui dicunt mihi: Euge, Eugè*, hoc est exurge, lætare, & gaude ob gregia tua facta: his enim inanibus verbis me in vanam gloriam & superbiam inducunt. Caue itaque sis hominum huius seculi imitator, qui ad inanes huiusmodi laudationes respondere solent verbis valde inhumanis, in signũ gratitudinis, quo ostendunt, eas sibi arridere. Nunquam enim laudantis manum oscularentur, nisi propriam prius essent oscula ti, complacentes, sibi inaniter exauditis proprijs laudibus, contra id quod S. Iob de seipso dixit f *si osculatus sum manum meam ore meo*, quasi inaniter mihi complacens in rebus meis, eas laudans, aut libenter audiens ab alijs laudari. In qua re vir ille sanctissimus tam suam eximiamque virtutem ostendit: Nam (vt S. Augustinus ait) licèt facilè sit laudationem ex rebus nostris non quærere, quando negatur: difficillimum tamen est, cùm eadem sponte offertur, non gaudere, & S. Chrysostomus de seipso fatetur: quando auditores laudabant eius Conciones, pati se solitum, quòd humanum est congaudendo cum illis: licèt sit credendum, id non feciſſe, quasi audiendis suis laudibus delectaretur; sed ob vtilitatem & profectum ipsorum auditorum; & ob gloriam Dei, quæ ex eo oriebatur.

QVANDO autem in eisdem casibus est *loquendum*, maiori opus est *prudentia* ac discretione: *adulatores* enim oportet *aspèrè* reprehendere, si aliquam in eos habes potestatem: quemadmodum Christus Dominus noster acriter Pharisæos reprehendebat, cum aliquam in faciem ei dicebant adulationem: f *Quid*, inquit, *me tentatis hypocritæ?* & cuidam, qui (vt S. Thomas perpendit) per adulationem vocauerat: g *magistrũ bonum*, respondit: *quid me dicis bonum?* vt intelligeret se tam procul ab adulatione dicenda esse debere, atque ipse erat ab audiẽda. Quando autem laudans rectam habet intentionẽ, repellendæ sunt laudes humilibus verisque rationibus: non vt in laudando pergat, sed vt, quis tu sis, agnoscat, quemadmodum S. Gregorius respondit S. Leandro, à quo ob perfectam & exemplarem suam vitam laudabatur. Volo, inquit, verbis tibi respondere bonæ cuiusdam mulieris: h *ne vocetis me Noemi id est, pulchram; sed vocate me Mara; id est, amarã, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Ne existimes, vir venerabilis, me nunc eum esse, quem antea noueras: quamuis enim in exterioribus creuerim ob dignitatem, interiùs tamen in spiritu valdè decreui, & cousque perueni, vt sim vnus ex illis, de quibus scriptum est: i *deiecisti eos cùm eleuaretur.* Ille, cùm est eleuatus, cẽsetur deiectus, qui ascendens ad dignitates, descendit in moribus. Hæc S. Gregorius, ex quibus apparet, vere Humili nunquam deesse rationes, eludendi laudes, quas de se audit. Et huiusmodi rationes sunt, quas Dauid appellat k *sagittas potentis acutas, & carbones desolatorios*, quos potens ipse Deus

c Psal. 39. 16.

f Iob. 31. 27. Gloss. in 1. Thes. 2. S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 1. arg 3.

Hom. 38. ad popul. *Laudes non quarere facile, non admittere difficile.*

Adulator corripiendus.

f Mat. 22. 16
g Mar 10. 17
Luc. 18. 16.

Eccl. 19. 23.

Lib. 7. Epi. 25.

h Ruth. 1. 20

Laudibus nostris prudenter respondendũ.

i Psal. 72. 8.

k Psa. 119. 4

confert contra adulatorias & fraudulẽtas linguas. Quod si in virtute sis Nouitius & Tyro, audiasque tuos maiores te laudantes; id cum vera humilitate debes magnæ tuæ imbecillitati adscribere; & necessitati, qua tanquam infans aliquis huiusmodi fomento indigeas, cum in modum, quo humilis illa Ruth audiens laudari se à Booz, cadens in faciem suam & adorans super terram, dixit: *l inueni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, & locutus ad cor es ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum*: quasi dixerit, prudentia tua ob magnam meam imbecillitatem huius laudationis tuæ causa est, quamuis ego sim eius indigna.

Nouitij laudentur, vt infantes. Ruth. 2. 10. 13.

EISDEM *duabus* vijs vtendum tibi est, cùm te aliquis verbo *contempserit*, aut contra te murmurauerit. Aliquando tacendo, aliquando verò loquendo; semper tamen cum humilitate & serenitate vultus: quamuis enim m in *linguam* alijs *detrahentem, facies tristis* sit ostendenda, vt illa aduertat, te horrere, talia audire; & ea ratione illam *dissipes, quemadmodum ventus Aquilo dissipat pluuias*: in eas tamen murmurationes, quæ te tangunt, præstat non ostendere huiusmodi signa tristitiæ, & impatientiæ ob tuum contemptum. Et si reuera sint de materia mala, cuius tu iis tibi conscius: æquum est, te eius pœnitere; ac dicere intra te ipsum (vt habetur in libro Iob) n *peccaui & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi*: quare hanc pœnam & iustam esse existimabis, & à DEO tibi missam, vt à culpa expurgeris, & vitæ emendandæ studeas. Quod si materia sit bonum aliquod opus tuum, tacendum tibi est, non tamen opus omittendo: sed tuam defensionem, DEI prouidentiæ committendo, qui huiusmodi calumnias sustinentes tueri solet: quemadmodum Christus Dominus noster o *Mariam Magdalenam* ter defendit ab eis, & à boni, quod præstabat, murmurationibus. Quod si aliquid sit dicendum, id fiat, confirmando cum humilitate bona tua proposita, eum in modum, quo Dauid vxori suæ Michol murmuranti, ipsum irridenti p *quod coram Domino saltasset*, ipse respondit, se ipsum magis humiliando & contemnendo, vt postea videbimus: Et sic ei silentium imposuit. Sic enim quadam valdè occulta & glorioſa ratione triumphum ages de tuis calumniatoribus, si ostendas te de tuo contemptu gaudere, aut fatearis te dignum esse, qui sic contemnaris; quemadmodum ad finem Tractatus præcedentis fuit explicatum.

m Prou. 2. 23. Si male egisti, dole.

n Iob. 33. 27. Si bene, perge.

o Luc. 7. 39 & c. 10. 40. & Ioan. 12. 7.

p 2. Reg. 6. 16. 21.

Tract. 4. c. 2. Gaudendum de contemptu.

§. II. *Superiores contra se ortas murmurationes impedire & amouere tenentur.*

SVPERIORES tamen in huiusmodi casibus possunt, ac verò interdum debent, facti sui rationem reddere, vt murmurationem contra se ortam impediant, & amoueant scandalum, ne impingant ignorantes,

qui

qui non intelligentes causam & motiuum ipsius, eum damnant & conqueruntur; quemadmodum fecit Pater ille familias, contra quem murmurabãt operarij, qui tota die in ipsius vinea laborauerant, eò quòd iussisset eandem mercedem ijs operarijs reddi, qui vna sola hora laborauerant, nam statim atque ad eius aures peruenit murmur illorum, vocatum ad se eorum vnum valdè blande corripuit, dicens: a *amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi: aut non licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et hac insigni prudentia querelas dissoluit murmurantium, insinuans eis quam immeritò conquererentur; & iniuriam, quam ipsi inferebant; & incommodum, quod proximo suo inferre tentabant; ac denique grauitatem peccati ipsorum, cuius morbi radici aptum antidotum applicabat: id enim significat illud, quod adiecit: *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* quasi ei dixerit: attende, quod ex mea liberalitate acceperit oculus tuus occasionem, vt esset temerarius, cupidus, & inuidus boni proximi tui: *temerarius*, inquam, fuit, eò quòd iudicaueris, me acceptatorem personarum, & iniustum, eò quòd pro labore inæquali mercedem dederim æqualem: sed in hoc deciperis, nam ex meis facultatibus licet mihi eleemosynam facere, & gratis dare, quod non debetur ex iustitia. Adde, quòd etiam in hoc es temerarius, cùm iudicas proximum tuum, minus te laborasse ob temporis, quo laborauit, breuitatem: nam plus ipse laboris perfecit in vna hora, ob eius magnam diligentiam, quàm tu feceris in duodecim, ob tuam in laborando ignauiam. Est etiam oculus tuus *cupidus*: quia non es tuis contentus, sed etiam, quod tibi non debetur, concupiscis, exigẽs quasi ex iustitia, quod labore tuo non es promeritus. Ac denique es *inuidus*, cùm doleas de bono tui proximi, ac de gratia quam ego illi feci. Cùm potiùs ex hoc ipso deberes gaudere: siquidem nihil ex ijs, quæ tua sunt, propterea amittis, quod ego illi ex liberalitate dem quod meum est, quò ipse ditescat, & bene habeat. Cogita igitur, te sine causa iratci, pacem amittere, alios turbare, aczizania in familia mea seminare: cùm meritò attendere debuisses, me tibi nullam iniuriam feciſſe, eò quòd aliquid dederim tuo proximo; sed te potius mihi iniuriam facere, eò quòd de me murmures. Sed ego iniuriam hanc tibi ignosco, reddoq; quod debeo, non me vlciscens de murmuratione, & querela, quam de me immeritò habuisti.

Hoc est exemplar quod Christus D.N. in hac parabola nobis proponit, vt in ea videamus murmurationis malitiam, radices, ac damna; & simul Prælatorum dexteritatem in ea curanda, nõ tam ad suum honorẽ tuendũ, & eius, quod fecerunt, rationẽ reddendam, ne iniusti habeantur: quàm ad pacem in sua familia seruandam, & culpam, damnaque ab ea prouentura, impediẽda.

a *Mat.* 20. 13.

Temeritas murmurantis.

Cupiditas, Inuidia.

SED

Non omnes sed capita factionum arguenda.

SED ne silentio prætereamus causam & motiuum patrisfamilias, cur nō omnes simul operarios, quorum tamen multi murmurauerant, corripere sed vnum tantum seorsim voluerit. Voluit enim nos docere modum & rationem in his correptionibus seruandum, quamuis non semper sit eadem: nam in Communitatibus semper inter reos sunt aliqui innocentes, & omnes in genere reprehendere solet esse afflictionis & desolationis occasio ipsis innocentibus, cùm se vident inter reos haberi. Ac propterea magna cū prudentia paterfamilias vnum accepit seorsum, qui murmurationis *caput* esse videbatur, aut *insolentius* in ea se gesserat: & hunc corripuit, & magis in particulari reprehendit: ita tamen vt omnes peccati complices eisdem rationibus conuicti remanerent, & corrigerentur. Et sic reliqui, qui innocentes erant, pacati manserunt, suæ innocentiæ conscij, cùm viderent, se non esse de illa culpa notatos, & ipsa Communitas manet in suo honore, cùm in ea plures innocentes esse intelligantur.

Aliquando expedit argui communitatem.

SED aliàs prudentia tenet aliam viam quæ monens ipsam communitatem de culpa, vt emendationem obtineat, quam intendit; corripit omnes, qui in ea sunt, etiamsi pauci sint rei: eò quòd nec eos nominare; neque admonitionem & correctionem prætermittere expediat. Et ita eos cum multis alijs corripiendo ipsi corriguntur, non puncti nominatim: ipsi verò innocentes ex eo redduntur cauti, ne in huiusmodi peccatum incidant. Cuius rei aptum habemus exemplum in Christo Domino, cùm aliqui ex discipulis & nominatim Iudas de b *Maria Magdalena murmurarent.* Christus enim in communi omnes monuit, & corripuit: nam neque Iudas ob cordis sui duritiem capax erat particularis reprehensionis, neque par erat, reliquos non aduertere murmurationis malitiam, & eius curationem.

b Mat. 26. & Ioan. 12.

CAPVT XIII.

PLVRIMVM REFERRE AD CONCORDIAM ET MVTVVM cum omnibus commercium conseruandum, valdè melancholicam aut valdè cholericam naturam moderari, & pertinacem, aut vindictæ cupidam domari.

INTER cætera, quæ concordiam Reipublicæ & Familiæ, & humanam mutuam familiaritatem, & consuetudinem euertunt, non postremum locū obtinet naturalium propensionum diuersitas & contrarietas: cùm scilicet quisque præceps eò fertur, & inclinat, quò naturalis corporis constitutio propendet. Ex quo fit, vt alij cholerici sint ac ve-

hemen-

hementes;alij sedati,phlegmatici,& lenti:hi melancholici,timidi & pusillanimes; illi hilares, audaces,& proiecti animi:atque inde prouenire solet naturalis quædam auersio, & animorũ alienatio, quã Philosophi *Antiphatiam* vocant,inter eos,qui diuersæ sunt huiusmodi corporis constitutionis:adeò, vt alter alterius actiones motusq; & studia fugiat,ac detestetur: ac proinde eiusdem vitet consuetudinem & familiaritatem. Atque vt plerique mortaliumab hisce motibus & propensionibus abripiuntur : ita vix vnionem & pacẽ cum ijs ineunt, qui eiusdẽ nõ sint propensionis& constitutionis:adeò, vtneq; versari cum eis possint. Quare cholerici phlematicos, & illos hi viciſſim horrent,tristes ac tetrici iucundos & hilares declinant; sicut hi illos viciſſim, atque ita rara est inter eos familiaritas & consuetudo.

Oderunt hilarem tristes, tristiq; socoste.

Quamobrem nihil adeò pacem & humanum mutuum hominum commercium iuuat,atq; quòd siniſtras suas propensiones & excessus quique agnoscant,ad quos misera illorum cõstitutio impellit;& eandẽ viriliter mortificent,seipsos vincentes,virtuteq; inclinantes ad alterum extremum,vt sic medium teneant studiosum,quod prudentia dictat:ad quam directio hęc & gubernatio spectat.Quãuis præcipuus gubernator,sit spiritus S.qui cælestibus suis inspirationibus, ac dictamine conscientiæ fide illustratæ, & virtutũ habitibus exornatæ(quarum munus est has passiones domare)perfectiſſimè id præstat,nam quemadmodũ industrius auriga currum dirigit quatuor Equorum, quorum alij ferociores sunt ac velociores;alij tardiores , omnium habenas in manu tenẽs,tardos vrget,& veloces retinet; vt pari passu omnes progrediantur:ita Spiritus S.Electorum Remp.suis impulsibus & virtutum habenis ita gubernat:vt vehemẽtes & cholericos cõtineat, plegmaticos verò vrgeat;pusillanimes excitet,ac reprimat audaces; tristes exhilaret, valdè verò lætos & hilares cõponat ac moderetur:vt pari omnes passu in bonorũ operũ exercitio progrediãtur:eum in modũ,quò superius dicebamus: quòd sancta a *quatuor animalia*,quæ *gloriæ Domini* currum vehebãt: quæ quãuis adeò essent inter se diuersa,*vna tamen gradiebantur*,eò quòd eiusdem *spiritus impetum* sequerentur:qui hominem *bonis* instar tardum impellit,vt gressum accelereat;festinantis verò instar *leonis* aut *Aquilæ* impetum detinet,vt se gressibus moderatis,qui diutiùs durant, accommodet. Diuina enim inspiratio festinantium est frænum,& tardiorum calcar: vt omnes onus portent suorum officiorum,b *Deoq; seruiant*,vt Propheta dixit:*humero vno*:singulis in se ipsis mortificantibus excessum,in quo sunt alijs onerosi.

Quisq; suum excessum mortificet.

Tract.1. c.1. a Ezech.1.11. & c.2.1.

b Iosepò 3.9.

Horvm omnium præclarum exemplum videre licet in moribus ingenuis ac generosis, quos Isaias Christo Domino nostro attribuens, sic dixit: b*non contendet,neque clamabit, neque accipiet personam, neque audietur vox eius foris:calamum quassatum non conteret,& lignum fumigans non extinguet, non erit*

b Isa.42.2. Mat.12.19.

tristis, neque turbuletus, donec ponat in terra iudicium. In quibus verbis insinuat Propheta *septem* nostri Saluatoris proprietates, in quibus boni ciues debeant illum imitari.

§. I. *Prima familiaritatis proprietas.*

1. *Tristitia.*

PRIMA proprietas, quæ ad suauem & humanam cum alijs familiaritatem plurimum confert, significatur illis verbis: *non erit tristis*, neque ex naturali scilicet sua constitutione, nec ex inordinato aliquo accidente. *Triplex* enim est *tristitia*, quædam *studiosa*, alia *naturalis*, tertia *vitiosa*. *Prima* potuit locum habere in Christo D. N. ipse enim dixit paulò ante suam passionem: a *tristis est anima mea vsque ad mortem*: & Apostolus dicit: *tristitiam quæ secundum Deū est, pœnitentiam in salutem stabilem operari*: talis est, quæ de proprijs alienisve peccatis & miserijs proximorum habetur. Hæc coniunctas sibi habet has *tres* præcipuè virtutes: *pœnitentiam*, *misericordiam*, & charitatis *zelum*: estque semper secundùm regulas rationis moderata; ne, si nimia sit, euadat vitiosa. Tristitiæ naturalis fundamentum & radix est humor *melancholicus* grauis & importunus ac molestus. Quæ complexio, quãuis culpabilis ipsa non sit: si tamen non reprimatur & corrigatur, facilè labitur in incommoda vitiosæ tristitiæ; quæ coniungi præcipuè solet his *tribus* vitijs, *impatientiæ* scilicet, ob mala, quæ eueniunt; aut bona, quæ amittuntur, *inuidiæ* ac dolori de prosperitatibus alienis; *acediæ* siue tædio ex bonis operibus, cum diffidentia quadam & quasi desperatione, ac reliquis tentationibus, quarum suprà est facta mentio. Et vniuersim, quoniam tristitia (teste sancto Augustino) earum rerum est, quæ contra nostram voluntatem eueniunt, ex ea prouenit, vt homines voluntati suæ valdè addicti, quibus propterea vix potest satisfieri, valdè subiecti sint inordinatis huiusmodi tristitijs; quarum causa tum sibi ipsis, tum alijs graues sunt & intolerabiles: *Sibi* quidem: quia b *sicut tinea vestimento, & vermis ligno*: (vt Salomon ait) *ita tristitia viri nocet cordi*, c *& spiritus tristis exsiccat ossa*, *animus* autem *gaudens, ætatem floridam facit*: d *tristitiam* (ait Ecclesiasticus) *non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo*, & in rebus gerendis. *Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis*: nam gaudium producit annos, *tristitiam ergo longè repelle a te, multos enim occidit tristitia, nec est vtilitas in illa*, quòd etiam Apostolus confirmat, dicens: e *sæculi tristitiam*, *morte operari*. Ex quo fit, vt cor ipsum debilitet, frangat alas, & hominem reddat ineptum ad benè fungēdum suis officijs, & satisfaciendum obligationibus. Nã quemadmodum dilectio, iuxta mentem Philosophi perficit opera: ita è contra tristitia multos in eisdem defectus admittit: quemadmodum accidit Aaroni, qui cum valde esset tristis ex repentina duorum filiorum morte, errorem admisit in oblatione sacrificij: qui, cum propterea à Moyse corripere-

Studiosa.
a *Matt. 26. 38*
2. *Cor. 7. 10.*

2. *Melancholica.*

Tract. 2. c. 5. § 3.
Propria voluntas sibi molesta.
b *Prou. 25. 20.*
c *Cap 17 22*
d *Eccl 30. 22.*

e *2. Co. 7. 10.*

Lib. 10. Etimol. c. 4.
S. Tho. 1. 2. q. 7. a. 3.

tur

tur, respondit: f *cum mihi acciderit quod vides, quomodo potui placere Domino in ceremonijs mente lugubri. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem*: sufficientem iudicans excusationem, quòd ex tristitia esset afflictus. Denique qui valdè sunt tristes, *reliquis* sunt in agendo *graues*, & omnes fugiunt eorum cõuersationem, gaudentes potiùs coniungere se modestè & grauiter lætis: ac propterea de Christo Domino nostro dixit Dauid: quòd eum g *vnxerit Deus oleo lætitiæ præ consortibus eius*. His verbis insinuans, futurum illum in anima hac cælesti lætitia plenum, quam totum etiam corpus modestia & grauitate quadam diuina participaret, & omnes benè illi afficerentur: omnes etiam eius socij, hoc est discipuli, eiusdem essent participes: quia plurimum in eo sibi complacet, quòd omnes in lætitia illi seruiant: sic enim idem Dauid: h *seruite Domino in lætitia; introite in conspectu eius in exultatione*. Et Salomon, longum quendam concludens sermonem: i *cognoui* (inquit) *quòd nõ esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua*: nam bona *lætitia* bonam promouet *vitam*; quæ vicissim ipsam auget lætitiam. Quare si huiusmodi naturalis tristitiæ sors tibi contigerit, debes eius excessum mortificare, siquidem gratia naturam corrigit & emendat; & (vt sponsus dixit) k *fortis est vt mors dilectio* siue charitas, ad extinguendum scilicet prauam hanc connaturalem indolem: bona etiam *conscientia*, cordis adfert lætitiam, quæ tristitiam expellit aut moderatur. Sed attentiori studio fugere oportet tristitiam *vitiosam*, diligentem dando operam, ne propriæ tuæ voluntati valdè sis addictus; sed eam cum diuina in rebus omnibus coniungas & conformes: hoc est enim quod Sapiens dixit: l *non contristabit iustum quid ei acciderit*; quia nihil ei euenit contra votum & desiderium, quod transtulit in ipsum Deum: à cuius voluntate & prouidentia acceptat & amplectitur quidquid non est peccatum; & *fiducia*, quam in ea collocatam habet, radices euellit tristitiæ, & cor ipsum pace implet & gaudio; redditque affabilem valdè & & humanum, omnibus eius Reipublicæ & familiæ.

f *Leu.10.19 & Alijs grauiu.*

g *Psa.44 8.*

h *Psal.99.* i *Eccles.2. 12,22. Natura corrigenda.*

k *Cant.8.6 3. Vitiosa.*

Prou.12.21 Fiducia in Deum.

§. II. *Reliquæ familiaritatis proprietates.* 2.

EX prima hac proprietate *secunda* oritur, quã Propheta exprimit illo verbo *neque turbulentus*, hoc est, neq; turbatus erit, nec præceps, aut festinãs instar turbinis, aut venti vehementis, qui quasi in momẽto euoluit & turbat omnia: quod propriũ est eorũ, qui natura sunt *cholerici*, & impetu quodã ac vehementia in dictis & factis suis progrediũtur; & sic turbant pacé reliquorũ, & familiam; ac ipsam etiã ciuitatem cõmouent; quos instruit Ecclesiasticus, dicẽs a *noli citatus esse in lingua, noli sicut leo esse in domo tua, euertens domesticos tuos*, huiusmodi enim furijs & tibi ipsi, & illis noces: & expellis è domo

a *Eccl.4.34.*

3. Reg. 19. 20

tua spiritum Dei, qui non habitat in turbatis, sed in quietis, & pacificis cordibus. Et quemadmodum Eliæ Prophetæ dictū est *Dominum non venire in spiritu grandi & forti, subuertente montes, sed in sibilo auræ tenuis*: ita Deus non inuenitur in ijs, qui in modo suo agendi quasi turbines & tonitrua se habent, terrentes & turbantes alios absque causa: sed in ijs, qui mansueti sunt, humani, & suaues, sicut quietus ventus & lenis, qui refrigerat quidem sed non excæcat, aut turbat. Talis igitur esse debet ratio agendi ipsius Iusti, eiusque verba ita lentè, quietè, ac tranquillè prodire, vt omnium animos ad se alliciat, refrenans naturalem & vitiosam choleram, quæ ad loquendū cum impetu & turbatione incitat: idcircò de sponsa dictū est, quod b *eius labia essent fauus*, ab apibus sanctarum cogitationum fabricatus, *qui mel distillaret*, verba scilicet dulcia, quietè, & sensim proferendo. Vt autem intelligatur, idem esse seruandum in vitiorum reprehensionibus, quo tempore solet cholera magis accendi: etiam dicitur de c *labiis* sponsi, *quòd distillent myrrham primā*: quia non solum dulcium verborum *mel*; sed etiam asperorum *myrrha* tranquillè & non tumultuariè, & animo turbato & inquieto effluere debet.

Tranquillus sit sermo etiam in reprehensionibus.

b Cant. 4. 11

c Cap. 5. 13.

Sed hoc extremum fugiens, caue ne in alterum illud incidas, vt nimis tardè & magna cum mora loquaris: id enim non minus esset alijs molestum, quàm si cum vehementia & cholera loquereris. vox (inquit S. Ambrosius) non laxa, nec fracta, aut effœminata esse debet, quemadmodum aliqui titulo grauitatis effingere solent, sed integra & virilis sicut hominem grauem decet, ita vt quisque studeat vitiosum extremum, ad quod à natura propendet, mortificare: qui nimis est phlegmaticus, addat sibi calcar, ne sit in loquendo tam tardus; nimis cholericus freno contineat suam properationem: ita scribitur de glorioso Patre nostro S. Ignatio, quòd cùm constitutionem haberet cholericam, ita illam repressérit, vt videretur esse phlegmaticus.

Lib. 1. offic. c. 9. & 13.

Nec tamen sit nimis tardus.

Hvic proprietati affinis est *tertia*, quæ illo verbo explicatur: *non clamabit*, aut *non vociferabitur*, nimis altè vocem extollendo, id enim efficit ira & cholera, sicut aduertit S. Gregorius allegans dictum illud Apostoli: d *omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor* procul *tollatur à vobis*, qui clamor valdè contrarius est grauitati & modestiæ Christianæ: cuius munus (vt ait S. Ambrosius) est hos clamores moderari: *ipsum*, inquit, *vocis sonum libret modestia, nec cuiusquam offendat aurem vox fortior*. Consulitq; idem Sanctus, vt initio sermonis vtamur voce paulò demissiori, quàm soleamus; vt ita paulatim ascendamus, donec ad mediocritatem decentem perueniamus, quemadmodum à Musicis & concionatoribus fieri solet; vt nimirum modesta, sedataque exordia, testimonium sint boni progressus futuri. Sed fusiùs hoc est prosecutus S. Basilius, dicens: vocis modum audientium necessitas ipsa definiat, adeò vt non ita demissa sit, vt non audiatur ab eo,

3. Lib. 31. mor. cap. 21.

d Ephes. 4. 31.

Lib. 1 offic. cap. 18.

Absit clamor.

Reg. 115. Breuium.

qui

qui cum loqueris: nec tamen altior, quàm sit opus; vt ille te audiat: quod si demissius loquentem audire te ille posset, iã clamor cẽsebitur, ab Apostolo damnatus. non verò clamor censeretur, quando vox ideò effertur, quòd ad plures sermo habeatur, quemadmodum à Concionatoribus fieri consueuit, aut ad excitandos dormientes, tepidos extimulandos, aut ad affectum aliquem & sentum cordis aptius exprimendum. Quod Christum D. N. interdum fecisse Euangelistæ docent, quibus tamen non aduersatur Propheta de eo dicens: *non clamabit, & non vociferabitur*, intelligit enim de clamore aliquo hominis ira perciti: quia in communi suo cum alijs colloquio & agendi ratione loquetur modesta, humili, & graui voce: id quod aptum est *medium* ad *perfectionem* acquirendam. quod etiam assecutus est quidam Philosophus, qui dixit: *ad summam perfectionem volo te esse breuiloquum; rariloquum, & submissa voce loquentem*, vt medium teneamus iam indicatum.

Multum ad id iuuerit, occasiones vitare altiùs & immodestè loquendi: V. G. non loquendo cum eo, qui procul est: si commodè possis propius accedere; non loquendo quando alij simul & confusè loquuntur; sed expectando, donec illi absoluerint. Et hoc etiam voluit insinuare Propheta cum dixit: *non audiet aliquis in plateis vocem eius*. quasi dixerit: non erit garrulus, neque loquax, sicut illi, qui simul conueniunt ad colloquendum in circulis multorum, vbi necesse est non seruari in loquendo ordinem eò quòd multi sint qui simul loquantur. Etiam iuuat non laxare *risui* habenas in rebus lætis: nam (vt Ecclesiasticus dixit) e *fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem Sapiens vix tacitè ridebit*. Iuuat quoque pertinaciam & *contentiones* in loquendo tollore, quibus semper miscentur clamores. ac propterea de Christo D. N. vtrumque simul dicitur: *non contendet, & non clamabit*. Et hæc *quarta* proprietas est, quæ plurimum iuuat ad pacem & bonam familiaritatem cum alijs habendam: vt, quantum erit possibile; abstineas à contradicendo alijs, & contendendo cum eis absque manifesta id faciendi necessitate: iuxta illud Ecclesiastici cõsilium: f *de eare, quæ te non molestat; ne certeris*. & Apostolus discipulum suum Timotheum monet: *ne verbis contendat*, eò quòd *ad nihil sit vtile, nisi ad subuersionem audientium*, eosque malo cõtentionis exemplo scandalizandos: eò quòd indicium sit superbi, arrogantis, ac pertinacis in suo iudicio hominis; & volentis semper vincere: sicut è contra valdè ædificat, quòd quis ab huiusmodi contentionibus modestè & humiliter desistat: quod expressè Salomon dixit: *honor est homini, qui separat se a contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumelijs*. ille enim verè honorem consequitur prudentis, humilis, ac modesti, redditque se omnibus amabilem: quia, vt pacem cum illis habeat, vult suo iuri cedere: stulti autem

Luc. 8. 9: Ioan. 7. 37. & c. 12. 43. Modestia vocis medium perfectionis. Refert Thur. c. Tract. 35. in Reg. S. Benedict. Occasio clamoris tollenda.

e *Eccl. 21. 23. 4. Risus & Contentio vitanda.*

f *Eccl. 11. 9.*

2. Tim. 2. 14.

autem in suis contentionibus læpe micent verba proximos pungentia.

Hoc fusius explicuit S. Ambrosius, dicens; colloquia & sermones nostros diuidi in conuersationes familiares, & in disputationes, ad inueniendã veritatem in scientijs: & in vtrisque studendum esse ne qua sit turbatio, sed noster sermo mitis sit, suauis, humanus, beneuolentia & gratia plenus, ab omni contemptus aliorum odore vacuus: *absit* (inquit) *pertinax in familiari sermone contentio*, quia semper plus vanitatis, quàm vtilitatis inuoluit: & conuersatio, quæ recreationis causa accipitur, vertitur in amaritudinem; & qua fouebatur amicitia, postea fouetur odium. Disputatio (inquit) sit absque ira; suauitas sine amaritudine; admonitio sine asperitate; & exhortatio sine offensione: & quemadmodum danda opera est; ne in omnibus actionibus nostris nimius affectus rationem conculcet, sed consilijs bonis locum demus: ita studendum est, ne verba nostra proferantur cum aliquibus indicijs iræ, aut odij aut cupiditatis, aut affectus alterius deprauati. hæc S. Ambrosius.

Li. 1. Offi. c. 2

5.

Humilis compatitur non insultat victis.

Sed contentionibus inter disputandum reiectis in vltimum huius operis Tomũ, addamus *quintam* proprietatem, quæ de Christo D.N. dicitur: *calamũ quassatũ non confringet*: hoc est mansuetudine, clementia & moderatione vtetur erga imbecilles & afflictos, eosque qui tanquam semiuicti suam incipiunt deserere stationem; & claudicant in progressu. familiare enim est superbis & cholericis, altos suos spiritus & impatientiam ostendere in minores ac debiliores, quibus putant se posse prævalere: quòd si in contentionibus disputationum initium aliquod victoriæ obtineant, non desistunt, donec omninò vincant, & alios prosternant: quòd si æmulationem cum alijs habeant, quos vident incipere cadere: non cessant donec eos prosternant & conterant: at humilis charitate feruens, est mansuetus, clemens, & misericors: non frangit arundinem, quæ integra est; nec quassatam comminuit: non deijcit stantem, nec lapsum conculcat. non detrahit exaltatos, nec deiectis & humiliatis triumphat: potiùs ex misericordiæ visceribus contendit consolidare confractos, lapsos erigere & oppressos exaltare.

6.

Proprietas.

Quod si qui illorum valdè erunt *impatientes*: erga eos magis exerit suam charitatem; nam id addit Isaias, dum ait: *linum fumigans non extinguet*; quasi diceret. si homines, qui lucem & honoris splendorem, quem habebant, amiserunt, erumpant in furorem; quòd se humiliatos ac reprehensos videant; & in ea furia sunt instar lychni, qui cùm arderet in lampade, flatu vno fuit extinctus, & ingratissimum emittit fumum: ita illi huiusmodi fumum ad nares eiiciunt, offendentes, & iniurijs afficientes eos, à quibus sunt humiliati ac reprehẽsi: nihilominus qui iustus & misericors est, eum

fumum

sumum patienter tolerat, nec vult huiusmodi impatientem ac furiosum, etiamsi importunum & impudentem, pessundare; sed cum mansuetudine illum tolerat, & expectat: donec furor ille tanquam fumus euanescat, vt, eo cessante, de eius remedio agat: imitatus illustrissimum Saluatoris nostri exemplum, in quem scribæ & pharisæi insurrexerunt, & multarum iniuriarum ac blasphemiarum fumo eum afflixerunt, eò quòd vitiorum suorum eos admoneret, ac reprehenderet. Et quamuis potuisset ipse illos perdere & extinguere, noluit tamen eas iniurias vlcisci; sed admiranda patientia illas tolerare: dans eis pœnitentiæ locum, qua possent ad nouam vitam resurgere.

Iustus sustinet impatientem.

CAPVT XIV.

QVAS NAM DISCORDIAS EFFICIAT ACCEPTIO personarum in mutuo hominum commercio; aut sibi quod optimum est, absque iusta causa vsurpare: & qua ratione illæ impediantur.

7. *Proprietas.*

VITIVM illud, quo vnum alteri absque sufficienti causa & ratione præponimus, (quod *personarum acceptionem* appellamus) innumera parit in Repub. & familia odia, inuidias, ac discordias: ac propterea in Scriptura sacra grauiter reprehenditur ac damnatur, & Isaias dixit de Christo D. a *quod non accipiet personam.* Vt autem quæ de eo dicenda sunt, faciliùs intelligantur, præmittimus hoc vitium tum interiùs in mente, tum exterius exerceri. *Interius* fit, cùm, fertur iudicium, quo absque sufficienti causa aliquis alteri præfertur, ob solam speciem, quæ exterius appareat: cùm nullum adsit sufficiens indicium eius, quod intus in eis latet, propter quod alter alteri præferatur. Ex quo iudicio prouenit *exterior* executio valdè pernicioſa in *nouem* casibus, quos refert S. Thomas: quorum *aliqui* pertinent ad Iudices, de quibus in proximo Tractatu differetur, reliquorum *duo* sunt maximè frequentes: *primus* versatur circa mores, titulos, ac nomina, loca & sessiones, quibus magis honoramus minus dignos, aut ob causas tali honore minus dignas; aut singularitate aliqua erga vnum inter multos aliàs æquales vtimur absque ratione speciali, quæ tale factum approbet ac iustificet. Hæc omnia à Sancto Iacobo Apostolo:

a *Isa.* 42, 2.

Acceptio personarum interior & exterior.

In c. 2. Epi. S. Iacobi.

repre-

reprehenduntur, dum ait: b *fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Et enim si introierit in cõuentum vir aureũ annulum habens, in veste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis; Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nõne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum?* quasi eis diceret attendite, ne in cordis vestri tribunali Iudices iniusti sitis, meliorem iudicantes diuitem propter solum vestium ornamentum; pauperem verò deteriorem ob talis ornamenti defectum. nam quidquid à falso huiusmodi ac temerario iudicio procedit, etiam vitiosum est; cùm scilicet diuiti ob solas diuitias honor iusti tribuitur, qui pauperi ob solam inopiam denegatur: certissimum enim est, externa tantùm veste neminem fieri virum bonum; sicut nec solum Habitum facere monachum: sed bonos & honestos mores eum facere iustum ac religiosum. Hoc autem exemplo vsus est Apostolus, (vt S. Thomas aduertit) vt intelligamus, honorem nemini esse denegandum, qui eo sit dignus, quocunque tandem vestium cultu tegatur, neque exhibendum indigno ob causam & titulum, quem reuera non habet: quemadmodnm iniustum esset sapienti aut sancto viro propterea solum honorem denegare, quod pauper sit, aut infimo loco natus, aut eo solo titulo, quòd sit princeps, nobilis aut diues, honorem ei exhibere. Quibus tamen, etiamsi improbis & idiotis, alius debetur honor ratione dignitatis, aut officij, aut eminentioris loci quem habent in Repub. quæ regula si seruetur, non dabitur legitima discordiæ occasio.

Honor virtuti, non externæ speciei debetur.

2.2.q.63.a.3

Dignitati suus debetur honos.

2. *Priuata amicitia tollenda.*

Hoc ipsum melius intelligetur ex altero modo acceptionis personarum, qui est in *particularibus amicitiis*: quæ oriuntur ex causis non exigentibus specialem amorem & arctam consuetudinem; sed proprio tantum palato & gustui attendẽdo: non habita ratione aliarum causarum etiã iustissimarum. id quod in familijs & communitatibus solet esse magnarum inuidiarum, ac discordiarum causa: nam qui minus, quàm cæteri sine speciali causa diliguntur, iudicãt se odio haberi, se contemni, nec sibi faueri; ac propterea iram suam conuertunt tam in eum, qui ipsis præfertur, quàm in præferentem. Et quid mirum, hanc discordiam prouenire, quando id fit absq; iusto titulo: cùm etiam oriri soleat, cùm adest sufficiens causa? quemadmodum apparet in fratribus *Ioseph* de quibus dicitur: c *videntes fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, toruè eum aspicientes, & cogitantes illum vita priuare, vt ex suo illum conspectu auferrent. Imò inter ipsos *Apostolos* fuit huiusmodi turbatio, cùm animaduerterent, quod Christus illis præferret d Petrũ, & filios e Zebedæi.

Inæqualitas inuisa.

Sed quoniam parentes, Prælati, ac Domini etiam seruata ad omnes

b *Iac.2.1.*

c *Gen.37.4*

d *Mat.17. 26.c.18.1.*

e *c.20.24.*

suos

suos domesticos humanitate, possunt, imò debent *meliorum* maiorem rationem habere: & possunt etiam aliquem habere magis intimum, tanquam specialem amicum, propter commodum & vtilitatem inde sibi prouenientem, danda illis est opera, vt discordiam, quæ facilè oriri potest præueniant, adhibito aliquo remedio, antequam illa oriatur: iuxta illud Ecclesiastici: *f ante languorem adhibe medicinam.* quemadmodum fecit idem Patriarcha Ioseph cùm in Aegypto suis fratribus se manifestasset: cùm enim quædam particularia amoris & beneuolentiæ indicia Beniamin suo ex vtroque parente fratri ostendisset: memor inuidiæ & odij, quod in ipsum ex simili causa fratres prius habuerant, discedentes præmonuit *ne irascerentur in via*: quasi diceret nolite locum dare inuidiæ propter hæc maioris amoris indicia, quæ Beniamin exhibui, cùm cõscij sitis causæ, cur id fecerim: sed pacem & charitatem mutuam seruate, vt ex hoc ego intelligam, vos verè esse fratres meos.

f Eccl. 14. 20. *Simultates præuenienda.* Gen. 45. 24.

§. 1. *De duplici alia discordiarum radice.*

HVIC acceptionis personarum vitio affine est alterum, quod non minus discordiam parit quàm illud: quando scilicet quis absque legitima causa *vsurpat* sibi quod melius est in negotio honoris, aut bonorum fortunæ, aut alterius temporalis commodi: quod ordinariè ex duplici radice oritur. Altera est *ambitio*: nam (vt Sapiens ait) a *inter Superbos semper iurgia sunt* circa puncta honoris: quia quisque illorum optimum in omnibus locum quærit absque vllo iusto titulo. quemadmodum b *filiis Zebedæi* ambientibus optima loca in regno Christi, titulo quodam cognationis, reliqui *decem* Apostoli *indignati sunt*: quos omnes corripuit Christus D. dicens: Spiritum illum esse *Principum gentium*, qui frequentant ambitionis scholam, quam mundus profitetur: discipulos autem suos non de primario loco contendere, sed vnumquemq; c *vltimum* sibi eligere debere, meliori alijs (etiamsi iure aliàs suo illum habere posset) propter pacem seruandam relicto. In quem finem *quatuor* hæc documenta humilitati Christianæ valdè consona & propria tibi sunt obseruanda.

Vsurpatio. 1. *Ambitiosa.*

a Pro. 13. 10

b Mat. 20. 21

c Luc. 14. 10

PRIMVM est, vt honorem cuique debitum in vrbanitate, cæremonijs, titulis ac locis ita exactè exhibeas, vt potiùs debitos terminos excedas, quàm in aliquo deficias, in honore alijs deferendo: præstat enim, vt te nimium facere asserant: quàm vt turbentur & conquerantur, quod fueris parcior, nec præstiteris quod debebas.

1. *Expedit plus quam minus facere.*

SECVNDVM est, vt contentus & pacatus sis cum ea reuerentia & honore, qui tibi iuxta tuum statum & locum, quem tenes, debetur: nec quæras aut etiam acceptes excessum, etiam sponte ab alijs oblatum: sed modo decenti

2. *Ipsemet tene modum.*

centi studeas illum impedire : Nam, si forte adulatoriè & fictè offeratur ; *prudentiæ* erit illum reijcere ; quod si ex ignorantia aut nimia humilitate offeratur : *humilitatis* etiam erit illum repellere: quemadmodum Sanctus Petrus non admisit, vt Cornelius procideret ad pedes eius; sed dixit: d *surge & ego ipse homo sum.* Et idem fecit Angelus, cùm Sanctus Ioannes se prostrauit, vt illum adoraret dixit enim illi: e *vide ne feceris : conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum.* TERTIVM documentum est, vt non indigneris, aut pacem tuam perdas, etiamsi alij inordinatè & iniustè vsurpare & habere velint reuerentiam, & titulos sibi non debitos. Quamuis enim, quod malum est, approbandum non sit: indignatio tamen in huiusmodi casibus est indicium superbiæ : quasi alterius arrogantia in proprium cedat contemptum. Quare si ex animo & candidè tanquam humilis vltimum amas locũ: non propterea turbaberis; quòd alter primũ sibi vsurpat. Et hinc QVARTVM oritur documentum, in eo situm, vt cum magnanimitate quadam aliorum defectus feras circa reuerentiam & honorem alias tibi debitum: nam quamuis licitè possis illa desiderare, & natura huiusmodi defectum sentiat: non licet tamen propterea indignari, & quasi vindictam meditari: potius est Christianæ magnanimitatis scire hæc dissimulare, nec huiusmodi puncta curare: vt quæ ad nihil sint aliud, quàm vt conscientiam pungant, ac turbent: sunt enim ambitionis effectus & quasi proles, cuius damna & remedia in proximo Tractatu fuerunt posita.

d *Act.* 10. 20
e *Apoc.* 22. 9
3. *Ne turberis alieno fastu*
4. *Contemptum dissimula.*

II. *Cap.* 10. §. 2. & 3. *Cupida.*

ALTERA discordiarum radix est temporalium rerum *cupiditas*, quæ semper inclinat hominem, vt quod optimum est, sibique magis accommodatum, sibi vsurpet, etiam cum iniuria & detrimento alterius: cui discordiæ vix occurri potest, nisi per charitatem & humilitatem, quæ deterioribus est contenta; & ne pacem amittat, vult potius cedere iuri suo. cuius rei præclarum, & vtilissimum habemus exemplũ in Patriarcha *Abraham*, cùm intellexisset rixam inter pastores gregum ipsius & Loth propter pascua, quia vtrique optima pro gregibus suorum dominorum habere volebant. Ipse tamen Abraham statim aggressus est eam discordiam componere verbis & actionibus magni exempli & ædificationis: dixit enim ad Loth: f *ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.* Quæ verba, quæso magis humilia & beneuola, aut etiam magis potentia dici poterant, ad contentiones illas componendas. *fratres enim* (inquit) *sumus*, ideoque non decet inter nos esse dissensiones. Cùm igitur omnes Christiani simus IESV CHRISTI Domini nostri fratres, filij eiusdem patris, qui est DEVS, & eiusdem matris, quæ est eius Ecclesia: Æquum omninò est, vt non sit inter nos dissensio, aut querela vlla. Sed quoniam ad hoc non sufficiunt verba, nisi *opere* ipso occasiones remoueantur, ad-

f *Gen.* 13. 8.
Cedere te potius, quã sic errare iuuet.

iecit idem Patriarcha: quandoquidem hæc dissensio & discordia propter pascua est orta: *Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro: si ad sinistram ieris: ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* O heroicam charitatem, tali viro dignam! ô quàm se ostendit ab omni *cupiditate* expeditum, quàm remotum ab *ambitione* & omni genere rancoris & iræ! quodnam enim medium esse potest ad vnionem & concordiam obseruandam efficacius, quàm ita liberaliter cedere iuri suo: vt liberam proximo suo relinquat electionem, ad eligendum quod maluerit, & quod sibi magis expediet? siquidem omnes lites ac discordiæ mutuæ inter homines huic fundamento innituntur, quòd vnusquisque velit sibi quod *optimum* est; & vt alij ipsorum iudicio acquiescant, ipsi verò non aliorum: quare qui his cedit; à radice euellit omnem huius damni occasionem. At Patriarcha noster vno tractu volauit super id totum, quod alij iusti ordinariè faciunt: nam (vt Sanctus Chrysostomus perpendit ius eligendi pro libitu locum, ex multis titulis pertinebat ad ipsum; eò quòd ipse esset patruus ipsius Loth, & quasi eius tutor; eò quòd esset illius familiæ caput, senior, sapientior, multò potentior, ac ditior: quare æquum erat, vt Loth illi cederet, ac eligere quod mallet, permitteret. At ipse Abraham, quò erat maior, eò magis se ipsum humiliauit, & ad pacem conseruandam toti huic iuri cedere voluit, subijciens se non maiori alicui, aut sibi pari; sed minori, honorans nepotem suum, eique permittens prius eligendi facultatem: contentus ipse accipere, quod ille relinqueret; etiamsi deterius esset. iudicans, præstare parum habere cum pace, quam multa cum dissensione & turbatione. Sed ampliùs adhuc humilitatem & charitatem suam in eo (vt S. Ambr. ait) manifestauit, quòd videns famulos suos discordes, non se iudicauit adeò fortem, vt existimaret, posse dominos esse concordes: qui solent alias amicitiam mutuam rescindere ob ineptas famulorum murmurationes, & rixas. Ideoque quà *humilis*, voluit fugere discordiæ occasionem; quà verò *charitatis* studiosus, voluit etiam inter ipsos pastores esse concordiam & vtramque familiam valdè esse vnitam, vt & ipsa capita perfectam seruarent vnionem, quamuis in eo aliquam ipse rerum suarum iacturam faceret. Quo exemplo docuit, quantam curam & operam patres familias ponere debeant in conseruanda perfecta pace & vnione inter suos: ex qua etiam ipsorummet pax & concordia dependet. Refert etiam plurimùm, *statim* atque rixa ac dissensio inter seruos incipit apparere, eam decidere atque componere, antequam crescat: quemadmodum fecit Abraham: nam, vt ait Ecclesiasticus, g *scintilla vna augetur ignis*; & ab exigua dissensione solet ad cruentam pugnam veniri. Maior etiam erit prudentia occasiones

Hom. 33. in Gen.

Lib. 1. de Abrahã. c. 3.

Discordiæ occasio fugienda.

Subditi eò ponendi.

Statim rixa edetur.

g *Eccl. 11. 34.*

nes ipsas præuenire: ne vel ipsæ scintillæ prodeant: quemadmodum Booz timens aliquam dissensionem seruorum suorum, si viderent Ruth inserentem, se, vt cum ipsis meteret; præuenit eos dicens: h *etiamsi vobiscum metere voluerit, neprohibeatis eam, & colligentem nemo corripiat*: nouerat enim vir prudens, sæpè discordiam in familia euenire ex eo, quòd alij se in aliorum officia immittant; aut sine authoritate reprehendant; aut ex inuidia quod videant, eos esse in maiori gratia apud ipsos Dominos. Ad rem itaque erit tempestiuè eos præmonere, ne discordiæ alicuius initij dent locum.

Imo præueniatur.

h *Ruth.* 2. 15. *Qui cedit ditabitur.*

NON est tamen æquum, fructum silentio præterire, quem Abraham ex opere hoc tantæ charitatis & humilitatis collegit. non enim vacat mysterio, quòd Deus permiserit Loth acceptantem libertatem eligendi, sibi ab Abraham oblatam, decipi in sua electione; & relinquentem patruo suo partem optimam, sibi accipere deteriorem: i *elegit enim sibi regionem circa Iordanem ad Sodomam*, quæ tunc erat *sicut paradisus domini*; quæ tamen breui tempore facta est deterrima, & totius mundi miserrima, & semel ipse fuisset ab hostibus spoliatus, & cum tota sua familia in captiuitatem ductus nisi Abraham illum liberasset: & postea ob Sodomorum peccata l *pluit Dominus sulphur & ignem de cœlo, & subuertit ciuitates, & omnem circaregionem*, ac simul omnis ipsius Loth substantia ibi periit. vt ex hoc exemplo intelligamus, quantam curam diuina prouidentia gerat *humilium*, ita res omnes dirigendo; vt qua parte magnam iacturam facere videntur, plurima illis commoda eueniant: contrà verò permittendo, vt qui non sunt humiles, nec aliorum defectus tolerantes, magnam ex eo *iacturam* faciant ex quo ingentia lucra sperabant. Quare, si ex charitate & humilitate alteri relinquas locum meliorem, & ea quæ sunt magis vtilia, & honorifica; nouerit Deus ita rem deducere, vt maiorem tu honorem & lucra maiora acquiras: alter verò & abiectior fiat, & commodorum suorum iacturam faciat: vt re ipsa sententia illa Saluatoris locum habeat, m *qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur.*

i *Gen.* 13. 10.

k *Cap.* 14. 12.

l *cap.* 19. 24.

m *Luc* 18. 14

CAPVT

CAPVT XV.

De perfectione charitatis in tollendis discordijs, & præsertim litibus: quantum in illis periculi sit, quibusq; in casibus licitæ sint.

EXijs quæ superiori capite retulimus, satis apparet rerum temporaliũ cupiditatem domesticarum *dissensionum* & simul plurimarum *litium*, quarum plena sunt iudicum sæculariũ, & Ecclesiasticorum tribunalia, vnicam causam esse, simul & grauissimorum *damnorum* hinc orientium, quæ omnia *iustitiæ* virtus sufficienter tolleret, si illam homines amplecti, & colere vellent: ipsa etenim vnumquemq; inducit, vt rebus suis contentus viuat, non concupiscens alienas; & alteri quod suũ est ita tribuat, vt nihil quod eius sit, sibi vsurpet. Verùm hodiè virtus hæc adeò iacet ac sordet, vt magnopere à sorore sua *charitate* iuuari opus habeat, eo modo quẽ Christus Dominus noster in Euangelica lege ei commendauit, dum varia consilia & documenta in ea proponit, ad mutuam concordiã fouendam & conseruandam, etiam cum aliquo proprij iuris dispendio, & iniuriæ contra iustitiã tolerantia, facilè hoc ipsa præstat charitas, modò perfecta sit: talis enim, est gladius cupiditatẽ resecãs. Huc spectat consiliũ illud Saluatoris: a *Ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuã tollere, dimitte ei & pallium.* Quasi diceret; noli tã inordinatè erga tuas affici facultates; neque propriã ita diligas tunicã, vt quò illam retineas, amittas charitatem, Deiq; & proximi inimicus constituaris, sed potius tã moderato & recto amore eam diligas, vt haud grauatè bona temporalia amittas, ne spiritualibus excidas: satius enim fuerit, corpus tuum nudum remanere; quàm animam tuam aut proximi, tua causa, pretiosissima charitatis veste spoliari. Atque vt stoliditatis argumentum forer, quòd *mille* valet amittere potius velle, quàm quod *vnum* tantùm: ita (teste S. Dorotheo) ob nullũ temporale commodum amittenda charitas est, quæ maiori interuallo omnia bona temporalia excedit, quàm mille vnum. b *Quid* autem tibi *profuerit si vniuersum mundũ lucratus fueris, & animæ* idcirco *detrimentum patiaris?* In cuius rei confirmationem antiqui Patres, teste Cassiano, dicebant: omnibus mundi bonis, quamuis maximè vtilia videantur, cedendum potius; quàm vt per iram, & discordiam in fraternæ charitatis detrimentum consentias, cùm Christus suaserit, vt, c *si dum offers munus tuum ad altare, ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinquas ibi munus tuũ, & vadas reconciliari fratri tuo.* Notat verò S. Chrysostomus, Christum hic generaliter locutum, siue querela fratris iusta sit, siue iniusta; eò quòd charitatem inpri-

Deest proximo Iustitia, non desit tibi charitas.

a *Mat.5.40*

Expedit corpus quam anima nuda.

Serm.4.

b *Mat.16.56*

Collat.26.7 Charitas mundo potior.

c *Mac.5.24*

mis,&quàm maximè conseruari velit. Et ideò Apostolus dixit: d *si esca scandalizat fratrem: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Verùm id Christus Dominus declarauit in secundo, quod subiecit documento, dicens: e *quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Id est, si fueris mercenarius diurnus, stude non modò implere opus & laborem tuum, ad quem ex pacto teneris; sed sponte tua plus adhuc labora; si ad cõcordiam cum proximo seruandum id necessarium esse intelligas. Quod si importunè te coëgerint, plus facere, quàm ex pacto tenearis, vt duo passuum millia pergas cùm non nisi de mille conuentum fuisset, id etiam haud grauatè feceris. Imò etsi duplicato onere, merces tibi non duplicetur. noli ideò propria authoritate vindictam sumere; neque ad iracundiã & impatientiam prouocari: sed pacem in anima cõseruare, & charitatem cum proximo, nulla illius amittendæ occasione data. Hoc scilicet est consilium magno illo Domino; qui magni consilij Angelus vocatur, dignũ. Qui quamuis impedire nolit, vt per iustitiam acquiras, quod iustè tibi debetur; aut molestiam repellas, quam tibi alij inferunt: præcipit tamen, vt hoc sine vllo à parte tuæ præiudicio fiat charitatis: tibique consulit, tanti eam facere; vt, ne illã cõtemnas, aut imminuas, aliquid potius de iure tuo remittas, confidens infinitæ illius bonitati, quod pro eadem decertabit; vel alia via damno, quod illius intuitu pateris, occurret. Recordare, obsecro, quid f ISAAC contigerit, quando Palæstini, apud quos commorabatur, prosperæ illius fortunæ & lætis successibus inuidentes, puteos à patre illius effossos obturarunt, & arescere fecerunt: ipse enim damnum hoc & molestiam æquanimiter perferens, alio in loco puteum offodit, è quo magna mox aquarũ copia scaturijt. At pastores regionis illius cũ ipsius pastoribus de aqua etiam hac cõtenderunt: propterea *calumniæ* nomẽ puteo dedit, patienter illã sustinendo, nec in vindictã prorumpendo: sed *alterum* mox puteũ fodit; at cùm eadem rixa cõtigisset, imposuit illi nomen *inimicitiæ*; verùm cùm & hanc magna cum animi serenitate tulisset, puteũ quem serui magno cum labore & molestia parauerant, ijs cessit, ac *tertium* effodi iussit, ac tum demũ omnis cessauit contentio, & contradictio: ideoq; *latitudinis* illi nomen dedit, quòd DEVS cor ipsius dilatasset & facultates in patientiæ & perseuerãtiæ præmiũ auxisset. Vt hinc locupletes & potentes intelligant, fore, vt alij illis inuideant, ac molestiam inferant, quas si æquanimiter ferre ac dissimulare non poruerint, tanta inde secutura est discordia, vt vniuersa domus & familia ruinæ exponenda sit. Verùm si *patienter* tulerint, ac dissimularint, quod sine maxima æmulorum turbatione impedire nequeunt, eorum tandem peruicaciam superabunt; & desideratam latitudinem, & opum augmentum breui consequentur.

HINC colligere licet: quomodo in *litibus* nos gerere oporteat, quæ de re Apo-

d 1. Cor. 8. 13

e Mat. 5. 41

Charitas nullo damno ladatur.

f Gen. 26.

Deus cedentibus benedicit.

Perfer & obdura, labor hic tibi proderit olim.

re Apostolus in Epistola ad Corinthios pluribus egit, quos duorum criminum insimulauit, vnum *iustitiæ* & fraternæ charitati repugnabat, alterum consilijs *perfectionis*, quam profitebantur. g *Iam quidem* (inquit) *omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, quia neque fornicarij, neque fures, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Multa quidem licent, sed non omnia expediunt, nec sub vllius redigi potestate bonum fuerit.* Quod si propterea facitis, vt habeatis quod comedere, possitis: attendite quod *esca* quidem *ventri, & venter escis; Deus autem & hũc & has destruet.* Hæc quidem Apostolus, quorum tamen aliqua prohibet tanquam *crimina*; alia tanquam *imperfectiones* parum pias & religiosas. *Crimen* est (ait Angelicus Doctor) lites ciuiles habere, quando *tres* aut quatuor circumstantiæ concurrunt. *Prima*: si sola auaritia & inordinata opum cupiditas, litis causa sit: quam Christus reprehendit in eo, qui ipsi dicebat: h *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, cui Dominus respondit: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorẽ super vos? videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet.* meritò illum, *Hominem* vocauit: cùm non nisi de rebus carnalibus, terrenisque ageret, & *litem* cum fratre haberet; quæ quamuis ad hæreditatis diuisionem spectaret: ex *auaritia* tamen ortum habebat, vnoquoque plus desiderante, quam sibi competeret. Atque hoc hominum proprium est, iuxta illud Apostoli ad Corinthios: i *cùm inter vos sit zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Et Apostolus Iacobus id ipsum confirmat, quod aduersus diuites dicimus: k *vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militãt in membris vestris?* quasi diceret: lites, & exigua illa cõcordia, quam inter vos video, hinc ortum habent, quod exiguam etiam intra vosmetipsos pacẽ habeatis, & cõcupiscentiæ vestræ & passiones inter se digladientur, ac dissentiant: si enim mortificatas concupiscẽtias haberetis, statim lites & contentiones finẽ acciperent. Atque hinc *alterum*, quod lites prauas reddit, est ipse, quo geruntur, modus, cum dissensione, inquã, & magno pacis, fraternitatisq;, quam Christiana Religio requirit, detrimento. Atq; hoc sentiebat Apostolus, quando admirans dicebat: l *anne frater cum fratre iudicio contendit?* perinde ac si diceret, vbinã est fraternitas, quã habetis in Christo? vbinam pax & charitas, quam tantoperè vobis commendauit? Et sanctus Iacobus ait: m *vbi zelus & contentio est: ibi inconstantia* in bono, *& omne opus prauum*: nam in corde est, & inde exit quidquid ad illud prouocat.

Hinc porrò originem habet *tertium* quod lites vitiosas reddit, quando scilicet iniustitia, fraus, versutiaque ijsdem immiscetur, petendo quod alie-

num

g 1. Cor. 6. 7

Lites crimen sunt, vbi lect. 2. Si excupiditate orta.

h Luc. 12. 13

i 1. Cor. 3. 3.

k Iacob. 4. 1

2. *Cum detrimento charitatis.*

l 1. Cor. 6. 6.

m Iac. 3. 16.

3.

Si iniuria ut fraus interueniat

num est;vel astu doloq; adhibito,ipsum consequi contendendo. Atque hoc est,quod Apostolus grauissimè reprehendit,dum conqueritur alterum alteri *iniuriam* irrogare,& *fraudem* aduersus fratrem machinari, cùm tanquam seipsos amare eosdem debeant;& ipsis velle,quę sibi ipsis fieri ab aliis vellēt. Hæc est petra scandali,in quam impingunt &caput confringunt,non litigātes modo;sed & Iudices, Aduocati, Causidici, Notarii, & quotquot iis in re iniqua per fraudem & dolum opitulantur. Aduersus quos gladium cōminatorium Isaias Propheta exerit,dicens: m *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiā scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerēt causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorū, & pupillos diriperent? quid facietis in die visitationis, & calamitatis de lōgè venietis? ad cuius confugietis auxiliū? & vbi derelinquetis gloriam vestram?* Vtinā litigantes,& quotquot iis auxiliātur,strictæ illius visitationis memores essent,quam viuorum & mortuorum iudex de omnibus instituet,quando rationes illorum examinabit,vtinam animo voluerent grauem illam litem & causam,quæ in diuino tribunali,etiānum indecisa dependet:in qua de *vita æterna* agitur, cuius sententia non nisi in hora mortis pronunciabitur:& in vniuersalis iudicij die coram vniuerso mundo promulgabitur? Quid ibi facies,misselle,si lites iniquas foueris,dum superueniet ista calamitas;quæ,quamuis procul tibi abesse videatur, prope tamen adest: & forsan hodierna die eadem te obrutum videbis?quis patronus in illo discrimine futurus? quis huius causæ solicitator? si opera tua te condemnauerint, quis absoluet? si pauperes & viduæ, quas tua malitia oppressisti & spoliasti, te accusent,quis defendet?quid tibi tunc dignitatis,qua hodie fungeris, splendor & gloria proderit;aut amplæ, quas nunc possides facultates conferent?omnia hic relinques,&solus ad iudicium descendes,in quo,quòd lites iniustas intentaueris,iustè damnaberis. His tribus,quæ lites vitiosas reddunt,*quartum* addit S. Thomas, *scandalum* scilicet ac turbationem quæ oritur proximo ex occasione nostræ resistentiæ, vt in grauia propterea peccata labatur. Quem defectum insinuauit Saluator,cùm dixit,non esse resistendum n *volenti tunicam nostram tollere;sed potius dimittendum etiā ei pallium*,quòd tamen rarò censendum est præceptum,sed consiliū tantùm,sicut dictum est. Et eodem spectat quod dixit Apostolus, *quare non magis iniuriam accipitis,quare non magis fraudem patimini?* quasi dicat;non nego licere aliquando litigare:sed attendite,id non semper *expedire*; & maioris esse perfectionis,pacem & concordiam cum fratribus seruare,etiam cum aliqua facultatum vestrarum iactura, & rerum necessariarum, etiam ipsius *cibi* defectu; quàm,vt hæc incommoda vitetis, cum fratribus vestris litigare; nam hæc temporalia sunt,& cum vita corporis finem accipiunt, animæ verò vita est futura æterna:b *noli*(inquit)*cibo tuo fratrē tuum perdere, pro quo Christus*

mortuus

m *Isai.10.1.*

Contra litigantes.

De Maiorata & hæreditate cœlesti.

Cogita processum in extremo iudicio finiendum.

4. *Supra. Si cum scandalo.*

n *Mat.5.40*

b *Ro.14.15.*

mortuus est; nec proprium reputes emolumentum, quod in tantum cedit detrimentum alterius. Ex his colligit S. Thomas: Religiosos, qui paupertatem sunt professi & omnia pro Christo reliquerunt, debere, ad suam perfectionem assequendam, lites omnes fugere, nihil proprij sibi quærendo: quamuis eisdem æquè liceat ac sæcularibus, bona Religionis communia etiam per litem conseruare, quando id alia via facere non possunt. Quibus addit S. Gregorius: quando necessitas nos obligat rerum temporalium curam habere, quas alij sibi vsurpare tentant, interdum expedire, id tolerare; aliquando tamen melius esse id impedire, charitate seruata: *ne rapientes non sua, semetipsos perdant*, eum in modum quo quis etiam vi proximam culpæ occasionem remouet ei, qui non vult sponte ab ea abstinere: vt sic possit veram agere pœnitentiam.

Religiosus non litiget pro se.

Refert. S. Tho. supra.

Resistere aliquando expedit ne alter peccet, & ad statum conseruandum tenetur.

In multis præterea casibus tenetur quis litigare, quando hoc medium est ad propria bona fortunæ, & filiorum defendenda necessarium, sine quibus non potest familiam suam cum debita proprio *statui* suo decentia sustentare, quamuis seruandæ tunc sint conditiones, quæ litem iustificent, *puritas* scilicet *intentionis*, *moderatio cupiditatis*, iuxta illud Apostoli: c *omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, loquens enim de se, idem alijs suadet, ne scilicet quis seruus fiat aut mancipium rerum suarum temporalium, nec ipsius litis, qua illas tuetur; sed in ea gerat se absque animi perturbatione, cũ libertate spiritus, pacificè, absq; iniuria & fraude, nulla data culpabili occasione iræ aut turbationis, quæ proximo sit scandalo: ac deniq; quando aliter fieri non potest, eò quòd alter cogat nos aut litem illi intentare; aut nos defendere ab ea, quam ipse in nos mouet: semper tamen memores sententiæ illius Apostoli: d *seruum Domini nõ oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes*, e, *& non litigiosum*, & alibi ait: f *si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*: quæ tanquam *columna* est, pacis & concordiæ amica, & fundata in spiritu vnionis cum suo sponso.

c 1. Cor. 6. 12

Conditiones in lite seruandæ.

d 2. Thim. 2. 24.

e 1. Tim. 3 3

f 1. Cor. 11. 16.

CAPVT XVI.

OPERA LIBERALITATIS ET MISERICORDIAE, QVIBVS Reipublicæ perfectio conseruatur. & eadem extendenda esse ad egenos, peregrinos & aduenas.

AD integram Reipublicæ perfectionem nõ satis est, quòd ciues sibi inuicem *Iustitiæ* opera præstent, vt hactenus indicauimus, sed (vt initio huius Tractatus insinuauimus) necesse etiam est, *gratiæ* opera exercere, quæ a duabus illis virtutibus, *liberalitate* & *misericordia*, (quæ sunt fideles charitatis & humanæ amicitiæ comites) procedunt;

Cap. 2.

Mutua dilectio.

dunt: & occupantur in benefaciendo omnibus, quos vt amicos habent: nam eos visitant, ad conuiuia inuitant, hospitio excipiunt, mutuum, cùm indigent, illis dant, aut etiam gratis, solatio illis & consolationi sunt, subsidium ac remedium in omnibus necessitatibus, meliori quo possunt modo, eisdem præbent, & a *alter alterius onera portant, vt sic* (quod Apostolus dixit) *Christi legem*, quæ charitas est, *adimpleant*: quæ facit, vt amantium se omnia sint ita communia, vt quisque, quod sibi deest, habeat in altero; & quisque possit omnia; quia omnes iuuant vnumquemque: propterea enim Salomon dixit: b *frater, qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma*, & quod sunt *nerui* in corpore, id est in ciuitate vera amicitia: qua c *omnes se inuicem diligunt* (vt sanctus Ioannes dixit) *non verbo, aut lingua; sed opere, & veritate.*

a *Gal.6.2.*

b *Prou.18.1.*

c *1.Ioan.3 18.*

Dial. 1. de leg. *Cicero verò li.2.de offi*

Et quoniam multi in ipsa Republica sunt pauperes, amictu & vestitu indigentes; multi infirmi, ac debiles; acceduntque ad eandem ob varias occasiones aduenæ, ac peregrini: necesse est florere in ea *charitatem* cum *liberalitate & misericordia* adeò perfecta, vt se ad omnes extendat; &, quo poterit meliori modo, eorum necessitatibus subueniat. Vnde Plato Reipublicæ quam constituebat, *hospitalitatis* virtutem valdè commendauit: Et Cicero dixit: benignitatem Reip. inprimis necessariam esse, vt captiui redimantur, & subueniatur indigentibus, & vnusquisque ciuis, si diues ac potens sit, debet suæ Reip. honori consulere, reparando quantum licebit, necessitates, quibus alij premuntur: d *sint* (ait Christus D.) *lumbi vestri præcincti*: superfluos sumptus & non necessarios resecando, vt *in manibus* tuis non vna sed plures *sint ardentes lucernæ* operum sanctorũ. In altera manu sint *iustitiæ* opera; in altera verò *misericordiæ*. Aptè verò hæc opera *lucernæ* appellantur, quæ se ipsas cõsumendo, lumen alijs præbent: vt intelligas, te ex ijs, quæ habes, debere aliquid auferre, tibique subtrahere: vt his operibus splendere possis. Debes (ait S. Bonauentura) similis esse e *filio hominis*, quem sanctus Ioannes *vidit in medio septem candelabrorum aureorum, habentem in dextera sua stellas septem.* Sic, inquam, decet te circundari *septem operibus misericordiæ corporalibus*; & alijs septem, *spiritualibus*: vt cum omnibus splendeas & luceas ad vtilitatem omnium; & nominatim *egenorum*: persuadens tibi, hæc *duo* operum genera esse sicut f *duo ostia de lignis oliuarum*, per quæ aditus patet ad sancta sanctorum gloriæ cælestis. Amplectendum quoq; tibi est consilium illud, quod Saluator noster dedit cuidam, ipsum inuitanti: g *Cum facis* (inquit) *prandium aut cœnam, noli* (quòd in mundo in more positum est) solùm *vocare amicos tuos, fratres, cognatos, & vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Eodem prrò modo non solùm hospitio excipies tibi notos, ac diuites per

In Dieta salutis tit.7. cap. 4.

c *Apoc 1.13.*

7.opera Misericord. f 3.Reg.6. 32.

g *Luc.12.12.*

mici-

ciuitatem transeuntes, qui etiam te excipient, cùm ad illorum ciuitatē perueneris: sed etiam excipe pauperes, peregrinos, & aduenas tibi ignotos, qui non possunt tibi retribuere: sic enim (ait S. Ambrosius) ostendis, te hæc opera non temporalis alicuius *cupiditate* lucrifacere; sed *spe* æterni præmij: vt te Deus cælesti excipiat hospitio, iuxta illud S. Augustī: h *da tectum, & accipe cælum.* Quamuis purior sit finis & intentio, si eadem opera præstes, vt ipsi Deo in suis pauperibus honorem exhibeas; & amore ipsiusmet virtutis; & ad charitatem & amicitiam erga omnes, etiam ignotos ostendēdam. Ac propterea magni semper æstimata fuit hospitalitas inter Patres antiquos, & primæuos Christianos, qui peregrinos eadem humanitate & charitate excipiebant, at q; proprios amicos & notos. Et hoc ait Tertull. fuisse vnum ex indicijs ac signis, quo veri discipuli Christi agnoscebantur. Qua de re optime Apostolus Hebræos exhortatur, dicens: h *charitas fraternitatis maneat in vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis: Memento te vinctorum tanquam simul vincti: & laborantium, tanquā & ipsi in corpore morantes,* & laboribus calamitatibus q; subiecti. Ac denique ita hæc opera erga alios præstantes, atque velletis erga vos ab alijs præstari & exerceri: siquidem eisdem miserijs, quibus alij, subiecti estis.

Lib. 7. in Luc. c. 14.

Refert S. Bonau. supra. Hospitalitatis encomiū. ioan. epi 3 5

Li. de præsc. cap. 20.

h *Heb. 13. 1.*

§. I. *Hæc opera liberalitatis exemplis ab Apostolo insinuatis confirmantur.*

Modvm & rationem hæc opera cum excellentia præstandi, possemus explicare ex iis, quæ fecit venerabilis Booz erga Ruth pauperem & aduenam, nisi ea de re actum fusius esset in primo Tomo. Sed multò commodius hoc ipsum declarabitur illustribus exemplis ab Apostolo insinuatis eorum, qui Angelos hospitio receperunt, existimantes esse homines; & exercentes erga eos hospitalitatem, & reliqua misericordiæ opera, quæ illam comitantur, sicut erga alios faciebant. Ita Iob dicebat: i *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Primus horum fuit Patriarcha Abraham, de quo refert Scriptura sacra, *quòd, cùm sederet in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei, & eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: Sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis: idcircò enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: fac, vt locutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata similæ, commisce & fac subcinericios panes. ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, dedit q; puero:*

Tract. 3. c. 2.

Hospitales Angeli inuisere.

i *Iob. 31. 32. Abraham.*

ui festinauit & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat: & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Quis obsecro, sancti huius viri feruorem in hoc opere non demiretur? Non vacat autem mysterio, quod scriptura, hoc *in feruore diei* contigisse narrat: vt ita illius erga alios, quamuis peregrinos & ignotos, charitatem hospitalitatemque commendaret. Eo scilicet tempore ante ostium tabernaculi manebat, ac cæteris dormientibus ipse (vt S. Ambros. ait) non requiescebat; sed foris respiciebat, nū quis peregrinus aduentaret, quē domo & mensa exciperet: illius enim delitiæ erant, alios hospicio excipere, & beneuolentiā ac benignitatē illis ostendere. Talis autem hospitalitas sit oportet, (subiungit idem S.) vt præsto sit ad hospites recipiendos, obuiā procedat venientibus, ad vias respiciat, per quas venire consueuêre; venire detrectantibus occurrat, & quasi cogat, ac ad diuersorium compellat. Hinc Abraham peregrinos videns non expectabat, donec ipsi aduenirent, ac diuertendi copiā sibi fieri peterent; sed magna cum benignitate & celeritate properabat ad locū vbi erant, summaque animi demissione & reuerentia pedibus illorū aduolutus *adorauit*, hoc est, eosdem exosculatus est, (hoc enim adorandi verbo significatur) magna humilitate supplicans, vt quod illis parabat obsequium, æquo animo admitterent. Iustorum enim proprium est, ipsa opera, quæ agūt intentione extollere, eisq; maiorem valorem addere: in creaturis *creatorem*, quæ illius imaginem habent, in ciuibus *Deum*, in pauperibus *Christum* intuendo: atq; hoc animo humiliant se, & peregrinos reuerentur; Domini, quem illi repræsentant, maiestatem in eis agnoscentes: cùm ipse in Euangelio dixerit: k *Hospes eram, & collegistis me*: quod hoc in casu euidenter apparuit, cùm in forma peregrinorum ipsi apparuerint Angeli, *placente Domino* (vt Apostolus ait) illa *hospitalitate*, quam ipsis ostendebat, sibi persuadēs, veros esse homines. Hinc etiam ortum habuit, aliud Charitatis opus, quod sanctus hic Patriarcha ostendit: cùm enim domi plurimos seruos haberet, non illis opus hoc credere; sed suis ipse manibus peragere voluit, *afferā* (inquit *pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, ponamq; buccellam panis*: ita enim se humaniorem & benigniorem exhibuit. Quemadmodum & Christus Dominus, quamuis tantæ maiestatis foret, non est dedignatus (vt ponderat S. Ioannes) *vestes deponere, linteo se præcingere, aquam in peluim mittere, & eadem discipulorum pedes lauare*: hoc charitatis & humanitatis exemplo docens, quid erga subditos, Superiores; & inter se subditi agere debeant. At si boni patresfamilias in huiusmodi rebus interdum filiorum & famulorum opera vtantur; id faciunt, tum, vt opus citiùs perficiatur; tum, vt misericordiæ participes fiant, & erga illam afficiantur. Propterea etiam Abraham Saræ vxori iniunxit, vt peregrinis panem coqueret: & famulo, vt vitulum

ac

1. *In feruore diei expectat. Lib. 1 de Abrah. c. 5.*

2. *Vide ibid. Peregrinum. Occurrit aduentantibus.*

k *Mat. 25. 35*

Heb. 13. 2.

3. *Ipsemet pedes lauit. Ioan. 13. 4.*

Licet aliquando aliis permittere.

pararet. Quin etiam vlterius illius charitas processit: nam in verbis quidem breuis; sed in operibus amplus fuit: pauca pollicitus est, sed plurima dedit, dixit allaturum se buccellam panis: multos tamen afferri panes mandauit: non è vulgari paratos farina, sed ex *simila*, hoc est: è farinæ flore selectissimo: idipsum & de grege fecit: è quo tenerrimum & *optimum* vitulum selegit neque famulis hoc credidit, qui in vsum aliorum deteriora seligere solent. Protulit etiam *lac* & *butyrum*, vt ex omnibus quæ habebat, conuiuium peregrinis institueret. Illud verò adhuc magis admirandum, quòd mensæ cùm illis non assederit; sed famuli ministrantis instar steterit: ad obsequium promptus, & ad necessaria afferenda paratissimus. Atq; hoc pacto perfectæ charitatis & humanitatis propria munia ostendit: dum plura præstat, quàm spondet; & optima quæque elargitur; & amicis cum gaudio seruit, illius Domini exemplo, qui discipulis suis ait: *ego in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat.* Verùm & aliud quid in hoc Abrahæ facto perpendendum: nam quamuis concedamus (vt Doctores nonnulli notant) maiorem illum reuerentiam exhibuisse, illi è tribus, qui apparuerunt, qui cæteris maior videbatur; opera tamen charitatis æqualiter singulis obtulit: quia obtulit se ad pedes lauandos; mensam quoque *omnibus æqualiter* apposuit: Perfecta enim charitas quamuis inter hunc & illum discrimen constituat: omnes tamen admittit, & omnibus sua distribuit: tamque libenter paruo & despecto, quàm magno & honorato pedes abluit: & tam benevolè mensam minori, quàm maiori sternit; si omnes illius benevolentia indigeant.

4. *Plura dedit quam promiserat.*

5. *tans ministrat.*

Luc. 22. 27.

Vide Perer.

6. *Omnibus æqualiter seruit.*

Verum prætereundum non est, quod scriptura refert, vt S. Ambrosius notat, *Saram* scilicet interea in tabernaculo delituisse; necessaria hospitibus præparando; nec foras in illorum conspectum prodijsse. Matronæ quippe honestæ, quamuis erga mulieres comes se & benignas ostendere debeant, (vt viros erga viros agere oportere diximus) erga viros tamen præsertim peregrinos, & ignotos tantam eas familiaritem præferre non decet: sed satis fuerit, eas domi intra domesticos parietes se continentes, ea curare; quæ necessaria sunt, vt mariti ritè, debiteque, quæ facienda sunt, exequantur.

vbi supra. Saræ modestia.

Hæc fuit Charitas & humanitas Abrahæ, qua dignum se effecit, cui Deus appareret: quemadmodum Christus D. ijs, à quibus velut viator & peregrinus in Emaus exceptus fuit. Quin etiam mox hanc illi charitatem est *remuneratus*: benignum se vicissim erga illum ostendens, filiumque promittens, qui summo vniuersæ familiæ gaudio esset, vt hinc Domini & ciues omnes intelligant: si ipsi erga proximos charitatem & humanitatem tum verbis, tum etiam reipsa ostenderint, Deum etiam multo benigniorem erga ipsos futurum.

Luc. 24. 29.

Merces hospitalitatis magna.

Loth. *Gen.19.1.*

SIMILIS etiam fuit Charitas *Loth*, nec minori etiam mercede compensata. Duo enim illorum Angelorum eadem vespera Sodomam etiam viatorum forma venêre. *sedebat tunc Loth in foribus* ciuitatis expectans, num quis peregrinus eminus appareret, quem in domum suam deduceret. *hos*itaque *cùm vidisset*, surrexit, exiuit obuiam eis, adorauitque pronus in terr, *dicens: obsecro Domini declinate in domum pueri vestri: & manete ibi lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram*: cùm verò illi respondissent: in platea se manere velle: *Loth compulit, illos oppido*, vt quã citissime ad ædes suas *diuerterent*: vt euidens, si foris manere contingeret, discrimen declinarent. Quibus annuentibus, lautam cœnam instruxit, & quibus potuit officijs delinire contendit. in quo charitatis suæ feruorem indicauit: quæ dum perfecta fuerit, non modò Eleemosynam *erogat*, sed etiam vltro *rogat*; nec modò rogat, verùm etiam pauperem & peregrinum renuentem accipere *compellit*; præsertim vbi illius, nisi acceperit, periculum ac damnum præuidet. Hac ille se charitate dignum reddidit quem Deus è Sodomitico eduxerit incendio: Angelis hospitalitatem hanc, eodem charitatis genere remunerãtibus. Loth enim periculo illos, quod suo iudicio imminebat, si in publico manerent, educere satagebat: ipsi autem illum certissimo incendij, quod impendebat, discrimini subduxêre. Neque enim misericors Dei nostri cor pati potest, *misericordem* in alios perire.

Cogendi pauperes.

Misericordiæ fructus.

Mat.5.7.

§. II. *Omnium rerum publicarum ad duas præcipuas reductio.*

Li.14.de ciuit c.28. *Duæ ciuitates contrariæ.*

SED Tractatum hunc tandem concludamus, vniuersas cum S. Augustino Respublicas & ciuitates mundi ad duas primarias, & eminentiores reuocando, vnam *cælestem*, alteram *terrenam*; vnam Ierusalem, alteram Babylonem. *Prima* est fidelium congregatio, in Dei amore, vsque ad sui ipsius despectum fundata, duabus nitens columnis siue basibus: *veritate & virtute*; *fide & charitate*; Christi & Ecclesiæ communes & proprias cuiusque officij seruans *leges*: opera adhæc *misericordiæ* exercens eo modo, quo in præcedentibus declaratum est capitulis, & latiùs in sequenti Tractatu deducetur. *Altera* est peccantium si improborum & colluuies proprio amori vsque ad ipsius Dei contemptum innixa, a *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ effrenatè consectans*, ideoque leges & opera *iustitiæ & misericordiæ* conculcans. Et quamuis duæ hæ Resp. & ciuitates ita in hac vita sint mixtæ, nam mare mundi huius & b *Sagenæ* Ecclesiæ Catholicæ *bonos* simul & *malos pisces* comprehendit, & c *in agro*, *& area* terræ huius permistum est *triticum cum Zizaniis*; *& granum cum palea*: in die tamé iudicij vniuersalis Christus Rex æternus diuisione illos æterna *separabit* & iustorum Rempublicam d *statuet a dextris suis* inter Angelos, eosque laudãs

a *1. Ioã. 2 6.*

b *Mat.13.47*

c *ver.25.*

d *cap.25.34.*

à fide-

à *sinistris*, & coram vniuerso mundo honorans, per sententiam pubblicam illis attribuet regnum cœlorum, ob præstita opera *misericordiæ*, & impleta opera *iustitiæ* & mox tradet illis cœlestis Ierusalem possessionem, hoc est cœli Empyrei : vbi imponet illis *gloriæ* coronam, quam sancta sua vita fuerunt promeriti. Iniquorum verò Remp. *statuet ad sinistram* suam in societate Dæmonum, eos despiciens, & ad ignes æternos condênans: eò quòd nec diuina *præcepta* seruauerint, nec *misericordiæ* opera erga egenos præstiterint. Ac proindè in momento eos in æternam inferni Babylonem præcipitabit; vbi pœnas æternas luant, quas peccatis suis fuerunt promeriti: cùm igitur Christus D.N. membrum te Christianæ Reip. fecerit ciuemque Ecclesiæ suæ : supereſt, vt studeas esse membrum viuum; ciuisq; perfectus; & principalis pars cælestis ciuitatis, d *exiens* (vt vox cælestis dixit) *de Babylone, ne particeps sias delictorum eius; & de plagis eius non accipias*; excitans quoq; teipsum ad custodiendas omnes leges, & explendas tuas obligationes, iustus existens & misericors erga omnes.

Nunc mixta posſi secernentur.

Sit membrum viuum.

d *Ap.* 18. 4.

Qvod si talis tibi sors contigit, vt in aliqua ciuitate aut communitate habites, tot peccatoribus plena, quæ tanquam altera Sodoma, ob sua sceleraigne cæsti exuri mereretur : debes in ea versari tanquam alter Loth, de quo S. Petrus : e *quod aspectu & auditu iustus esset, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Quitamen remotissimus erat ab illorum imitatione; cùm potiùs perpetuò vigilaret & attenderet, vt bono eis esset exemplo, & omnibus benefaceret: quod si & tu feceris, liberabit te Dominus sicut ipsum Loth, ab ea oppressione & angustijs in quibus versaris: & in nouissimo Iudicij die te cum summo honore ad suã dextram collocabit; faciétque perpetuum cælestis Ierusalem habitatorem & ciuem viuamque sancti sui templi *columnam*, cum gratiarum ac donorum excellentia, quam ceteræ columnæ significabant, sedentem cum ipso Christo D.N. in throno gloriæ suæ, eiusque dulcissima præsentia fruentem in æterna sæculorum sæcula, Amen.

Sit bonus inter malos.

2. Petr. 2.

TRACTA-

TRACTATVS QVARTVS,

DE PERFECTIONE STATVVM ET OFFICIORVM INSIGNIORVM, FORVM QVI REMPVBLICAM CHRISTIANAM præcipuè secularem gubernant.

CAPVT I.

PERFECTIONEM CHRISTIANAM DEBERE maximè prælucere in suprem is capitibus, & gubernatoribus Reipublicæ: & duo tituli siue nomina, quibus illi ad eam procurandam tenentur.

SVPREMA CAPITA ET GVBERNATORES Reipublicæ Christianæ cuiuscunque (licèt in hoc Tractatu præcipuè de seculari sit agendum) debent meritò in omnibus virtutibus prælucere: procurando sibi perfectiùs & excellentiùs illas, quæ ad membra ipsius Reipublicæ pertinent, sicut in proximo Tractatu fuerunt indicatæ.

1. *Caput maiori perfectione ornandum.*

NAM, quemadmodum Naturæ Author, in fabrica naturalis corporis hominis, posuit in capite quinq; sensus, in quib⁹ tota gubernatio, præcipuaq; eius pulchritudo cõsistit, relicto sensu *tactus* alijs mẽbris cõmuni: ita Author Gratię cupit in mystico Ecclesiæ suæ, & trium Rerumpublicarum eius corpore, inueniri in eius *capitibus* omnes virtutes cum maiori excellẽtia, tam quę ad propriam ipsorum pulchritudinem & perfectionem; quàm quæ ad aliorũ gubernationem sunt necessariæ: qui quòd sint partes minus præcipuę, non tantam requirunt perfectionem.

2. a *Eph.* 1 22. *Exemplo Christi.*

ET quemadmodum *Christus* D. N. eò quòd sit a *caput* Rerumpublicarum cœli & terræ, habuit valde eminenter omnes gratias, virtutes, & perfectiones, quæ sunt inter homines distributæ ita etiam vult, eos, qui futuri sunt *capita* alicuius Reipublicæ, habere excellentiùs virtutes aliorum.

3. b 1 *Reg* 9 2.

CVIVS figuram expressit scriptura, cùm loquens de Rege Saule dicit, quòd quando Deus eum elegit in Caput & Regem Israel, b *erat electus & bonus & non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero & sursum eminebat super*

omnem

omnem populum. Nam vt S. Gregorius ait, hæc corporis super reliquos omnes proceritas, significabat excessum, quo etiam in spirituali virtutum excellentia eosdem superabat. *Humerus* enim quo portantur onera, significat *fortitudinem, & patientiam*: quibus debet illos superare, & tanquam dux pro eis contra eorum hostes pugnare. *Collum & guttur*, vbi vox efformatur, est efficacitas verborum ad iubendum, docendum, & dirigendum alios: in virtute etiam debet alios excellere, quemadmodum Magister suos discipulos. *Caput*, vbi sensus habent suam sedem, est plenitudo omnium virtutum, in quibus debet ipse omnes excellere tãquam bonus & c *electus ex millibus*. Erit verò satis, si subditi suis capitibus humerum attingant Regis & Prælati: quia supremum, ad quod ipsi intendere & desiderare possunt, est, vt per imitationem ei fiant proximi qui illos gubernat: qui & humerum & caput super reliquos habere debet, quasi qui in altiori loco est constitutus, vt & videre possit & videri: videre scilicet suos, vt dirigere possit: videri verò, vt viuum exemplum illis sit bonorum morum. d *Non accendit* (Deus eiusmodi *lucernas vt ponantur sub modio*, e *aut subtus lectum sed supra candelabrum, vt luceant* toti Reip. *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita*: nec bonus Rex & gubernator, qui præsidet ciuitati, tenetque præcelsiorem in ea locum. Non sine mysterio dixit Apostolus: quòd quemadmodum f *Christus est caput, viri: ita vir est caput mulieris*. Ac propterea, cùm *vir orat in Ecclesia, nõ cooperit caput, deturparet enim caput suum, quia imago & gloria Dei*, licèt expediat mulierẽ cooperire ad significandum (quemadmodũ S. Thomas perpendit) quod vir, qui caput est Reip. nihil super se ponere debet, quod sit mediũ inter ipsum & Deũ, ne velũ quidẽ, quo caput suũ in præsentia Christi cooperiat, cui immediatè coniungi & subiicere se debeat: estque magna ipsius ignominia, quòd re aliqua tẽporali & terrena se cooperiat; & imaginẽ Dei deturpet; eiusq; gloriã aliqua culpa obscuret, aut maculet. Cùm igitur Dei gloria nõ sit cooperienda, aut occultãda; sed toti mundo manifestanda: non cooperiat gubernator caput suum, nec opera occultet, quæ tanquam Reip. suæ caput facit; sed vt patentia sint, & aperta: non vt ipse honoretur, sed in exemplum & bonum aliorum; & vt propter illa Deum glorificent. Tegant se subditi; & includant, si velint competit enim mulieri caput suum cooperire, quia gloria est viri: imbecilli quoq; expedit, non multũ exponere publicè sua opera, sed subiicere suis superioribus: quia sic eos glorificat: estque Principũ & Prælatorũ honor, subditos habere, qui se ipsis subiiciãt. At Principes ipsi & Prælati honorẽt in se Dei imaginẽ, quã gerũt, & præsidentiã super alios, quã ab ipso acceperunt: conantes eã Præclaris virtutibus exornare. vt absq; pudoris velo corã ipso Deo & hominib⁹ possit cõparere. Ita Rex ille Sãctus faciebat, qui dicebat: g *perambulabã in innocentia cordis mei*

Lib. 4. in 1. Reg. c. 4. Saul altior & melior.

c *Can. 5. 10.*

Principes exemplar subditorum.

d *Mat. 5. 15.*

e *Luc. 8. 17.*

f *1. Cor. 11. 3.*

In eum locum.

Princeps nõ se cooperiat terrenis sed opera sua bona reuelet.

g *Ps. 100. 2.*

Cor Deo 1 *opera homi nibus.*

h *Gen.*1.14

in medio domus meæ: quasi dixerit: nõ semper me inpenetralib. continebã: sed in meo palatio & aula sæpè deambulabam; *cor* meum in oculis Dei purum conseruabam; *opera* mea in hominum conspectu faciebam, vt bonum exẽplum imitarentur. Eum in medium, quo h *Sol & Luna*, quæ maxima sunt luminaria à Deo creata, vt *præsiderent diei & nocti*, quotidiè circulum suum implent per totum cælum, mundum ipsum illuminando. Ita etiã qui Ecclesiasticæ & seculari Reip. præsident, meritò debent esse reliquo populo excelsiores: non solùm in excellentia dignitatis, sed etiam in vitæ sanctitate & splendore quare certis temporibus meritò debent in publicum prodire, & ciuitatem perambulare: illuminãtes exemplo suo bono subditos, & omnes qui ipsos aspicerent: adeò præclara opera facientes, vt aliorum opera ita obscurẽt sicut Sol maximo suo lumine reliqua sydera obscurat. Hoc ipsũ nobis proponit ob oculos reuelatio facta Patriarchæ S. Ioseph, quod esset à fratribus suis adorandus tanquam Dominus ac Rex terræ, i *vidi* ait *nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*: ad significandum occupationem Regum & gubernatorum, quos Deus eligit, & omnium subditorũ ac ciuium esse debere, manipulos colligere bonorum operum: ita tamen, vt *Regum* & superiorum opera debeant esse adeò excelsa, & sublimia vt reliqui ea tanquam talia agnoscant, colant, ac reuereantur; ita vt contenti non sint cultu & veneratione; quæ illis ob dignitatem debetur; sed multò ampliùs ob præclara *opera* quæ faciunt.

Vt Sol stellas, sic Princeps subditos.

5.

i *Gen* 37. 7.

Reges venerandi ob facta.

§. I. *Reges & Principes teneri ad perfectionem.*

1.

Vita dignitati respondeat.

a *Esa.* 3. 8.

b *Dan.* 2. 31.

HINC deducere licet rationes & titulos, quibus Reges & Principes, & omnes qui sunt Reip. capita, teneantur esse valdè perfecti. *Prima* ratio siue titulus est, ob sublimitatem dignitatis, quam habent: nam, quò illa excelsior est, eò vita debet esse perfectior, vt ipsi dignitati benè respondeat. siquidẽ Isaias dixit: *Princeps ea quæ digna sunt Principe cogitabit*: ac proindè meritò & loqui & operari debet iuxta sublimitatem, quã tenet: itaque quemadmodũ statuæ illius, quã vidit Nabuchodonosor, ex varijs metallis compactæ, semper pars sublimior, erat etiã pretiosior; inferior verò vilior: nã b *pedes erant ex ferro, & luto, tibiæ* totæ *ex ferro venter & femur ex cupro, pectus & brachia ex argẽto, caput verò* totum *ex auro optimo* ita etiã in Christiana Rep. qui altiorem statũ occupat, meritò sanctior esse debet, ac perfectior: &, si illi, qui in ea sunt tanquã pedes fuerint partim ex *ferro*, partim ex *luto*: quia interdũ se imbecilles ac fragiles ostendunt, interdum verò fortes & cõstantes; nõ mirũ est, quia propè terrã incedentes, aliquid terræ eis adhæret: cæteri verò eius ciues, vt crescunt in dignitate statuum & officiorum: ita debẽt in puritate & ingenuitate morũ proficere. Et *Reges*, & oẽs, qui capita

sunt

sunt, debēt esse ex *auro* optimo & selectissimo: & eò amplius in virtute reliquos ciues excellere, quo aurū reliqua metalla excedit. Et propterea in libro Canticorū de diuino spōso dicitur, c *caput eius aurū optimū*, in ijs enim, qui corporis eius mystici sunt capita meritò debet plurimū splēdere perfectio *charitatis*, cū vtroq; excellēti suo actu, amore scil. Dei & proximi. Nec satis est, quòd caput sit ex quocunq; auro, sed debet esse *optimū* & selectū: vt nō quacunq; charitate sint contēti; sed supremo eius gradu: vt etiā perueniat, si opus est, ad exponendā vitā in obsequio sui creatoris, & vt sui officij partes expleat. Et sicut inter Angelos, qui capita sūt illius Reip. & hierarchiæ cælestis, vocātur *Seraphini*: quia Dei amore præ alijs ardēt; ita, qui Reip. Christianæ & Ecclesiasticę Hierarchię sunt capita, debēt suo modo esse Seraphini & præ alijs omnibus amore Dei & proximorū ardere. *Et* hinc *secundus* titulus, siue ratio oritur, quę illos obligat ad magnā sanctitatē: eò quòd sit magna inordinatio, degenerare à dignitate, quam habēt; cogitādo, loquēdo, aut operādo ea, quæ sunt Principibus indigna valdeq; aliena ab ijs, qui sunt capita. Si caput debet esse ex auro optimo: quàm alienū esset, si totum esset ex fragili *luto*: & semper ad res terrenas, & vitia carnalia propēderet? Aut quid esset si totum esset *ferreū*, cū pertinacia in suo iudicio, & nimia seueritate in sua gubernatione, absque vllo splēdore virtutum &, multis vitijs defœdata? Possemus tali capiti ea dicere, quæ S. Bernardus scripsit ad Eugenium Papam: Simia in tecto est Rex fatuus in solio sedens. Audi, inquit, nunc canticum meū & quidē minus suaue, se salutare. Monstrosa res gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens authoritas, & nutās stabilitas. Admoui speculum: fœdus se in eo vultus agnoscat: tu gaudeum dissimilem inuenire. Hæc S. Bernardus. Ex quibus apparet, quod sicut monstra appellamus ea, quæ in se continent plures naturas contrarias (vt si corpus humanum caput haberet alicuius feræ) ita sunt monstra Reipub. qui in alto statu, angelorum digno, collocati, vitam ducunt bestiarum, defœdantes dignitatem maculis culpæ: quæ eò sunt turpiores, quò cadunt in vestem preciosiorem. Qualis fuit culpa magni illius Regis Salomonis, cuius egregia facinora postquam Ecclesiastic. narrasset, subijcit: d *dedisti maculam in gloria tua, & profanasti* totam excellentiam tuam, & *semen tuum*.

Ex status sublimitate *tertius* oritur titulus & cauta, quæ valdè obligat ad quærendam perfectionem: quò enim maior est dignitas, eò censendum est maius Dei donum; & beneficium eius sublimius, quod ex liberalitate & misericordia sua contulit. Siquidem nec Rex seipsum fecit Regē, nec Princeps Principem; nec parentes elegit Reges, aut Principes, qui illum genuerūt; nec imperium suis meritis, aut sola sua industria obtinuit, quia horum

e Can. 5. 11. *Princeps charitate fulgeat.*

Sit Seraphicus.

2. *Degenerare turpe est.*

Li. 2. de Cōs. « « « « « » »

Monstrum Princeps vitiosus.

d *Eccl. 47. 22.*

3.

omnium præcipuus author est Deus. Ille sceptrũ dat, & coronam, ille (vt S. Iob dixit) e *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit funerenes eorum.* cùm igitur pro maiori beneficio maior debeatur *gratitudo*, quæ apparet in maiori fidelitate ergà benefactorem, æquũ omninò est, id fidelissimè facere; tanta perfectione vitam instituendo, quantam excelsus status & officium acceptum exigit. HINC est, quòd cùm Deus D. N. iuberet Saulem oppugnare Amalecitas, reuocauit illi in memoriam beneficium ipsi collatum, cùm Regem Israel constituit: quasi hac ratione illum impelleret ad ipsi obediendum, & exequendum quod iubebat. Et quando ipse Saul non plenè satis fecit obedientiæ, reprehensus est à Samuele nomine ingratitudinis, dicens. f *nonne cùm paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in Regem? Quare ergò non audiuisti vocem Domini?* quasi distinctius illi dixerit, cùm tantùm Deus in te contulerit beneficium, vt regni totius caput te constitueret: cur ingratum te tanto benefactori exhibuisti? Et cùm Nathan Propheta Dauidem ob adulterium admissum reprehenderet, etiam præmisit, quod vnctus fuisset à Deo Regem super Israel, & multa alia beneficia accepisset: & quasi obiiciens ingratitudinem, subiunxit: g *quare ergo cõtempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu eius?* vt ex his intelligamus: Principes & capita Reipub. magis obstrictos esse, vt fugiant peccata: quæ si admittant, censeri magis ingratos Deo, à quo maioribus fauoribus fuerunt præuenti. Siquidẽ eò grauior est ingratitudinis culpa: quò sunt maiora beneficia, quæ obligant accipientem, ne se ingratum ostendat.

e *Iob 12. 18 vide Pined in eũ locum. Gratitudo exigit vt tam sanctã.*

f *1. Reg. 15.* *Saul.*

Dauid.

g *2. Reg. 12. 9.*

4. *Princeps habet duos Angelos. 1. p. q. 13. a. 3 & in 2. sent. d. 11. a. 2 ad 4. Oratio. 2. ad 150. Epis. Et Plures Angelos ad tutores.*

HVIC titulo additur *quartus*, ob alia scilicet singularia beneficia, quæ Deus D. N. Principi confert, vt sit perfectus: non enim contentus fuit, assignare illi, sicut alijs communiter, custodem Angelum ex infimo choro minoris Hierarchiæ cœlestis, sed alium quoque addit ex superioribus choris, qui sunt *Archangeli & Principatus*, vt ipsum in sua gubernatione adiuuent. Et vt S. Thomas ait, inter duos Angelos versatur, quorum alter eum docet esse bonum *Christianum*; alter bonum *Regem*; vterque tamen simul, & ad vnum tendunt. Non enim erit bonus Christianus, si sit malus Rex; nec bonus erit Rex, si sit malus Christianus. *Præterea* quemadmodum quælibet Prouincia & ciuitas (vt Sanctus Gregor. Nazianzen. ait) suum proprium habet Archangelum, & vnumquodque regnum suum Principem, qui illud custodit: (sic enim Daniel appellauit Principem Regni Persarum) ita credendum est, omnes hos Archangelos & Principatus adiutores esse Regis, vt benè fungantur gubernatione tot communitatum. Hi suggerunt, quid pacis, & quid belli tempore sit faciendum; Defendunt illum in occurrentibus periculis, & extimulant, vt suis obligationibus satisfaciat, sitque in virtutibus excellens; tantumque reliquos

ciues

ciues in virtute superet, quantum Principatus & Archangeli inferiores Angelos excellunt. Nec tamen adhuc est contentus Deus: quòd hæc auxilia per angelos mittat; sed ipsemet magis adhuc peculiarem illorum prouidentiam gerit, quàm reliquorum ciuium. Quemadmodum enim ipsimet Reges maiorem curam gerunt suorum ministrorum, quàm reliquorum; Et adhuc maiorem eorum qui in ipsa gubernatione ipsum adiuuant: ita Rex cœlestis maiorem eorum curam gerit, quos tanquam instrumenta adhibet ad reliquos homines gubernandos: Eoq; maior hæc est cura, quò illi sunt gubernatores magis vniuersales; & quorum gubernatio ad plures se extendit. Et propterea Sapiens dixit: h *cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Nam, licèt omnium corda in eius manu & potestate sint; peculiariter tamen cor Regis, ob curam maiorem, quam adhibet in ipso gubernando ac dirigendo, ad id, quod ipsum faciat perfectum Regem. Quod cùm ita sit, aspiciat se Rex continuè inter *duos beatos Spiritus* constitutum, qui illũ custodiunt & ex omni parte à *Maiestate* diuina circumdatum, diuina sua prouidentia ipsum gubernante. Et hoc ipsum instigabit, ne vel in vno puncto debito suo desit; ad perfectionem procurandam, quam eius status exigit. Meminerit satanam in sua gubernatione simiam esse Dei: quemadmodum Deus de duobus angelis Regi prospexit, qui illum custodiant ac defendant: ita ipse *duos Dæmones* constituit, qui oppugnent & persequantur. Cùm igitur crudeliores habeat tentatores & persecutores, multò magis ei est inuigilandum, vt eos superet: quod si victor euadat: corona ipsius erit maior, & copiosius victoriæ præmium.

Ipse Deus maiori prouidentia Reges dirigit.

h *Prou.* 21. 1.

Habet & duos Dæmones.

5.

Ex his eliciendus est *quintus* titulus & ratio obligationis Principum, ingentia scilicet *præmia* quæ se accepturos sperant, si suis obligationibus satisfaciant. Nam (vt ostendit S. Thomas in opusculo ad Regem Cypri de gubernatione Principum) si præstiterit ea, ad quæ tenetur: præstantiora cõsequetur præmia, quàm plebs communis: maiori enim virtuti maius debetur præmium. Virtus autem Principis multis nominibus est maior, quàm reliquorum. Cùm enim maiorem ipse habeat *libertatem* ad faciendum male, id tamen non facit; in medio flammarum concupiscentiarum, non vritur; inter ventos ambitionum, non inflatur; inter fluctus cupiditatum, non turbatur, nec solùm nouit regere seipsum, sed suam etiam familiam, ciuitatem, prouinciam & regnum integrum, in quo sunt plures prouinciæ & ciuitates, tanquam sol illuminans totum mundum: ac propterea eius i *thronus* dicitur esse *sicut sol in conspectu Dei*, cuius vices gerit in terrâ: &, si benè suo munere fungatur, copiosissimum reddit illi præmium in cælo. Fælix (dixerunt quidam sancti Episcopi in quodam Concilio) est vita Regũ iustorum, quæ in terra splendet abundantia rerum temporalium, in cælo verò gaudet

S. Tho. opu. 20. li. 1. c. 1. Præmij magnitudo.

Virtus principium maior.

i *Psal.* 88. 37

Initio Cõciliorum Hispaniæ, quæ collegit Loisa.

» in æternum societate angelorum; Hic alitur delicijs terrenis, ibi exornatur
» vestimentis gloriæ: hic stipatur multitudine equitū: ibi exercitibus spirituū
» cælestium: hic induitur purpura, & regiam gestat coronā: ibi vestietur gloria
» & ornabitur corona lætitiæ æternæ. Et quæ differētia est inter angustias re-
» gni temporalis, & amplitudines regni cælestis, eadē est inter bona quæ rex
iustus hic possidet, & quæ illic in æternum possidebit. Si igitur adeò ingentia expectant præmia; quid mirum, si magnum animū assumant ad quoscūq; labores subeundos, vt illa consequantur? Nō enim cogitare debet, se excellentia adeò præmia consequi, propter rerū temporalium copiā, aut delicias terrenas; nec propter honorificum comitatū, nec propter purpuram aut coronam, quatenus hæc illi honori sunt & gloriæ. Nam horum satis multa habent Imperatores & Principes gentium: qui, si forte aliquid boni habent: hæc ipsa habent pro præmio: illis autē Christianis scilicet Regibus) dat Rex cælestis omnia temporalia, quibus vtuntur, tanquā additamenta. Quare necesse est eos laborare, seq; mortificare, ne ab illis trahi se patiantur: sed status sui obligationi satisfaciant. Nam (vt S. Gregorius ait) ad magna *præmia* non nisi per magnos *labores* peruenitur: qui tamen magni dici non possunt, si cum immensa magnorum præmiorum magnitudine conferantur.

Cælestia sola magna sunt.

Hom. 37. in Euang.

§. II. *Alijs rationibus prædicta declarantur.*

6. ALIA sunt nomina & tituli, qui vel manibus palpantur & Reges ac gubernatores obligant, vt sint valdè perfecti. *Duo* sunt nomina valdè insignia: quia ex eorum *perfectione* pendet Reip. perfectio; eorum verò *malitia* redundat in eiusdem detrimentum. Si *nauis gubernator* vigilans sit, nauis ipsa salua appellit ad portum: si autem dormiat, & negligat, facilè patietur naufragium. Si *pastor* vigilat, securus est grex à lupis: ipso autem dormiente, lupus inuadit & dispergit gregem & oues. Si generalis *dux exercitus* sit animosus, animum quoque & fortitudinem addit toti exercitui: at si ille sit timidus & ignarus, timiditatem quoq; & ignauiā facilè illis adfert. Cùm igitur Rex hæc omnia officia obeat in Rep. omninò tenetur esse valdè bonus, si velit illam valdè bonam: si enim fuerit valdè malus, & illa erit valdè mala; experientia siquidem docet, bonum aut malum exemplum Regis & Dominorum, facilè trahere subditos & domesticos. Quod insinuauit bene Ecclesiasticus, dicens: a *secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Et Poëta dicit: *totus componitur orbis Regis ad exemplum*: Et; *mobile mutatur semper cum Principe vulgus.* Quādo Rex honori sibi ducit virtutem, tota Resp. in ea ponit suum honorem: quod si Rex mutetur & vitijs se dedat; illa quoque fit vitiosa: b *Cum Rege sancto plebs est sancta; & cum electo electa; & cum peruerso peruersa.* Rex sanctus non sibi soli talis est, sed omnibus subditis; eiusq; bona opera sunt muti Concionatores,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

a *Eccl. 10. 2.*

Claudianus de v. Honorij Cons.

b *Psa. 17. 2.*

qui

qui tamen per totum regnum clamant: dicuntque omnibus, quod solebat Apostolus dicere: c *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Regis Concio efficax. c 1. Cor. 11. 1.

Qvod si Rex degeneret ab eo quod debet, sequaturq; liberè suas appetitiones, prauis suis exemplis alios scandalizabit, eosq; ad ea sequenda trahet; nã & hæc sunt tanquã muti prædicatores, qui debiliũ corda peruertũt.

7. Scandalum eius noxiũ.

Qvare si in illud extremum inclinet, vt velit omninò esse improbus: verè est talis vehementer, potestas enim ad id arma illi subministrat; habetq; multos socios, qui eum vt talis sit, iuuent. Ac propterea Ieremias loquẽs de improbo quodam Rege, eiusq; subditis: eos contulit cum quadam sporta d *ficuũ pessimarum, adeò vt comedi nõ possent.* Et hoc ipsum adiuuat Satanæ calliditas: qui studet, omne genus vitiorum colligere in huiusmodi capitibus, quæ semel infecta, facilè totam Remp. prauæ suæ vitæ exemplo inficiunt.

d *Iere 24. 8.*

Ac propterea Isaias lugens perditionem sui populi, ita suos sermones auspicatur: e *omne caput languidũ, & omne cor mœrens, a planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Si enim *caput & cor* malè habeant: quomodo non malè haberent reliquæ partes, quæ ab illis & vitam & bonam constitutionem accipiunt? Si igitur capita regni, & ciuitatum, & familiarum, vitijs sunt corrupta: non mirum, si reliqui à minori vsque ad maiorem simul cum illis inficiantur. Benè hoc expertus est miser ille populus Hebræus: qui cùm Rex aliquis erat idololatra, relinquebat verum Devm, & falsos adorabat, quos videbat Regẽ adorare. Et in infelicibus nostris temporibus experti sumus, quòd cùm pestifera hæresis capita tetigerit, absque resistentia inficit reliquos, quia eam facilè amplectuntur. Et si auaritia aut libido in Principe dominetur, omnes gloriantur sequentes illos: honori sibi ducentes eodem habitu indui, quo Regi suo placeant. Et ob hanc causam, vt ait sanctũ Tridentinum Concilium, perfecta Ecclesiæ reformatio & Reipublicæ Christianæ incipere debet ab ijs, qui gubernant; *quia integritas*, inquit, *præsidentium, salus est subditorum*, & illis reformatis, facilè subditi reformantur.

e *Isai. 1. 5.*

Sess. 6. c. 1. de refor.

8. *Regnum pendet à moribus.*

Hinc alia *duo* nomina & tituli oriuntur; quæ etiam plurimum obligant, vt Principes studeant perfectioni. Bonus enim Rex regnum sibi & filijs suis conseruat; malus, & sibi & filijs amittit. Sicut ipse Deus D. N. monet in Deuteronomio: f *ne Rex declinet a lege in partem dextram vel sinistram: vt longo tempore regnet ipse, & filii eius in Israel.* Et Sapiens dixit: g *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Et si Rex *Saul* Deo obediuisset conseruasset regnum filijs suis: sed quia non obediuit, illud amisit, cuius loco elegit Devs *Dauidem*: h *virum iuxta cor suum*; cuius regnũ semper conseruauit: quia Deo obediuit. Et quãdo filius eius *Salomon* incidit in idololatriam, in causa fuit (vt ait Eccles.) cur ira Dei super eius filios descenderet, i *regnumq;* ipsum *fieret bipartitum*, & in duas factiones diuisum

f *Deut. 17. 20.*

g *Prou. 29. 34.*

h *1. Reg. 1. 14. Act. 13. 22.*

i *Eccl. 47. 23*

9. uisum cum ingenti vtriusque damno. REX enim bonus regnum suum prosperat; malus verò deuastat, quemadmodum dixit Sapiens; k *Rex iustus erigit terram, quæ collapsa est: auarus autem destruet eam.* Sæpe enim DEVS remunerat boni Regis obsequia, mali verò peccata puniti in subditis, qui eius vitiorum sunt participes. Satis prospere progrediebatur regnum Dauidis, quam diu ille iustitiam seruauit; sed quando ipse exorbitauit à via, & l *iniit vxorem proximi sui*, voluitque populum suum numerare: totum regnum fuit turbatum, & repletum miserijs: & in pœnam sui peccati dixit illi Dominus: m *trium tibi datur optio, eligevnum, quod volueris ex his, famem scilicet, bellum, aut pestem.* Hac ratione insinuans *tres* huiusmodi miserias, in quibus tot mortes & afflictiones eueniunt: sæpè euenire ob peccata Regum & gubernatorum, quos subditi imitantur: & quoniam omnes earundem culparum sunt participes, ideò eadem luunt pœnas.

k Prou. 29. 4. Regni successus à Rege. l 2. Reg. 12. 10. m 2. Reg. 24 12.

10. DENIQVE seuerum illos Iudicium obstringit, quòd in hora mortis excipiet: quando Rex Regum seueram vitæ & gubernationis suæ ab eis rationem exiget, punietque horrendis tormentis malos: quemadmodum illos monuit Sapiens his verbis: n *Audite Reges & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniã data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniã, cùm essetis ministri regni illius, no rectè iudicastis: nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & CITO apparebit vobis: quoniã iudicium durissimũ his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit; & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autè fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei vt discatis Sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur:* hæc omnia Sapiens: quibus minatur, terret, & cohibet potentes, ne potentiæ suæ fidentes, DEI legem & iustitiam conculcet. SED, ne animum abijciant ac desperent, eosdem animat spe bona; quod si erga ipsos subditos iustitiam colant, Deus erga ipsos eandem seruabit: bonaq; ipsorum obsequia remunerabit. Idque CITO: vt magis soliciti viuant, nescientes horam, qua supremus Iudex venturus est ad exigendam rationem: neque omnis eorum regia potestas poterit vel ad momentum vitam producere, cùm eius finis ac terminus à DEO præscriptus aduenerit.

n Sap. 6. 2. Iudicium Regibus tremendum. Pijs iucundum. Momento fulget sceptrum.

QVAMOBREM nullum aptius consilium accipere possunt, quàm alterius Prophetæ regi dicentis: *Nunc Reges intelligite: eruditimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cũ exarserit in breui ira eius,*

Psal. 2. 10.

beati

beati omnes qui confidunt in eo. Quod si Reges & qui Reipublicæ sunt capita interrogent: quænam sit illa *disciplina* quam discere, & quænam *via iustitiæ*, quam ambulare debeant, vt salutem suam reddant securiorem? respondebimus: *custodiam legum*, & documenta, quæ in sequentibus capitibus proponuntur. *Custodia legum via Regum.*

CAPVT II.

PERFECTIONEM IN IIS QVI GVBERNANT ESSE difficilem: & inniti debere humilitati cum magnanimitate coniunctæ: mortificatâ superbiâ.

QVAMVIS Christiana perfectio cuiuis eam profitenti sit difficilis; ac propterea *crux* appelletur, *mortificatio*, *via arcta*, & *porta angusta*: in iis tamen qui Rempublicâ gubernant est multò difficilior: quia suprà onera omnibus communia addit ea, quæ gubernationis sunt propria, quæ sunt valdè grauia. *Perfectio difficilis maxime gubernanti.*

QVò autem gubernatio est vniuersalior, eò est etiam grauior, & quò subditorũ numerus maior est: ac crescunt magis onera gubernationis. Nam quilibet *paterfamilias* oneratur iis, qui in sua sunt familia; *prætor*, ciuitatis, tota ciuitate; *Rex*, toto regno; *Episcopus*, tota sua diœcesi; & *Pontifex Summus*, vniuersa Ecclesia. Propterea enim Christus Dominus dixit S. Petro, qui Ecclesiæ erat caput, a *tu es Petrus*: & *super hanc petram* tanquam fundamentum *ædificabo Ecclesiam meam*, & quemadmodum lapides fundamenti sustinent totum onus ædificij; ita cuiuscunque Reipublicæ *capita* sustinere debent onus omnium eius partium. Quibus etiam aptari potest illud Dauidis: b *posuisti homines super capita nostra*, vt eorum scilicet pondus portemus. Estque adeò graue hoc onus, vt Apostolus dixerit: c *præpositos* sub eo *gemere*, quia non solum animæ suæ rationem Deo sunt reddituri, sed etiã aliorum. Et cum eisdem capitibus loquitur illa sententia alterius Prophetæ, dicentis: d *custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua, pro anima eius.* Qui igitur tot animas super caput suum accepit: quomodo non gemet sub tanto onere, veritus, ne propria ipsius ignauia & incuria illæ pereant? *1. Ob numerum animarum.*

a *Mat.16.18*

b *Psal.65.12*

c *Heb.13.7.*

d *2.Reg.20.9.*

HVIC difficultati illa quoque accedit ex parte operum studiosorum, in quibus perfectio consistit: nam etsi verum sit, quod omnes virtutes sint tãquam sorores coniunctæ, ita vt altera alteri non repugnet, aliquæ tamẽ difficillimè in suis actibus & operationibus simul conueniunt. Et tales sunt illæ quæ censentur proprio eorum, qui Rempublicam gubernant, qui tamen te- *2. Ex difficultate operum.*

Sex coniunctiones difficiles.

nentur diligentem operam dare, vt *sex* hasce coniunctiones arduas atq; difficiles in ipsa praxi seruent. *humilitatis* scilicet cum magnanimitate; *magnificentiæ* cum temperantia, & moderatione; spiritus *amoris* qui alliciat; cum terroris spiritu qui deterreat; *mansuetudinis*, clementiæ, & misericordiæ, cũ integritate & zelo iustitiæ; *fortitudinis* & confidentiæ in Deum cum diffidentia sui, & virium suarum, quamuis magnæ illæ esse videantur: Ac denique curas suas & solicitudinem debent alijs quoque *committere*, qui ipsos iuuent; non tamen negligendo videre, an verè iuuent. Quis igitur adeò erit prudens; vt res adeò distantes coniungere & combinare nouerit.

3. Plus tentantur à vitijs.

Ecqvis adeò potens ac fortis: vt mortificare possit, & superare impedimenta talis combinationis? Præcipuè cum *tertia* accedat difficultas, quæ reliquarũ est veluti radix: à cuius victoria necesse est incipere eos qui gubernant, si reliquas velint superare. Nam, nisi euellantur vitia; non plantantur neque in vnum coniunguntur virtutes. Et ipsa experientia docet, quamuis omnes homines oppugnentur à *tribus* cupiditatibus, voluptatum scilicet diuitiarum & honorum siue dignitatum, quibus fouentur tria illa vitia mundi, quæ S. Ioannes appellat e *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*: (quemadmodum in secundo Tractatu est explicatum) At ipsi Principes & Reip. capita vehementiùs solent ab eisdem oppugnari; & cum maiori periculo succumbendi, ob maiorem *libertatem* & potestatem, quam habent ad sequendas appetitus sui propensiones, & obtinenda, quæ appetunt. Ac propterea dixit Ieremias, f *optimates* & Principes *magis cõfringere iugum, & rumpere vincula* legis: ideoque peiores esse ipso vulgo. Quamobrem maior ipsis incumbit necessitas tribus illis vitijs resistendi seque gerendi tanquam vera Reipublicæ capita, non tam mundana quàm Christiana: quorum finis est imitari virtutes supremi capitis Christi regis æterni, colligentes in seipsis tanquam capitibus *humilitatem* & magnanimitatem contra superbiam vitæ; *liberalitatem* & magnificentiam contra auaritiam & cupiditatem oculorum; *temperantiam* & honestatem contra concupiscentiam carnis. Sed g *quis erit iste, & laudabimus eum, quoniam fecit mirabilia* & prodigia *in vita sua*? Impossibile quidẽ videtur has tres difficultates superare: sed quod est impossibile hominibus, est Deo possibile, & cum eius gratia & auxilio etiam hominibus facile. Neque exaggeramus hic difficultatem perfectionis, vt Principes animum abijciant ad eam aspirandi; sed potiùs vt eorum desiderium excitemus cognoscendi media apta ad eam consequendam, eo modo qui paulatim hic subijcietur.

c 1. *Iohan. 2.*

Ob libertatem.

f *Ierem. 5. 5.*

g *Eccl. 32. 8.*

Difficilis, sed possibilis perfectio.

§. I. *Humilitas Principum & Magnatum.*

Humilitas.

PRIMA VIRTVS à qua Principes, Magnates & Reip. gubenatores incipere debent, illa est, quæ dignos illos facit, qui tanquam aliorum capi-

ra eligantur, quemadmodū Samuel Propheta asseuerabat Sauli dicens: a *cū parvulus esses in oculis tuis, caput in tribub. Israel factus es*, hoc est, *qui* b *cùm altior esses vniverso populo ab humero & sursum, &* non c *esset vir de filiis Israel te melior*; eras tamen in tuis oculis omniū minimus: ac propterea Deus elegit te, vt esses caput & Rex omniū, c placens sibi in tua humilitate is, d *qui ponit humiles in sublimi* loco, eosq; in eo cōseruat. Quare si magni Domini ad Christianæ perfectionis celsitudinē peruenire desiderant, ab *humilitate* incipiendū esse sibi persuadeant, cui vera grandiras & excellentia innititur, quæ humilitas licet in ipsis multò sit *difficilior*: propterea tamen erit *glorioſior*. Quemadmodū enim e *superbia* (vt ait Eccl.) magis est *odibilis*, & detestāda *in pauperibus*, & infimis huius sæculi hominibus, quibus facillimū est spiritus gerere humiles, quia paupertas & vilitas ad id eos impellit: ita ècontra *humilitas* amabilis magis ac *glorioſa* est in diuitib. & potentib. huius mundi: eò quòd in ea induenda magnā oporteat superare difficultatē: quia ipsæ diuitiæ & excellentia vehemēter actib. humilitatis resistunt. Ac propterea dixit S. Bern. in alto positū non altum sapere difficile est, & inuisitatū: sed quantò inusitatiùs tantò glorioſiùs, ac propterea māiori conatu procurandū. Id enim suadet Eccl. f *quanto magnus* (inquit) *es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiā: quoniam magna potentia Dei solius, & ab omnib. honoratur*. Sed quoniam *duplex* est humilitas, altera ad ipsum Devm, altera ad *homines*: in priori necesse est omnes Principes & Magnates mundi huius, sese illi humiliare ac subijcere, ob manifestam & clarā rationē ab Eccl. allatam, *quoniam magna est potentia Dei solius*, quasi dixerit, quantumuis tu sis magnus in mundo, in quouis genere magnitudinis & præstantiæ agnoscere debes id totū nihil esse, si cum Dei magnitudine, quæ immensa est & infinita, conferatur: cùm tua sit g *quasi stilla situlæ* cū toto Oceano cōparata, & quasi *puluis exiguus* cū vniuersa terra; & adhuc illa, talis qualis est, non est tua, sed Dei, qui illā dedit, & cuius fauore illa seruatur: sine quo statim illā amitteres. Quod si ita est: quid mirū quòd te in omnib. Deo subijcias: siquidē omnia non tua sunt, sed ipsius, & si cum ipsius rebus cōparentur, valdè sunt exiguæ? ex quo fit, *vt ipse ab humillimus honoretur*: quia hi soli agnoscūt, quicquid in se habēt, esse Dei; ac propterea dant illi gloriā, & quamuis Rex corporis genua Deo flectat, non illū honorat, nisi etiā corde se humiliet, & mittat h *coronā suam*, sicut *viginti quatuor illi senes* in Apoc. *ante thronū* & pedes *agni*; eius omnipotentię attribuēs coronam, & gloriā omnium quæ habet, nihil sibi huius gloriæ tribuēdo: ne forte ob superbiam illi auferatur. Nam (vt S. Gregorius ait) sæpè qui in potestate sunt, ea quæ rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt. Quemadmodum superbo Nabuchodonosor euenit, de quo Daniel: quod intra seipsum cogitaret ac diceret; i *nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum reg-*

a 1. Reg 15. 17.
b Cap. 10 23
c Cap 3.
d Iob
Difficilis sed gloriosa.
e Eccl. 2. 4.
Inuisitata.
Li. 2 de cōs. epistola 42. post mediū.
f Eccl. 7. 30.
Facilis respectu Dei.
g Isa. 40. 15.
Nihil hæc, & hæc rotum est Dei.
h Apoc. 4. 10.
ib 5. mor. cap. 8.
Dan. 4. 27.

ni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei, & vix verbum ore protulerat, quando sententiam cœlestem audiuit, quam eius superbia merebatur, *regnum tuũ transibit a te & ab hominibus eucient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora* siue anni *mutabuntur super te: donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit det illud, & eadem hora sermo completus est super eũ.* Donec agnouit: k *quod gradientes in superbia posit humiliare,* & quemadmodum sanctissima Virgo dixit) l *deponere potentes de sede & exaltare humiles: Esurientes implere bonis, & diuites dimittere inanes.* O superbia humani generis hostis; & venenum excellentiæ, qua tua alitur cupiditas. Omnia, inquit S. Aug. contrarium aliquod habent, à quo corrumpantur, *tinea* enim destruit vestem; *vermis* rodit lignum; *gurgulio* frumentum; *eruca* arborem, & *vermis* ipsum fructum sed tu, ô *superbia,* es diuitiarum vermis, tinea dignitatum, caries dominatuum, scientiarum destructio, imò & ipsarum virtutum; ac proindè humilitas, quæ eam destruit, hæc omnia conseruat ac perficit.

k *Vers.* 34.

l *Luc.* 1. 52.

Serm. 5. *de verb. Dom. Superbia execratio.*

2. Cvm hoc gradu humilitatis erga Deũ coniunctus est alter in ordine erga *homines,* sed difficilius est medium in hoc secundo inuenire quamobrem, vt S. Ambr. perpendit, non parum dixit Apostolus, cùm asseruit: m *scio humiliari,* hoc est, quo in loco, qua moderatione, quo fine, quo officio, quo munere. Nam in his omnibus potest esse aliquis error, vel in *excessu,* vel in *defectu.* Estq; magnũ Dei donũ, quòd quis sciat *medium* ipsum tenere, præcipue qui sublimen occupant locum. Sed vt ab eo, quod manifestius est, incipiamus: quod ad actus *internos* spectat, potest humilitas totam suam latitudinem & perfectionem habere in Magnatib. huius sæculi, sicut in minimis & infimis.

m *Phil.* 4. 12 *l.* 2. *offic. c.* 17. *Erga homines facilis intus.*

3. Nam vtrique, quoad *animam* facti sunt ex nihilo; & quoad *corpus,* originem habent ex puluere: & in eundem conuertentur; & eisdem camis miserijs, & spiritus, culpæ & pœnæ subiacent: quare omnibus competit illud Prophetæ: n *humiliatio tua in medio tui,* &c. o *quod superbis terra & cinis.* Et quemadmodum illorum excellentia solet esse grauiorum culparum occasio: (qui enim ex altiori loco labitur, maius incurrit detrimentum) ideoque plus habent, cur interius se erga omnes demittant, seipsos existimantes reliquis peiores ac debiliores, magis dubitantes ac timentes de sua salute, ob maius periculum, in quo versantur eam amittendi. Quod si velint rotã suæ vanitatis dissoluere, aspiciant *pedes* suos sicut pauo, & inuenient, quatuor Monarchias expressas in statua illa Nabuchodonosor: p *habuisse pedes fictiles,* quos *lapis* vnus *comminuit;* & sic tota statua euanuit, quæ tam debili fundamento nitebatur. *Præterea,* quantumuis aliquis magnus sit in hac vita, agnoscere debet, se non esse in omnibus rebus magnum, sed in aliqua paruũ; aut habere se aliquos maiores, quibus debeat cedere. Nam etsi Princeps sit in

n *Mich* 6. 14 o *Eccl.* 10. 9 *quia fere plus peccãt.*

p *Dan.* 2. 33.

potestate

potestate & diuitijs supremus, existimare debet, alios esse maiores in *sapientia*, scientia, prudentia & sanctitate; & in alijs talentis naturalibus, & supernaturalibus, quæ Deus priuatis hominibus contulit: quibus debent se humiliare ac subijcere, etiam reges in rebus illis, in quibus alij ipsos excellunt. Et hoc exigit Christiana humilitas, vt Princeps non totum suo consilio tribuat: sed illud subijciat alieno. Et quemadmodum in corporis ægritudine subijcit se sapienti *medico*; ita in rebus animæ debet se prudenti *Confessario* subijcere, in gubernatione, suis *consiliarijs* in rebus, *Iuris peritis* eius in *bellicis*, suis ducibus; & in rebus magis adhuc *particularibus*, ijs, quos apud se habet, maturioris iudicij, sicut inferius dicetur.

Et in alijs habet se maiores.

Quibus in arte sua credere debet.

§. II. *Magnanimitas cum humilitate.*

Adhvc meritò crescet principum humilitas, si cum sorore sua, virtute *magnanimitatis* coniungatur, ostendentes se humiles in ijsdem rebus, in quibus magni sunt, & aliis superiores; acceptantes honorem solùm propter *status* sui decentiam, ita vt *cordi* non nimium adhærescat, nec iactet suam potestatem, nisi vt aliis *benefaciat*; non quærens ab eis honorem aut gloriam. Quemadmodum S. Gregorius, admirandis hisce verbis explicuit: *subtilissima ars videndi est culmen tenere & gloriam premere: esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire: ad largienda bona potentem se cognoscere, ad rependenda noxia, omne quod potenter valet, ignorare.* Quibus verbis indicat S. Gregorius præcipuos Christianæ magnanimitatis actus, quæ virtus est valdè propria Principum & Magnatum. Quæ, vt S. Thomas ait, versatur circa magnos honores, & res alias magnas, cuius actus proprij sunt, hi *quinque*. *Primus* est ad *res magnas aspirare* dignas magno honore: non ob ipsum honorem aut lucrum; sed propter virtutem, quæ in vera excellentia inuenitur: & iuxta eam sua consilia & cogitationes omnes dirigere. Propterea enim Propheta, loquens de Principibus & Regibus futuris tempora Messiæ dixit: q *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit*, ac proindè res magnas, generosas, & tali dignitate dignas. Huic actui accedit *secundus*: contemnere scilicet magnos honores: attendendo, quid illi sint in seipsis. Non itaque aliquid agit magnanimus propter illa præcipuè; nec eorūdem causa prætermittit facere aliquid, quod expedit; nec aliquid facit, quod non deceat, habens scilicet *animum* omni *gloria*, quæ in mundo ipsi offerri potest, *superiorem*: quam sub suis *pedibus* ponit; virtutem verò super *caput*. Non erigit oculos, sicut Iob dicebat, vt gloriæ r *solē videat*, etiamsi valdè *fulgeat*, nec *lunam* famæ, etiamsi *clarè incedat*: quia non hæc aspicit, tanquam res sibi superiores sed se inferiores. Quod si hoc facere debet in honore aliàs sibi debito; quanto ampliùs debet non debitum conculcare. Non ergo admittet laudes *adulatorum*, tribuentium homini, quod est proprium Dei: ne

Magnanimitatis actus quinque.

Li. 26. Mor. cap. 19. in id Iob. 36. 5.

Deus potentes non abijcit, cùm ipse sit potens.

2. 2. q. 129. ar. 1. & seq.

1.

Ad magnā aspirare virtutem.

q *Es. 32. 8.*

2.

Contemnere omnes honores.

r *Iob. 38. 26.*

ipsi accidat, quod infelici Herodi, quem [s *angelus Domini percussit, eò quòd non dedisset honorem Deo*, cũ *populus* adulando *acclamasset: Dei voces & non hominis* esse, quas ab illo audiebat. eueniet quoque ipsi, quod Salomon dixit: t *Princeps qui libenter audit verba mendacii omnes ministros habet impios*, quia omnes erunt mendaces, & adulatores, vt placeant Domiuo suo, qui huiusmodi sermonibus delectatur.

[s *Act.* 12.22

t Pro.29.12.

3. *Benefacere omnibus.*

TERTIVS actus est, maiestatem suam, potentiam, ac diuitias exponere in *benefaciendo* alijs; sic ostendens, se magnum esse, non tam sibi: quàm alijs: in hoc potiùs gloriam suam ponens, vt alij bonorum ipsius sint participes; & ex eisdem fiant magni. In qua re magnanimitas adiuuatur à sorore sua virtute *magnificentiæ*, vt mox videbimus.

4. *Nil se indignum committat.*

ET huic actui accedit *quartus*, summam reputare magnificentiam, quòd nihil faciat *indignum* sua persona; aut vllum detrimentum iniuste alijs adferat; aut vllum contemnat eo nomine, quòd sit paruus: pudore verò afficiatur ob quodcunque *vitium*, Christiano & magnanimo homine indignum. Siquidẽ Saluator dixit: u *qui facit peccatum, seruus est peccati*: & qui à sua passione vincitur eius seruus manet. Et vnde maior pudor prouenire potest, quàm si is qui aliorum est Dominus, non sit etiam *sui ipsius*? Et cùm sit Rex terræ, sit mancipium carnis? Cùm igitur Spiritus sanctus dicat, x *melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*, & hostium victore: nulla maior erit præstantia, aut res magnanimo homine dignior, quàm si conculcet quidquid libertati Spiritus, & dominio eius aduersatur.

u *Ioan.*8.34

x Pro.16.32.

5. *Omni fortuna superior.*

HINC oritur *quintus* actus, qui consistit in quadam animi *superioritate* ad omnia prospera & aduersa huius mundi. Ita vt neque ob prospera euanescat, neque ob aduersa animum abijciat: neque ob magnum suum honorem, fundamentum abijciat *humilitatis*, dando locum nimiæ lætitiæ; aut, ea deficiente, *pusillanimitati* & tristitiæ: est enim angusti cordis adeò *melancholia* arctari, quemadmodum Aman ille angebatur, propterea solum, quod y *Mardochæus non flecteret ipsi genua.*

y *Esth.*5.2.13

6. *Ambitio absit.*

OPORTET tamen etiam magnanimitatem suum habere terminum, ne scilicet altiùs ascendat, quàm eius status requirat; aut in ea se immisceat quæ adipsam nõ pertinent: hæc enim esset *ambitio* perniciosa, cuius damna retulimus supra ab exmplo Regis Osiæ, volentis sibi vsurpare Sacerdotis dignitatem, z *negligentiusq; Dominum Deum suum*, à quo tot bona acceperat; qui Dominus, domus suæ causam propugnans, illum lepra percussit, regnoque priuauit. vt intelligant Principes terræ, quomodo se debeant in humilitate conseruare, studendo quemadmodum Deus illos monuit, a *non eleuare cor suum in superbiam super fratres suos*; & multo minus super Sacerdotes: sed continere se intra limites sui Principatus, nec minimam quidem partẽ Ecclesiasticæ dignitatis sibi vsurpare; timentes pœnam à Deo, qua *vtrumq;* il-

*Tra.*2.c.10. *12. Par.* 26. 16.

z *Deut.*17. 20.

lis auferat & amittent multum de suo *proprio*, eò quòd se immiscuerint *alienis*. Quemadmodũ eũenit Monarchæ illi per b *Leœnam* significato, *quæ alas habebat quasi aquilæ, cui euulsæ sunt alæ, & super pedes quasi homo stetit*. Sint itaque contenti dignitate sua regia & principatu terreno per *leonem* significato qui rex est animaliũ, quæ incedunt super terram: non vsurpantes sibi alas *aquilæ*, quæ est regina auium per aëra volantium: non enim feret Deus hanc confusam vnitionem in sua Ecclesia, cuius dignitas sacerdotalis debet ducere post se regiam; non contrà regia sacerdotalem,

b Dan. 7. 4

Rex sacerdõtem sequatur.

Denique non est contra dignitatem Magnatum facere aliquando opera *humilitatis*, quæ ordinariè alij faciunt. Nam (vt S. Gregorius ait) ita oportet eos, status & officij sui authoritatem conseruare, vt certis temporib. signum aliquod exterius præbeant internæ suæ humilitatis; visitando hospitalia, & interdum ęgrotantibus inseruiendo; aut pauperũ pedes abluẽdo.

7. *Humilient se subinde.*

Cvm enim id totum in Dei gloriã & honorem dirigatur: quicquid abiectũ videtur, est potiùs grande soletq; Deus magna gloria illud remunerare. *S. Ludouicus Rex Galliarum* frequenter huiusmodi opera exercebat: & *S. Eduardus Rex Angliæ*, in eisdem valdè prælucebat, quem vt probaret Sanctus Petrus Apostolus (quem Rex piè valdè colebat): reuelauit cuidam pauperi paralytico, ipsum forè sanum, si Rex eum suis humeris à sua aula vsque ad Ecclesiam, quæ ij si S. Apostolo dedicata erat, portaret. Pauper hoc dixit: Regi: & Rex executus est, licet Magnates stultitiam interpretarentur. prius verò quàm scalas aulæ Rex descenderet, paralyticus fuit sanatus. Nec tamen propterea Rex destitit ab adeò humili obedientia præstanda: quem Deus adeò in hac vita honorauit, vt aqua, qua ipse manus lauabat, ægroti sanarentur. Et quid amisit Dauid, eò quòd c *saltasset totis viribus ante Dominum, cum arca portaretur coram vniuerso populo*? Quamuis eius vxor Michol filia Regis Saul propterea illum contempserit, eique dixerit: *quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris*, cui ipse intrepidè respondit, *ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum, & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israel, & Iudam: vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis: & conferens me cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo*. O Rex verè plus quàm Rex, regioque nomine dignissimus, eò quòd seruum se fecerit coram hominibus, vt Deum honoraret. Magis miror, ait S. Gregorius, quòd videam Dauidem coram arca Domini saltantem; quam congredientem cum Goliath, & pugnantẽ cum Philistæis: nam pugnans vicit hostes, saltans verò vicit seipsum; & humani honoris Gignantem, qui solet de Monarchis huius mundi triumphare. Felix iocus, ait S. Bern. ille, qui causam præbet, cur Michol irascatur, Deus verò læterur.

In eius vita.

S. Eduardi humilitas.

c 2. Reg. 6. 14. 20.

Dauidis de se victoria.

Li. 27. mor. cap. 27.

Epist. 87.

Si no-

Si homines illum rident, Angeli suspiciunt & admirantur. Admirabile enim est quod magnus sese humiliet, nec dedignetur vilia paruulorum officia præstare.

CAPVT III.

LIBERALITATIS ET MAGNIFICENTIAE DISCRETIONE incidat in extrema prodigalitatis aut auaritiæ.

VM *humilitate & magnanimitate*, quæ *superbiam* vincunt, & continent hominem ne in extremum *pusillanimitatis* incidat, coniungere debent Principes *liberalitatem* & *magnificentiam* quę vincant quidem *auaritiam*: nec tamen incidant *in prodigalitatem*. Ad cuius rei exlpicationem est supponendum, nomen illius virtutis, quam *liberalitatem* appellamus, non satis explicare actus & officia propria, quæ (vt ait S. Thomas) sunt *duo*. Alter est moderari *affectū internum* pecuniæ; & inordinatæ cupiditatis diuitiarum: tam earum, quæ *desiderantur*, quàm, quæ *possidentur*: Ita vt nec desiderium *illarum*, nec inordinatus *harum* affectus sit vitiosus: & ex hac parte est frenum *auaritiæ*, & *iniustitiæ* omnis; furti, fraudis, & aliorum peccatorum, quæ ab auaritia procedunt; quod vitium pauperibus ac diuitibus est commune.

Liberalitatis actus duo.

2.2.q.117. ar.6.& q. 118 a.3.

1. *Affectum comprimere*

SED hinc *secundum* officium oritur, quod magis elucet in diuitibus, vnde illa nomen *liberalitatis* accipit, quia inclinat eos, vt suas diuitias *distribuant*, quando, & sicut expedit, iuxta rationis dictamen, & eisdē licitè vtantur, non tam in propriam, quàm in *aliorum* vtilitem. Et hac ratione *iustitiam* adiuuat vt reddat quod debet vnicuique eorum, cum quibus negotium aliquod habet & versatur; & *misericordiam*, vt necessitatibus & miserijs pauperum subueniat & *Religionem*, vt largior sit in donis offerendis ad cultum diuinum. Et in hunc modum *alias* quoque virtutes iuuat, ad quarum actus diuitiæ vsui esse possunt.

2. *Distribuere.*

2.2.q.134. art.1. Magnificentia.

HÆC virtus, cuius materia sunt *ordinariæ diuitiæ*, eleuatur, valdeque perficitur illa alia, quam *magnificentiam* appellamus. Cuius finis (vt ait S. Thomas) est, amplos sumptus facere, quando expedit: ita vt diuitiarum amor, quæ expenduntur: (etiam si multæ consumantur) nihil impediat quamuis illæ soleant ipsa corda valdè occupare. Ac propterea est in suis operibus magis gloriosa, & Principum ac Magnatum propria: idque duplici nomine. *Primum* est ob necessitatem, quia ad gubernationem suam opus illis est à suis subditis amari: vt postea apparebit: *liberalitas* enim (vt ait Boetius) reddit homines valde amabiles, & multo adhuc magis *magnificentia*,

1. *facit amari. Lib.2.de consolat.*

centia, quæ maiora distribuit bona, & ampliora confert beneficia. Et certum est, quòd a *Dare* (vt Christus D. N. dixit, & refert Apostolus) *beatus sit* atque excellentiùs, *quam accipere*; habetque maiorem similitudinem cum Deo, qui dat omnibus, & à nemine accipit: estque genus quoddam *beatitudinis*, posse omnibus benefacere: & quoniam omnes amant suos benefactores, ideò liberales ab omnibus amantur. *Alter* titulus est: quia bona, quæ Principes habent, acceperunt ab ipsa Repub. aut eius auxilio acquisiuerunt, decet vt eorum partem expendant in benefaciendo ijs, qui eiusdem Reipub. sunt partes & membra, præcipuè pauperibus, & huiusmodi subsidio indigentibus, vt paulò post videbimus.

Pro 3. ex Arist. 1. Eth. c. 1. Act. 20. 35.

Beatitudo quædam.

2. *Debetur Reipubl.*

Hinc licet expendere liberalitatem & magnificentiam Dei nostri in communicandis diuitiis ipsis Regibus. Cuius consilium est apertè expressum in eo quod euenit Regi Salomoni, cùm ei dixit Deus, b *postula quod vis vt dem tibi.* Ille autē tantùm petijt *Sapientiam ad populum gubernandum*: & ita ostendit se valdè mortificatam habere *diuitiarum* cupiditatem, siquidem nec illas petiit, nec vllam earum fecit mentionem. quo exemplo docuit Reges, quàm parui facere debeant *temporalia* bona, respectu *spiritualium*: & quò illi ea magis contempserint, eò Dominum nostrum in maiori copia ea ipsis largiturum: quia nouit ipsos *diuitijs, honore & gloria* opus habere inter homines: vt status sui authoritatem conseruent; & efficacitatem necessariam in sua gubernatione habeant.

b 3. Reg. 3. 5 11. *Salomoni spernenti Deus dedit diuitias.*

Qvamobrem cum Deo placuisset valdè Salomonis petitio, adiecit illi innumerabiles diuitias, & thesauros, & gloriam: vt nemo fuerit similis ei in Regibus cunctis eum præcedentibus. Sed & c *latitudinem cordis ei dedit, quasi arenam quæ est in littore maris*: virtutem scilicet insignem, quæ est *liberalitas & magnificentia* in distribuendis thesauris *sapientiæ* absque *inuidia*; & *diuitijs* temporalibus absque *parcitate*, & cum tanta profusione & animi magnitudine, atque si maris arenam spargeret: & quasi non sua, sed omnibus communia essent bona.

c 3. Reg. 4. 29. *Salomonis magnificentia.*

Dona enim, quæ Deus dat iustis, sunt dona perfecta. fuisset autem angustum donum, si multas dedisset diuitias, & cor angustum, ad eas distribuendas, iuxta ea quæ ipsemet Salomon dixit: d *vidi aliud malum sub sole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.* Aliis verò, quibus eadem diuitias dedit, etiam tribuit potestatem eisdem fruendi, & hoc e *est donum Dei*: & quidē multò ampliùs, quàm ipsæ diuitiæ. Et quodnā hoc donū est, nisi ipsa *liberalitas & magnificentia*, quæ his bonis benè vtuntur in finem, in quem à voluntate Dei illa largientis, ordinantur.

d Eccl. 6. 1.

e Eccl. 5. 18.

Diuitiæ cum sapientia.
f *Eccl. 7. 11.*

dinantur. Sed idem donum etiam in se includit *Sapientiam*, quæ docet benè vti diuitiis, comitando ipsam beneficentiam in suis actionibus. Et ideò idem Ecclesiastes adiecit: f *Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo*; ac propterea sine ea, pecunia est paruæ vtilitatis: Sed vtræque simul coniunctæ, opera faciunt regia magnificentia digna: qualia fuerunt ipsiusmet Salomonis, qui incredibiles fecit expensas, non prodigas, sed verè magnificas: quia omnes fuerunt cum magna *sapientia* ordinatæ, vt paulatim explicabitur.

§. I. *Tres sumptus in quibus splendet magnificentia.*

I.
a *3. Reg. 6. & 8.*
b *2. Mac. 2. 9.*
Templa exornanda.
c *2. Reg. 10. 11. 21.*

PRIMVM: magnus hic Rex a *templum* quoddam ædificauit *Deo* sumptuosissimum, quod fuerit in toto mundo; illudque cum summa pompa & innumeris sacrificiis dedicauit. Nam, vt scriptura ait: b *magnificè sapientiam tractauit*, quemadmodum decebat ipsam Dei magnitudinem, cui seruiebat: nec propterea pauper est effectus; sed potiùs ditatus. Nam, cùm se ostenderet gratum Domino, à quo diuitias accipiebat, idem illas multiplicabat, eiusque rebus prosperos euentus concedebat, & c *nauibus quæ aurum ex Orphir portabant: & tanta erat abundantia argenti in Ierusalem, quanta erat lapidum.* vt Principes intelligãt, si fuerint liberales & magnifici erga Deum, ædificantes & exornantes illius templa; & præbentes, quæ ad illius cultum sunt necessaria, non propterea illos in paupertatem deuenturos; sed potiùs multò amplius ditandos. Quod si qua via ad paupertatem deuenitur, ea est, auferre ea quæ sunt Ecclesiarum, & parcos se ostendere, in offerendo Deo, quod ipse illis dedit; & negligendo quæ ad ipsius diuinum cultum pertinent. Hæc prima fuit culpa Regis Asa, ob quam decidit à magna familiaritate, quam cum Deo habebat, d *quia accepit argentum & aurum de thesauris domus Domini, misitque ad Regem Syriæ, vt fœdus cum eo iniret*, sed clarius adhuc ipsemet Dominus significauit, cùm Principes populi sui negligerent reparare templum Ierusalem, sub eo prætextu, quòd nondum venisset tempus domus Domini ædificandæ: e *Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Hec dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabile mihi erit, & glorificabor, di-*

d *2. Par. 16. 2. 9.*
Maledictio eorum qui templa negligunt.
e *Agg. 1. 4.*

cit

cit Dominus. *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exuffiauit illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.* Hæc omnia sunt verba Prophetæ Aggæi: & cùm populus eius consilium sequens cœpisset ædificare domum Domino, exponentes in eam rem facultates suas: Deus quoque cœpit eas multiplicare. solennis enim est Deo hic mos, vt parcum se ostendat erga parcos, liberalem erga liberales; & magnificum cum magnificis.

Deus cum fœnore reddit.

2. *Magnifici sint in statum.*

Secvndvm in quo Rex Salomon magnificentiam, sapientiamque suam manifestauit, fuerunt sumptus in auctoritatem sui ipsius, & totius domus & aulæ, & in bonam sui regni gubernationem facti. ædificauit enim *domum suam, & domum saltus Libani*, designando ac distribuendo officia earum, famulis suis & alijs subditis, cũ tanta liberalitate & prudentia: vt cum Regina Saba, visitandi causa, ipsum accessisset, ait scriptura diuina: f *quod videns omnem sapientiam Salomonis & domum, quam ædificauerat; & cibos mensæ eius; & habitacula seruorum, & ordines ministrantium; vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltra spiritũ.* Et *beatos* dicebat *seruos eius, qui stabant coram ipso, audiebant sapientiam eius*, & glorificauit Deum, qui ipsum ita exaltasset *super omnes Reges terræ diuitiis & sapientia.* Verè enim Deo placet, quod Principes & Magnates suas domus & statũ suum ea magnificentia tractent, quæ decet gradum & qualitatem ipsorũ; & ea sapientia omnia distribuant, ac ordinent, vt omnes extranei obstupescant: modò tamen sumptus, quos faciunt, redituũ suorum quantitate metiantur. Non enim esset prudentiæ, plus exponere, quàm habent; aut quicquid habent in huiusmodi res exponere; aut quod supereſt sine consideratione abijcere: cùm deceat aliqua relinquere pauperibus & indigentibus liberaliter distribuenda: ostendentes etiam Christianam *magnificentiam* in Eleemosynis cum ea liberalitate & largitate faciendis, quam Sanctus quidã Rex g *Dei misericordiam* appellauit, regiam scilicet misericordiam, & donum magnificum: propterea enim voluit Deus ipsos habere, h *plurima*, vt & *plurima dare* possent. Cogitent, Regẽ cæli, *duo* prodigiosa conuiuia in deserto instituisse: in quibus, i *cum quinque aut* k *septem panibus, & paucis piscibus* multa hominũ millia pascens, magnificentiam suam ostendit: ita illos sustentans, vt postquam saturi essent, multum superfuerit. Nec tamen propterea voluisse, vt *quæ supererant fragmenta perirent*; sed iussit illa *colligi*, vt alijs esurien-

f 3. Reg. 10. 4. 23.

3. *Eleemosynas non negligant.*

g 2. Reg. 9. 3

h *Tob.* 4. 9.

i *Ioan.* 6. 13.

k *Mar.* 8. 8.

tibus possent distribui. Vt Principes, ac diuites omnes intelligãt, quàm lar-
Tract. 1. c. 9. ga manu deceat eos distribuere, quæ habent, sicut suprà est dictum: & si-
S. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 6. & 10. mul, quòd non debeant frustrà abijcere, quæ illis superfunt; sed seruare, vt alio tempore distribuant, in quo, quod nunc supereſt, erit necessarium. Ex
Ne sint prodigales. quo intelligitur, ijs, qui liberales se esse gloriantur & magnificos, curandũ esse in suis sumptibus & expensis non incidere in extremum prodigalitatis, quæ solet aliàs propria esse possidentiũ multas diuitias, sine dono sapientiæ ac discretionis: quia separant dona, quæ Deus voluit esse coniuncta. Quod,
2. 2. qu 119. a. 1. ad 3 & a. 2. ad 1. vt plurimùm procedit, teste S. Thoma, ex *duabus* corruptis radicibus, *voluptate* sc. carnis, & *superbia* vitæ, quæ occultant aliquando ipsam prodigalitatem pallio magnificentiæ, dum nimios faciunt sumptus in cultu vestiũ conuiuijs, lusibus, recreationibus, alijsq; donarijs nimis magnis, quales fuerunt
l Esth. 1. 4. Superbiam & luxuriam denotent. sumptus Regis Assueri, vt l *ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem & iactantiam potentiæ suæ.* Quæ etsi videatur magnificentia larua tamen potiùs est, & species eius; in rei tamen veritate est *superbia* & iactantia, & laruata sensualitas, aut mundana & diabolica magnificentia, quæ diuitijs vtitur ad
m Luc. 15. 11. indulgendum carnis *voluptatibus*, quemadmodum m *filius prodigus*; aut pompis huius mundi, sicut detestandus eius *Princeps*: qui cum summa prodigalitate, obtulit n *omnia regna mundi* Christo Domino, *si cadens in terram ipsum*
n Matt. 4. 9. *adoraret.* Ex quibus adeò deprauatis radicibus, qui fructus prodire posset, nisi *duo* æquè deprauati atque ipsæ sunt? alter fructus est, quod labatur in
Iniustitiæ. quædam valdè inordinata contra *prudentiam* & *iustitiam*, cum *acceptione personarum*: nam inanis magnificentia ac prodiga, facit Principes expendere & effundere plus, quàm possunt; & ea, quæ non expedit, & personis indignis, cum periculo auferendi ea ijs, qui erant promeriti. Imò, vt etiam non satisfaciant ei, quod ex *iustitia* deben suis domesticis & famulis, dantes prohibitu quibus volent: quod eis aliàs non debent; vt famam & nomen liberalium obtineant. Ex quo *alterum* magis pernicioſum damnum oritur, commutata scilicet prodigalitate in extremum
Auaritiæ. *auaritiæ*: nam ex nimiis huiusmodi sumptibus rediguntur ad inopiam & necessitatem, quæ immittit cupiditatẽ, inordinatè quærendi diuitias, etiam alienas, vt suis necessitatibus subueniant.

§. II. *Auaritiæ Principum Damna.*

2. 2. q. 119. a. 2. & 7. AVARITIÆ extremum, teste Sancto Thoma, pernicioſius est prodigalitate. nam prodigus in hoc minus malus est, quod non videatur tenerè suas diuitias amare; & ex eis benefacit aliis, licèt rationis limites transgrediatur. Auarus autem adeò inordinatum ad pecunias affectum retinet, vt non velit eas expendere

cum

cum alio, etiam quando ad id tenetur: & proijcit seſe, ac temerè immittit quocunque poteſt, vt eam acquirat: deuorans innumera peccata, quæ Tractatu ſecundo poſuimus: quibus addo, ſi *auaritia* etiam iungatur *potentia*, ſimilem eam eſſe *Mercurio*, quem Plinius rerum omnium *venenum* vocat, quia omnes corrumpit ac deſtruit: qui Mercurius ex naturali ſua inclinatione valdè propendet, vt cum *argento* coniungatur, & multò magis cum *auro*, quod miro affectu quærit, tenditque ad illud, vbicunque ex *odore* illud eſſe aduertit. Quod ſi *terræ* ſit commiſtum, aut *cupro*, aut *plumbo*: omnia penetrat, ac ſeparat, illud verò ita apprehendit, adeoque fortiter amplectitur, vt non niſi vehementi *ignis* poſſit ab eo ſeparari: quia eum reſoluens in *fumum*, cogit ſoluere prædam. Hunc in modum o *auaritia, quæ radix eſt omnium malorum*, & mortalium venenum, ſi in corde potentium prædominetur, impellit illos, vt aurum & argentum, aliasque diuitias tanta vehementia quærant, vt ex ipſius terræ viſceribus, & vbicunque illas inueniant, extrahant, etiam legitimos poſſeſſores eis ſpoliando: nec refugit, peccati venenum haurire, modò aurum ſimul hauriat: quod adeò fortiter apprehendit, vt non ſit poſteas in terra, quæ poſſit ipſum à theſauro ſeparare, in quo totum cor ſuum poſitum habet potiùs mille violentias, & aſtutias adhibet ad illum conſeruandum & augendum, etiam cum iniuria pauperum ſubditorum, qui vt plurimum ſolent facilè, & grauiùs opprimi. Et propterea dixit Salomon: p *Leo rugiens & vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem*, rugitibus enim & erroribus tanquam *leonis*; aſtutijs verò & fraudibus tanquam *vrſi*, famem ſuam ſatiat facultatibus pauperũ: quia nulla eſt iuſtitia, nec poteſtas, quæ ei reſiſtat. Sed magis adhuc declarauit hoc Iſaias Propheta, dicens, de infelici Ieruſalem: q *Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & cauſa vidua non ingreditur ad illos. Infideles* eos appellat eò quòd nec Deo fidem haberent, nec ſeruarent promiſſum *hominibus* factum, nec *conſuetudines* ſequerentur, nec implerent præſtita ſuis ſubditis *iuramenta*. Dicit *eſſe ſocios furum*, quia occultè rapiunt aliena, imponẽtes tributa iniuſta, & fraudibus quibuſdam ea cooperiendo. *Diligebãt munera*: aperientes hoc deſiderium litigantibus, vt muneribus ipſos ſolicitarent. *Sequebantur retributiones* quia occulta cum eis pacta ineibant, dantes illis aliquid, vt aliquid ab ipſis acciperent: aliqua, verbi gratia, officia, non ob ipſorum merita; ſed ob negotiationem per munera. Nullam rationem ducebant litium *viduarum*, & pupillorum, eò quòd nullam ab illis talem vtilitatem ſperarent, atque à diuitibus & potentibus. Iuxta ſententiam illam Michææ Prophetæ: r *Princeps poſtulat, & iudex in reddendo eſt*. hoc eſt, Princeps petit quaſi ex iuſtitia iudex verò ſententia ſua id illi attribuit, quamuis iure non debeatur ſed eo animo magis

Cap. 10. *Vide Acoſtã lib. 4 hiſt. indic. c. 10. Lib. 33. c. 6. Auarus rex Mercurio ſimilis. & 1. Tim. 6. 16.*

p *Pro. 28. 15. Leoni & vrſo.*

q *Iſa. 1. 23.*

r *Mic. 7. 3. Regum. & iudicium colluſio.*

id facit, vt Princeps etiam annuat illi in iis; quæ ipse petiuerit. Id explicat magis phrasis chaldaica, quæ habet, *fac pro me, & retribuam tibi*, fac scilicet in mei gratiam quod peto, & retribuam tibi, faciendo quod à me petieris. Omnia hæc vitia procul esse debent à Principibus Christianis. nam loquens idem Isaias, de iis qui in lege noua essent præfuturi, ait: *Isa. 32. 5.* *non vocabitur vltra is, qui insipiens est Princeps, neque fraudulentius appellabitur maior*, his verbis significans, eos futuros valdè *prudentes*, & ab omni fraude & *auaritia* liberos, quam liberalitate & magnificentia mortificassent ac vicissent. Quæ *magnificentia* nunquam infidelis est sed semper *fidelissima* in implendis promissis, quibus aliquid potius ex *gratia* addit quàm debeat debito ex iustitia. *Magnificentia fidelis.* Horret furta; laruata, & iniusta tributa, & potiùs iusta moderatur; potius dona & munera vult largiri, quàm accipere; potius viros quærit dignitatibus & officiis dignos; quàm officia, quæ aliquibus offerat propter aliqua munera. Et potius gloriatur, quod pupillos ac viduas tueatur & protegat; quàm potentes adhibeat in suos stipatores. Præterea, quemadmodum *ignis* amicitiam & coniunctionem Mercurij cum auro dissoluit, illumque in fumum conuertit: ita inflammatus DEI & bonorum æternorum amor, euanescere facit *fumum* cupiditatis diuitiarum, expellendo illam ex corde, ita vt ipsum aurum, & diuitias, quas prius tanquam thesauros conseruabat, fumum iudicet. Quod si hic amor sit remissior, accedet *æterni ignis timor*, qui illum extimulabit, vt prædam retentam omninò soluat; sibique complaceat, quòd eam distribuat. Nec tamen securum se existimare debet Princeps si semel vicerit cupiditatem. Quemadmodum enim Mercurij fumus, qui vi ignis exhalabat, cùm ad rem aliquam frigidam peruenit, iterum coalescit, & eodem strepitu & propensione quam priùs habebat, cadit in terram: (quo nomine Plinius eum *æternum sudorem* appellat) ita etiam si cor in timore & amore DEI frigeat & concrescat, virescit iterum auaritia, eadem vi ac importunitate qua prius. Denique ita *interiorem* cupiditatem oportet coërcere, vt nulla eius appareant *externa* signa: adeò enim ardenter cupiunt homines Principi suo placere, vt propterea, etiam ipso nihil tale expresse iubente, illi sese præcipitent in grauissima peccata. Quemadmodum euenit impio Regi Achab: qui tot signa turbationis & commotionis internæ, exterius edidit, eò quòd t *Naboth noluisset ipsi vineam suam vendere*, vt impia eius vxor Iezabel statim atque tantæ turbationis causam agnouit, vt eum ab ea eriperet, etiamsi nihil ille dicerit, curauerit tamen ipsa vt *falso testimonio contra Naboth in iudicio prolato, ipse lapidaretur*: post eius mortè accepit Achab vineæ eius possessionem. Sed non mansit eius cupiditas, & Iezabelis; iniustitia impunita, nam huius v *carnes*, in pœnam suæ culpæ, *canes deuorarunt*; & x *Achab sanguinem*, qui occasionem peccato illi dederat, & fa-

Mercurij mira vis.

t 3. Reg. 21. 5. Auari reges à canibus consumpti.

v 4. Reg. 9. 30.

x 3. Reg. 22. 38.

ctum approbauerat, *canes quoque linxerunt*. Et meritò sanè cibus fuerunt canum, qui *canum* viscera in subditum suum habuerant. Vt ex hoc discant potentes; diuinam iustitiam vlcisci iniurias pauperibus illatas, quicunque earum fuerint participes. Quare *charitatis viscera* omninò induant, vt neque diuitias nec delicias sibi velint, ex pauperum subditorum expensis, & cum detrimento & iniuria eorum. Sintque memores insignis illius facti Dauidis Regis, qui, cùm siti premeretur, dixit coram suis ducibus: y *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem* (quę ciuitas tunc erat ad partẽ castrorum Philisthijm) Irrumpentes *ergo tres fortes* duces *castra Philistinorum cum periculo vitæ, hauserunt aquam de cisterna, & attulerunt illam ad Dauid, at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: propitius sit mihi Dominus num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculũ bibam?* Quibus verbis, & factò suo ostendit se erraſſe, quod absque sufficienti causa, periculo illos vitæ exposuisset: quare noluit appetitui & palato suo satisfacere ea re, pro qua subditi sanguinis effundendi periculo se exposuissent; nec tali suo exemplo occasionem præbere, vt alia occasione alij faciant idem, exponentes periculo animas suas, tantùm vt ipsi placerent. Et hac ratione S. Rex hoc documentum reliquis Principibus dedit, vt suas cupiditates ac desideria cohibeant. Quòd si contingat ex incuria aut obliuione, internum aliquod tale desiderium prodere, ne admittant aut acceptent eius executionem cum iactura sanguinis, aut læsione conscientiæ subditorum: sed potiùs dilatare ipsi debent magnificentiam suam regiam, vt pro eis non solum diuitias & thesauros suos, sed etiam, si id opus fuerit, sanguinem & vitam suam exponant, imitantes supremum Regem & pastorem hominum, cuius infinita magnificentia resplenduit in eo, quòd totum suum *sanguinem* in eorum commodum & vtilitatem effuderit; & *carnem* propriam in cibum eis quotidiè offerat sub panis & vini speciebus, obligans illos hoc tam splẽdido & magnifico conuiuio, vt & ipsi magnifici sint in omnibus, ad ipsius obsequium pertinentibus, de quo dictum est: y *quod sit magnificus in sanctitate*: quia vere magnificentiã ostendit in magnificis & excellentibus suis operibus, sed simul sanctis: de quibus Dauid: z *sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius*, in sanctuario scilicet, quod erat eius templum. Sed multò ampliùs eadem sanctimonia & magnificentia prælucere debet in *viuis* huius Domini *templis*; & in ijs, quos ipse elegit in capita populi sui: qui meritò fulgere debent in operibus regia magnificentia eorum dignis, quibus subditi gaudeant.

Viscera charitatis, non canum induant.

y 2. Reg. 23. 15. 17.

Pro subditis sanguinem fundere sint parati.

y Exo. 35. 11

z Psal. 95. 6

Reges sunt viua Dei templa.

CAPVT

CAPVT IV.

HONESTA, TEMPERANTIA ET MODERATIO Principum: est mortificatio nimiarum deliciarum, & occupationum ordinatio Luxuria.

ALTERVM vitium, quòd grauiter oppugnat Principes & Magnates huius mundi est, quod S. Ioannes a *carnis concupiscentiam* appellauit, cuius esca sunt tria genera deliciarū; nā quædam sunt castitati contrariæ, aliæ virtuti tēperantiæ, & aliæ quæ & oculos & alios sensus recreant, quibus adnumerantur nimii lusus, comœdiæ prophanæ, & vana alia leuiaque & ludicra solatia; quibus conuenit quod Ecclesiasticus dixit de SOLE tempore æstatis, quæ in scriptura diuina *tentationem* significat b *tripliciter*, inquit, *sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.* Qui autem hi sunt *montes* excelsi, nisi mundi huius Magnates, qui sublimiorem in Republica locum tenent? Et quomodo sol *tripliciter* eos exurit radiis suis, nisi tres prædictos ardores & sensualium delectationum desideria accendens? Nam quosdam exurit facibus *luxuriæ*; alios *gula* & ebrietatis; alios deniq; reliquis *solatiorum* & aliarum oblectationum desideriis: Hisce *radiis* excæcat illis rationis & prudentiæ *oculos*: nam vbi carnis *concupiscentia* dominatur, non habet aditum *sapientia* Dei: & vix est, qui omninò victor euadat. Nam *diuitiarum* abundantia, & *superbia* vitæ, valdè fouent hanc concupiscentiam, vt de terræ potentibus triumphet. Sed quoniam de his vitiis fusius agetur in Tractatu de cōtinentia, ea hic solùm insinuabimus, quæ ad ipsos Principes spectant, proponentes illis ob oculos monita & documēta data Regi Salomoni à matre suæ siue hæc sit *Bethsabee*, quæ tanquam prudens mulier optabat filio suo prosperum & felicem in suo regno progressum, & exitum; siue mater hæc sit *Sapientia diuina*, inspirans ei, quæ illi essent facienda, vt status sui obligationibus satisfacere. c *Quid*, inquit, *dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum*, dicam tibi? *Ter* hanc proponit interrogationem; vocatque illum *valde dilectum* suum, vt alliciat ad ipsius consilia libenter audienda, suisque visceribus imprimenda. *Primum* ergo consilium fuit *ne dederis mulieribus substantiam tuam, & diuitias tuas* in eo exponas, quod *Reges delet*. hoc est, ne tibi laxes habenas in agendo inhonestè, cum mulieribus, effundens in hoc substantiam, fortitudinem ac robur corporis & animæ tuæ, & fias homo effæminatus & mulierosus; nec tuas diuitias in similibus vitijs expēdas, quæ alium fructum non adferunt, nisi quod Reges & regna deleant.

a 1. *Ioan.* 1. 16.

b *Eccl.* 43. 4.

c *Prou.* 31. 2.

Luxuriam Rex caueat

Quibus

Quibus verbis & *radices*, & *damna* huius vitij filio indicat. Nam *iuuentutis* vigor, Imperij *potestas*, & copiæ *diuitiarum*, arma illi subministrabant ad sensuales suos appetitus explendos, quibus si annueret, consumeret *corporis* fortitudinem, *diuitias* sui patrimonij, & totum *regnum* periculo amissionis exponeret. Quemadmodum ipsemet Salomon expertus est: eò quòd non fuerit bonæ matris consilium secutus. Contra quem exclamat Ecclesiasticus, dicens: d *inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo*, qua abusus es, *dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, vt faceres Imperium bipartitum.* Quæ autem macula fœdior esse potuit, quàm *idololatriæ*, incidentis in hominem, in quo tanta aliàs sapientia præluxit? Hic igitur Rex adeò glorioſus, & sapiens, adeò fuit obscuratus, & inordinato mulierum amore excæcatus; vt quo illis blandiretur, e *templa earum idolis erexerit*: in cuius peccati pœnam, filius eius amisit *decem* partes regni sui. Potuisset benè Rex hic cautior euasisse, ex periculo patris sui Regis *Dauid*, qui f *propter adulterium* prope fuit, vt regno toto priuaretur: permittente Deo, vt filius eius Absolon contra ipsum insurgeret. Quid verò dicam de ipso *Absolone*? qui impudentia incredibili g *ingressus est ad decē mulieres concubinas patris sui coram vniuerso Israel*? de qua re maximè gloriabatur, vt posset diutiùs in regno confirmari? Verùm in caput ipsius recidit inhonestum consilium quod secutus est: abstulit enim illi Deus *regnum*, quod cupiebat, & *vitam*, qua adeò scelestè vtebatur. Eadem pœna punitus est Holofernes ille, qui adeò iactabat suam libidinem, vt cuidam cubiculario suo dixerit: h *fœdum esse apud Assyrios, si fœmina virum irrideret, agendo ne ipsi consentiret.* O Turpis & fœda libido, quæ adeò in mundo iā præualuisti, vt etiam viri nobiles, honorem ex tua execranda societate quærant! Iustissimum est, vt Deus fœditatem tuam aperiat, priuando vita & honore eum, qui in re adeò vili ac fœda honorem suum collocare audet. Pœna est Dei horrenda, quam per Isaiam Prophetam minatur Reipublicæ, dicens: i *quod effœminati dominabuntur eis*, post hoc enim sequitur, vt tales sint timidi, & ignaui; & affricantes hanc scabiem populo, omnes in eo fiunt carnales; ideoque pœnam sustinent, quam turpi sua culpa promerentur. Discant igitur Principes ex alieno malo cautos esse; & amplectantur consilium, quod Salomon quidem scripsit, licèt non fuerit secutus. Glorientur potiùs quòd sint casti, reijcientes magno animo omnes turpes voluptates: memores etiam sint felicis ac prosperi euentus, qui secutus est *Ioseph*, de quo dicit scriptura, k *quod factus fuerit Dominus Aegypti, eò quòd custodiuerit mandatum*, scilicet castitatis, quemadmodum postea videbimus, vt intelligant, custodiam huius præcepti aptissimum esse medium, quo Deus ipsorum regna conseruet, & in eisdem prosperet, & adaugeat.

d *Eccl.* 47. 21.

Luxuria delet regna & reges.

e 3. 10. 4. 7.

f *Iudit.* 2. 10.

i *Isa.* 3. 4.

Alieno periculo sapiant Reges.

k 1. *Mac.* 2. 53.

§. I. *Secundum documentum pro sedandâ concupiscentia.*

l *Prou.*31.4. TRANSEAMVS ad secundum consilium siue documentum Salomoni à prudente matre datum: l *noli*, inquit, *ô Lamuel, noli Regibus dare vinum*: ac proinde nec tu bibas: *quia nullum secretū est, vbi regnat ebrietas*, nec patiaris tuos consiliarios & iudices vinum bibere: *ne forte bibant, & obliuiscātur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Consilium hoc dirigitur ad Regem Salomonem, quem nouo nomine compellat *Lamuel*, quod significat; *ipsi Deus*, vel, *cum ipso est Deus*, quod nomē valdè competit bonis Regibus, *cum quibus Deus* est, vt faueat illis: si in hocipsi honorem suum ponant, quòd *casti* sint: quia tunc & ipse DEVS ducet sibi honori, in illis habitare. Sed nominatim mater commendat filio moderationem in *vino*, quod est libidinis incentiuum, temerè & inconsideratè garriens, secreta manifestans, sensus perturbans & iudicia iustorum. Ac propterea scriptura diuina vtrumque hoc consilium sæpè coniungit, & ad vtriusque fugam hortatur; ita enim Ecclesiasticus: m *vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos*: Propheta Oseas dixit: n *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*, quia robur & vigorem animæ eneruant, & rationis iudicium inuertunt; vt homines à DEO auertantur; sanctamque eius legem conculcent, vt suis voluptatibus fruantur. Latet autem mysterium quoddam in ea disputatione, quam tres iuuenes habuerunt coram Rege o Dario, vt statueretur, quid esset fortissimum in terra: vnus dixit, *fortè esse vinum*, quia seducit mentem hominum, etiam Regum: secundus dixit: *Regem esse fortiorem*; quia omne quodcunque dixerit, faciunt, eique obediunt. Sed tertius probauit *mulieres esse fortiores*; eò quòd Regum animos emolliant, sibique subijciant, quamuis idem statim subiecerit *omnium fortissimam esse veritatem*, quæ est DEVS viuens & permanens in æternum, & pro hoc sententia fuit lata. Ex quo discant Reges, si cogitent, se tantùm esse *homines*: & à *vino* & à *mulieribus*, cum magno suo pudore ac dedecore esse vincendos: si tamen *veritati*, quæ Christus est, sese coniunxerint: suamque spem in eum collocauerint, fore sine dubio vino & mulieribus fortiores; nec passuros se flecti, trahiue ad id, quod non debent; nec voluptates illas sensuum secuturos, magnamq; futuram illorum gloriam, si *duos* illos hostes strenuè deuicerint. Et quamuis secundum hoc documentum nominatim prohibeat excessum in vino, eò quòd detrimentum eius sit magis notum: etiam tamen suadet in genere temperantiam in cibo & potu; quod ipsum maximi est momenti pro ipsis Regibus, quemadmodū idem Sapiens dixit: p *væ terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Beata terra,*

Ita Iansen. exponit.

Deus cum Regibus castis.

m *Eccl.*19.2
n *Ose.*4.11.

o 3. *Esdræ* 3. & 4.

Rex Vertus victor euadet.

p *Ecc.*10.16.

cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendũ, & non ad luxuriam; hoc est, non ob solam voluptatem, aut alium finem sensualem: hoc enim vocat *mane comedere*: quia non est quomodocunq; extra tempus comedere, sed inordinatum edeò habere ad comedendum affectum, vt statim atque excitantur, cogitationes suas in delicijs ciborum ponant, sicut ille qui dicebat, q *quando euigilabo, & rursus vina reperiã*. Tales sunt, qui nõ ad nutrimentũ comedunt; sed vt sibi tantùm indulgeant; non, ob necessitatem, sed propter voluptatẽ; non, vt vires seruent ad sustinẽdos labores, sed vt eildem vtantur ad desideria sua explenda. quod damnum facilè extenditur ad omnes in Rep. infelici, cuius Rex puer est, nõ tã ætate, quàm leuitate morũ: quem facilè imitãtur reliqui Principes, & aulici nobiles, & hos reliquus populus. Quos omnes tangit illa Isaiæ maledictio: r *væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandã, & potandũ vsq; ad vesperã, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis: nec opera manuum eius consideratis*, vt gratos vos ei exhibeatis in bono vsu donorũ ipsius. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendã ebrietatem, propter hoc, sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, & germẽ eorum, vt puluis ascendet; propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absque vllo termino: & descendunt fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosiq; eius ad eum*: vbi lingua ignis æterni exurer omnes effrenes ad sensuum voluptates. Sed contra ait Sapiens: *Beata est terra, cuius Rex est* moribus *nobilis*, & senectute venerabilis: quæ nó in ætate consistit, sed in prudentia & sanctitate, quem reliqui Principes, regniq; Magnates imitantur; quorum temperantia in eo elucet, quòd nõ nisi debito tempore, & quantum ad sustentationẽ satis est, comedunt. Et quamuis mensa sit multis ac pretiosis cibis referta, quemadmodum decet status illorum excellentiam, sed ipsi tamen inter tot fercula sunt valdè temperantes, ita vt nec multitudo, nec exquisita & pretiosa fercula ipsum appetitum laxent. Benè possunt Reges *sapientiam* suam, sicut Rex Salomon, ostendere in constituendis, quæ ad suam *mensam* spectant; & quæ ad suorum domesticorum ordinariam refectionem, iuxta suam *magnificentiam*, pertinent: non excedentes limites, quos dictat prudentia: sed ostendant simul *temperantiam* in eo, quòd sint sui ipsorum ac suarum passionum Domini, vt ex tot totamque ferocibus oppugnatoribus victoriam reportent.

Temperantia in cibo & potu.
q Pro. 23 35
r Isa 5. 11.
Versu. 22.
Versu. 24.
Temperantia Regum, laudabilior
s 3. Reg. 10 4

VT verò intelligant, quid eos agere par sit, ex plurimis, quæ sibi supersunt; & quòd non omnia danda sint famulis, & domesticis; addit mater Salomonis aliud consilium: t *date*, inquit, *siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*, quasi ei dixerim: cùm tibi dixerit O Lamuel, ne multum

t Prou. 31 6.

vini haurias, nec aulæ tuæ Principibus illud porrigas; nunc moneo, ne *misericordiæ* obliuiscaris, sed ipsum vinum mœrentibus, pauperibus, & egenis distribuas, hoc enim subsidio à te accepto, suæ miserię obliuiscentur. Magna est, vt iam diximus Regum gloria, & misericordia, pascere esurientes, & sitientes potare, mœrentes consolari, eorumq; miseriam tanta liberalitate subleuare, vt eius obliuiscantur. Esseтque magnus regiæ mensæ ornatus, si ad eam vel prope conuenirent aliqui pauperes, qui cælestis Regis Maiestatem referunt, quos æquè pasceret atq; seipsum. De hoc gloriabatur *S. Ludouicus Galliarum Rex*, suamq; magnificentiam in eo magis ostendebat; quod ad mensam suam *pauperes* illum circundarent, quàm quòd regni *Magnates*.

S. Ludouicus pauperes mensæ adhibebat.

§. II. *De superandis Luxuriæ filiis.*

DVOBVS his hostibus deuictis, non erit difficile *tertios* superare, luxuriæ scilicet filios, carnalitatis incentiua, gulæ comites, & multò magis *otu*, quod solet vehementer oppugnare Principes: afficiens illos in rebus Dei, & suæ gubernationis occupationibus *tædio*, vt propterea studeant adinueniendis varijs solatijs, quibus tempus fallant, sensus musicis, saltibus, comœdijs indecentibus & alijs lusibus recreent: in quibus maiorē temporis partem expendunt; sicut & in comedendo splendidè, in dormiendo, & aliter quiescendo; noctes conuertentes in dies, dies q; in noctes, vt palato suo, & appetitionibus sensuum liberius vacent: quasi status Maiestas licitum faceret prauum quodcunq; exercitium; & in quo sunt occasiones peccatorum: & quasi non redderet ipsum Principem grauiori pœna dignum, ob grauius detrimentum commune, quod ex tali scandalo prouenit.

a *Apoc.* 18. 7

NAM etiam in eos lata est tremenda illa sententia, quæ habet: a *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum*, non aufert illis Deus necessariam relaxationem, & conuenientem iuxta statum suum; sed *nimiam*, quæ in illorum cedit damnum. Nam, vt ait Ecclesiastes: b *omnia tempus habent*, debet igitur tempus distribui in res omnes, ita vt cuique suum tribuatur. Et Principes tenentur in *tres* partes illud diuidere, vt semper benè collocetur. VNAM partem expendere debent in rebus quę animam cōcernunt, orando, sacrum Missæ officium audiendo, sacros libros legendo, confitendo, & communicando designatis diebus: nec *orationis* exercitium prætermittant, sine qua vitam benè ducere non poterunt: quia eò *pericula* sunt maiora, quò *occasiones* sunt vehementiores: ac propterea eò magis opus habēt orationib. se præmunire. Propterea enim Rex Dauid, etiam si alioquin valdè occupatus, c *septies* tamen *in die laudes Deo dicebat*, sic solicitando diuinū in se studiū, vt se regnumq; suum benè gubernaret. Quod, vt Plato dixit: gubernari nō potest per solos homines absq; Deo: quemadmodū nec bestię possunt benè se regere & gubernare per seipsas sine *homine*. Ac propterea,

b *Eccles.* 3. 1.

Temporis distributio pro Regibus.

I. *Deo.*

c *Psal.* 118. 164. *Vide Ribadeneir. lib. 1. de inst. Prin. c. 3. l. 4. de legi. Dialo. 4.*

inquit,

inquit, ante omnia necesse est, *Deum* inuocare, vt ciuitatem nostram ipse stabiliat; ac supplicare, vt nos exaudiat, sitque propitius ac benignus, ad nos accedat, vt doceat leges, & Rempublicam exornet.

ALTERAM temporis partem tribuere debent occupationibus sui *status*, attendentes scilicet ad res suæ gubernationis: designantes ad id aliquot dies in hebdomada, aut aliquot horas quotidiè: nam, si vel parum quotidiè fiat, suauiter expediuntur multa. Et hoc fuit *quartum* consilium siue documentum à Bethsabee filio suo Salomoni datum, cùm dixit: d *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt: aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem & pauperem.* Quasi distinctiùs diceret: non satis mihi est, quòd opera *misericordiæ* in tristes & afflictos exerceas, sed etiam oportet exercere opera *iustitiæ*, quæ ad officium tuum pertinent: vt aperias os tuum, & suffrageris, faueasque *muto*, qui nescit suam causam propugnare; faueas etiam *peregrino*, & transeunti, ac denique *pauperi* & mendico cuiuis. Et quamuis huius tantùm operis mentio fiat, eò quòd Reges difficiliùs attendunt ad homines viles & pauperes: sed vniuersim intelligendum est consilium de reliquis omnibus ad gubernationem spectantibus, accepto sufficienti tempore ad audienda negotia & expedienda; quemadmodum insignis ille gubernator Moyses, qui e *de mane vsq; ad vesperam* occupabatur in expediendis negotijs sui populi.

2. *Reipublicæ.*

d *Prou.* 31. 8.

e *Exo.* 18. 14.

DENIQVE reliquum temporis dandum est rebus ad corporis sustentationem, relaxationem, & solatium, (quemadmodum alibi est dictum) quantum scilicet expedit; & ita, vt tempus supersit ad ea præstanda, quæ sunt ex obligatione: & dando operam, vt dies in ijs expendatur, quæ sunt diei propria; & nox in ijs, quæ sunt noctis: non inuertendo ordinem hominibus à Deo præscriptum, in quo illos à feris distinguit; nam vt ait Dauid: f *in nocte pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Homo* autem contra *exibit ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperum*, & tunc recipit se in domum suam, vt corpori adferat aliquod leuamen. Quid autem hoc aliud sibi vult, quàm quod latrones, homicidæ, & adulteri; & g *omnes, qui malè faciunt*, quemadmodum Saluator dicit, *oderunt lucem*, scilicet diei; & student opera sua mala facere in nocte: quia tenebræ malè gesta ipsorum operiunt: & propterea de die dormiunt, cùm esset illis vtiliter laborandum. At sapientes & iusti, vtpotè filij lucis, libenter mane surgunt cum sole, vt Deum laudent, suique status obligationibus attendant, expendentes diem in occupationibus, requiem verò reijciendo in noctem. Qui, vt plus temporis negotijs tribuerent, optarent dies esse longiores, & breuiores noctes, quàm contra. Quemadmodum sanctus ille Rex, cui Deus

3. *Tom. 1. tr. 2. c. 12. Refectioni.*

f *Ps.* 103. 20.

g *Ioa.* 3. 20.

Dies labori nox detur refectioni.

h 4. Reg. 20. 10.

optionem dedit, vt alterum è duobus sibi eligeret, ad certitudinem sanitatis obtinendæ, aut h *vt ascenderet vmbra in horologio decem lineis; aut vt reuerteretur totidem gradibus*, & ipse elegit hoc secundum, volens potiùs diem fieri decem horis longiorem, quàm breuiorem: nam feruentes & prudentes, quia potiùs ad laborem inclinant, quàm ad quietem optãt, vt tempus laboris sit prolixius, alterum verò breuius. Et cum ipsa natura in hieme dies faciat breuiores, & noctes longiores: non totas dormiendo consumunt, sed parte aliqua vigilant; non ludendo aut garriendo solùm, vt tempus fallant; sed laborando & expediendo, quæ officium illorum requirit. Omni verò tempore Apostoli regulam seruant, dicentis: i *nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed induemini Dominũ Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis*, inordinatè illi in indulgendo. Hanc regulam S. Apostolus præscribit omnibus Christianis, quæ aptè etiã proponitur Principibus seu Regibus, qui cùm se regiis vestimentis ornent, deberent regalius adhuc indumentum eligere, suaque maiestate dignius, *Iesum Christum* videlicet D. N. induentes regios & generosos eius mores indignum reputantes occupare se rebus ad *carnem* spectantibus; & nimios esse in cura vilis adeò *ancillæ*.

Noctes contrahantur, dies protrahãtur.

i Ro. 13, 12.

CAPVT V.

PRINCIPES ET GVBERNATORES DEBERE SERuare leges, & operam dare vt subditi seruent; suamq; gubernationem eò dirigere.

Custodia legum per se & subditos

INTEGRA Regum & omnium, qui Resp. regunt perfectio ad *duo* capita præcipua reduci potest: ad plenam scilicet custodiam legis Dei, eiusque Ecclesiæ, & reliquarum quæ sunt constitutę in singulis Rebusp. in eo gradu, quiad *illos* spectat; & præterea in adhibenda cura, vt omnes *subditi* eadem cum magna integritate ac perfectione seruent. Nam Rex & quicunque alius gubernator (ait S. Augu.) *duas* gerit personas: alteram hominis priuati: alteram Regis & personæ publicæ. Quà homo *priuatus* est, seruit Deo benè viuendo, leges custodiendo, & suæ propriæ saluti, quæ finis est, in quem fuit conditus, attendendo, per media toti populo Christiano communia: quà *Rex* autem seruit etiam Deo, dando operam vt reliqui benè viuant, legesq; custodiant, vt & illi saluentur: qui finis est proprius suæ gubernationis. Quæ rationes, etsi diuersæ sint; sed quoniam in vno & eodem sunt coniunctæ, non poterit alteri sine altera plenè satisfacere;

Ep. 50. li. 2. contra literas Petil. c. 29. tom. 7.

nec

nec Deo seruire ita, vt illi placeat, si desit vel obligationi *priuati* hominis, vel *Regis* & publicæ personæ: sed placebit illi plenè & perfectè, si vtramq; expleuerit: custodiendo perfectè duo præcepta charitatis, Dei, & proximi: in quibus, vt ipse Saluator dixit: k *tota lex pendet & Prophetæ*. nam præcipuus charitatis actus est obedire Dei præcepto, iuxta illam sententiam ipsius Saluatoris: l *si diligitis me, mandata mea seruate*, & m *qui seruat verbum & mãdata eius, verè in hac charitas Dei perfecta est*. Erit tamen eius perfectio adhuc maior in ijs qui gubernant, si ex charitate, quam erga Deum habent, studeãt etiã, vt subditi idẽ præstent: excitando eos verbis, exemplis, rationibus, beneficijs, promissis; minis quoq;, præmijs & pœnis; omnibusq; alijs possibilibus medijs, exhortando, honorando, extollendo bonos, reijciendo verò, humiliando, & puniendo malos: vt sic Deo obsequium & gloria reddatur ab omnibus, qui ipsius curæ sunt cõmissi. Hominũ enim gubernatio eò perfectior est, quo similor est gubernationi Dei, qui supremus est gubernator, & omniũ gubernãtium exẽplar. Et vt S. Thomas ait: præcipuũ suum finem respicit, ipsummet Deum, qui est ipsa bonitas per essentiam: eiusq; præcipuus effectus est, *assimilari summo bono*: vt scilicet, qui ab ipso gubernantur, summo bono assimilentur; quod insinuauit Saluator, cùm dixit: n *estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*, & per Moysen dixit: o *sancti estote: quoniã ego sanctus sum*: quæ similitudo in eo consistit, quod quemadmodum Deus in seipso est bonus, & causa vt reliqua sint bona: ita homo sit in se bonus; & inducat alios; vt etiam boni sint. Hunc in modum Reges & gubernatores (vt fusè ostendit idem Angelicus Doctor) debent respicere tanquam præcipuũ finẽ, non diuitias, aut honores, aut reliqua terrena bona, bonis & improbis Regibus communia: sed ipsummet *Deum*, qui vltimus est noster finis, & æterna fœlicitas: dãtes operam vt similes fiant, quantum fieri poterit summo bono per participationem excellentium virtutum, quæ in eius bonitate elucent. Ita vt sancti sint & perfecti in seipsis, sicut Deus sanctus est & perfectus, & simul vt subditi eidem Deo fiant similes, eiusq; sanctitatis participes.

Deum diligant & proximum

k Mat. 22. 40.

l Ioa. 14. 15.

m 1. Ioa. 2. 5

Subditos ad id indùcant.

1. Par. q. 103 ar. 2. & 4.

n Mat. 5. 48.

o Leu. 19. 2.

Opusc. 20. l. 10. c. 8. Dei similitudo scopus sit Regum.

§. I. *Tria præscribuntur Regibus documenta pro assequenda perfectione.*

PRIMVM itaque Rex & quicunque alius gubernator, vt in seipso sit perfectus, debet *Dei legem* perfectè seruare, quemadmodum ipse iussit in Deuteronomio his verbis: a *Postquam Rex sedit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore re-*

legem Dei perfectè seruet.

a Deu 17. 18

gnet

1.

gnet ipse, & filii eius super Israël. In quibus verbis tria maximi momenti documenta Deus D. N. Regibus & gubernatoribus proponit. *Primum* est, vt præcipuum ipsorum studium sit, legere librum legis DEI; dantes operam benè intelligant quicquid in ea continetur: ne ex *ignorantia* aliquid negligãt; illumque semper apud se habeant: ne eius obrepat *obliuio*. Et quando monet, vt liber describatur, non tam id intelligit de descriptione quæ fit propria manu in folijs chartæ, aut membranæ; quàm quæ imprimitur (vt Sapiens ait) b *in tabulis cordis*, ita vt cogitationes, ac desideria, verba & opera Regum sint transumptum quoddam valdè simile præceptis & consiliis legis; & Lex quædam viua, quæ illa in seipsa manifestet. Ac propterea quando coronam Regni capiti eius imponebant, habebat ipse Legis librum in manu sua: vt intelligerent, præcipuam suam curam esse debere eius custodiam,

b Prou. 3.4.

Lex manu portetur.

c Exo. 32. 15.

manum operi admouendo. Quemadmodum ipse Moyses, qui populi illius caput erat, cùm reuerteretur ex monte, c *portabat duas tabulas testimonii in manu sua*, in quibus erat Lex scripta: quasi populum moneret: legem non solùm esse, vt super *caput* poneretur, venerando scilicet quod illa iubebat; sed vt *manibus* etiam tractaretur, vt mandaretur executioni.

2. *Sacerdote legem accipiat.*

NE tamen seculares gubernatores decipiantur existimantes legem Dei esse, quæ reuera est huius mundi, aut Dæmonis, proponit *secundum* documentum illis verbis: *accipient exemplar ad describendum à Sacerdotibus leuitici ordinis*: eam pro Lege Dei agnoscentes, quam illi dederint ac docuerint.

d Mala. 2. 7. Aggei. 2. 12.

Nam in rebus ad legem & Christianam religionem spectantibus, Sacerdotes sunt Regibus superiores: & summus Sacerdos Ecclesiæ, Papa scilicet, dux est ac magister omnium. Ac propterea dixit Malachias Propheta: d *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Vocat autẽ illum *Angelum* vt intelligatur, quod quẽadmodum Angeli sunt hominibus excellẽtiores, eorumq; *magistri*, quibus manifestant Dei voluntatem: ita Sacerdotes, sunt dignitate excellentiores reliquis hominibus, etiam Regibus: quorum propterea magistri & consiliarij esse debent, in rebus ad legẽ & religionem spectantibus, & per eos agnoscere debent ipsius Dei voluntatem. Quemadmodum ipse dixit Moysi:

Sacerdotes Angeli & Magistri Regum.

e Nu. 27. 18.

f Ios. 1. 7.

e *tolle Iosue, & sta coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulat Dominum, & ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo.* Et quamprimum Iosue imperiũ & gubernationem populi adijt: statim Dominus illum monuit, f *vt custodiret & faceret omnem legem, nec declinaret ab ea ad dextram vel ad sinistram*, nec desiderio prosperitatis, nec aduersitatis metu: nec nimio feruore limites excedendo, nec ex pusillanimitate aut torpore aliquid prætermittendo.

3.

EODEM dirigitur *tertium* documentum Dei ad Regem, dicens: *nec ele-*

uetur

uetur cor eius in superbiam super fratres suos: quasi eo nomine, quòd Rex sit & gubernator, arroget sibi, posse licitè facere, quod illi non possunt: *aut declinet in partè dextrā vel sinistram*. nam in hoc reliquis omnibus est par. propterea enim subditos appellat eius *fratres*: eò quòd omnes sint eiusdē cælestis Patris filij, eodemq; modo teneantur, omnibus in rebus, quas Lex statuit, obedire: Ex quo sequitur, *obedientiam*, quæ legi est deferenda, non esse quasi alicuius *mancipii*, ob *timorem*; quia hæc ratio & respectus est nimis vilis pro corde hominis generosi, debet igitur obedire tanquam *filius*, ob *amorem*; & potiùs gloriari, se *filium* esse Dei, quàm *Regem* vniuersi orbis: siquidem *filiatio*: illa eum facit æterni regni hæredem. Ac proinde, potiùs in hoc suum solatium ponere debet, quòd tanquam *filius* Deo obediat: quàm quòd tanquam *Dominus* toti mundo imperet.

Deo obedire melius, quā toti mun. do imperare.

Filius Dei rex est.

Qvod diximus de lege *diuina*, intelligendum etiam est de *humanis*, *Ecclesiasticis*, & *ciuilibus*, quas condunt Summi Pontifices in Ecclesia, & Reges in sua Rep. quas & ipsi debent perfectissimè seruare, præcedētes, vt S. Tho. ait, hoc exemplo suos subditos; ne illis dicat D.N. quod de Scribis & Pharisæis: g *dicunt & non faciūt, & imponunt onera importabilia in humeros hominum, digito aute suo nolunt ea mouere*. Et propterea Innocētius Papa dixit: *quod quisque iuris in alterū statuit ipse debet vti eo*, idq; etiā iuxta sententiā Catonis, dicētis: *Patere lege quā tu ipse tuleris*. quā cùm feras, vt omnes seruent, tu primus serua: Ne pro tuo libitu tecum dispenses, nisi velis eodem modo cum alijs dispensare; aut vt illi absque dispensationē legem transgrediantur. Ostende *iustitiam* legis tuæ in hoc, vt teipsum per eam dirigas; & ostende eius *suauitatem* in hoc, quod tu ipse libenter illam serues. Præcede tanquam bonus pastor exemplo tuo; vt subditi glorientur, quòd te sequantur. Quamobrem bonus Imperator Theodosius dicere solebat: quamuis non esset ipse proprijs legib. subiectus, velle tamē se illis alligare, easque seruare. Et magnus ille Sapiens Plato scriptum reliquit Reip. felicitatem in eo consistere, quod *lex* sit verè *Domina Principum*: Principes verò serui & famuli legis. Contrà verò perniciem esse eiusdem Reip. si lex ancilla esset Regum, & ipsi eius Domini, trahentes illam ad suam voluntatem. Præterea, Reges speciali quadam ratione debent magna cura ac diligentia Ecclesiæ leges custodire, quia eius sunt *filii* & *subditi*, sicut & reliqui: ac propterea in eo gloriari debent, quòd valdè sint ei obedientes. Et quid (ait S. Ambrosius) gloriosius potest esse Imperatori, quàm quòd *Ecclesiæ filius* appelletur? Nam bonus Imperator intra ipsam Ecclesiam est, non supra: quòd si filius est, meritò erit valdè obediens bonæ matris suæ iussis: nam tunc obedit ipsi Domino, qui dixit: h *qui vos audit me audit: & qui Ecclesiam non audiuerit, habebitur Ethnicus & Publicanus.*

1.2.q.69.ar. 5.a.3.

g Mat 23.4.

De Const. c. omnes.

Lex sit Domina Regum.

Leg. Digna vox c. de Legibus.

Li.4.de Legibus.

Rex filius Ecclesiæ.

1 Luc.10.16. Mat.18.17.

§. 11. *Procurandam esse a Regibus inter subditos legis diuinæ obseruationem*

POSTQVAM *primæ* huic obligationi satisfecerint Reges & gubernatores, diligentem debent operam dare, vt reliqui omnes, inprimis *diuinam euangelicam* legem custodiant: ex qua tãquam ex origine & radice dependet custodia reliquarũ legũ, & tota felicitas aut infelicitas Reip. quemadmodũ Moyses monuit populũ Hebręum, k *precutus mille benedictiones eum seruantibus, & mille imprecationes transgredientibus. Secundo* loco studere debẽt, vt *Ecclesiæ* leges seruentur, etiã gloriantes, quòd eius sint *filii* in protegenda ac defendenda sancta sua matre, curãdo, vt quod illa præscribit, ad vnguem seruetur: nam vt S. Leo Papa scribens ad quendam Imperatorẽ dixit: Deus tibi dedit regni potestatẽ; non solùm vt mundũ gubernes; sed nominatim, vt Ecclesiam defendas: reprimens improborum hominũ temeritatem; & manu tenens, quod in illa benè est constitutũ. Sed blandiùs adhuc Deus D. N. idem dixit per Isaiam, loquens de primæua sua Ecclesia: l *Et erunt Reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerẽ pedum tuorum lingent. Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum*: quasi animum ei adderet, ne timeret aut pusillo esset animo, quod paruam se, debilem, ac inermem videret: ego enim, inquit, efficiam, vt ipsi Reges, & Reginæ terræ tibi sese subdant tanquam seruas; teq; summa reuerentia & humili subiectione colant, ac venerentur: & tanquam nutritij & nutritiæ te in suis vlnis gestent, & sustentent; potestatisq; suæ regiæ brachiis tueantur ac defendant: Debẽt certè hoc Ecclesiæ, quæ mater & nutrix eorum est, quoad *spiritualia*: illa enim genuit eos in filios Dei per sacrũ *Baptismum*; eos nutrit lacte suæ *doctrinæ*, alit Sanctis *Sacramentis*, gubernat sanctis suis *legibus* & consiliis; iuuat suis *orationibus*, & sacrificiis. Quam magnum ergò est, quòd ipsi Reges & Reginæ nutritij sint, ac nutrices Ecclesiæ in *temporalibus*, suis eam diuitiis ditando, armis propugnando; & viam aperiendo, vt eius gloria per vniuersum mundum dilatetur? Ex quo fit, vt nullum aliud vitiũ adeò debeant detestari, ac persequi in Rep. atq; *hæresim*: hoc enim ait S. Hieronymus esse *Idolum* in templo Dei positũ quod Christus D.N. m *abominationem desolationis appellauit*: eò quòd reuera Hæresis abominetur, vastet, ac destruat Fidem ac Religionem, & quodcunq; regnũ siue Remp. quam ingreditur, perturbet; & leges Christi, & Ecclesiæ suæ proiiciat ad terrã: quapropter digna est, quã omnes detestentur; & vastare, ac in profundum mittere, diligentissimè studeant. Et quoniam spiritualia Ecclesiæ arma ad id non semper sufficiunt: necessè est, Reges eã adiuuare, vt hoc *Idolũ* extra sanctum Dei templũ proiiciatur, abscindendo Idoli n *Dagon caput* & vtrasq; *palmas*, ne loqui, aut operari, aut prævalere possit. Et hoc

(ait

Lex Euangelica k *Deut.* 28.

Ecclesiæ.

Epist. 75.

l *Isa.* 49. 23.

Reges temporalia seminant, spiritualia metunt.

Dan. 9. 27. & m *Mat.* 24. 15.

Hæresim Reges extirpent.

n 1. *Reg.* 5. *Tr.* 11. *in Io.*

(ait S.Aug.) esse proprium officiū Regum, vt Ecclesia sancta, cuius filij ipsi sunt, habeat ipsorum tempore integram pacem, & quietem. Et quemadmodum dixit Celestinus Papa scribens ad Theodosium Imperatorem magis solicitos esse oportet de pace Ecclesiarum contra *hæreticos*, quàm de suorum statuum securitate. Cùm enim prima eorū cura esse debeat, vt, quæ Deo placent, conseruentur, si ei attendant, reliqua omnia felicissimè eis adijcientur.

Ribaden. l.1.c.17. Ap. Bar. 1.5 anno 431.

Et Hinc sequitur, meritò debere illos summa vigilantia attendere, vt omnes *occasiones publicorum peccatorum* suis subditis remoueant, in quibus Deus ipse offenditur, & eius sacra religio cultusque contemnitur. Nam hoc genus peccatorum valdè disponit ad hæreses & apostasias: & quæcunque incuria in eis auertendis adeò degenerat à Christiana gubernatione, vt plurimum obscuret aliorum operum gloriam, quantumuis egregia & gloriosa sint; quemadmodum insinuauit Sapiens loquens de Regibus suæ nationis: *præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem altissimi, Reges Iudæ, & contempserunt timorem Dei*, quæ sententia vna est ex difficillimis, quæ sunt in sacra scriptura: nam inter *tres* illos Reges, quos asserit innocentes, vnus fuit *Dauid*, qui grauia peccata adulterij & homicidij commisit: & præter illos tres, alij quoque laudantur in scriptura, tanquam valdè iusti, quales fuerunt Rex *Asa*, & Rex *Iosaphat*. Sed quoniam Spiritus Sanctus semper est verax in ijs quæ dicit, necesse est dicere: omnes Reges Iudæ, præter tres nominatos, aut fuisse Idololatras; aut, si iusti fuerūt, vt scriptura indicat, aliquam negligentiam admisisse in remouendis ex regno suo publicis occasionibus transgrediendi legem Dei, & idololatrandi, quare eadem sacra scriptura addit, de Asa & Iosaphat: quòd p *excelsa non abstulerint, in quibus populus* idolis *sacrificabat*: hoc autem erat contra Dei præceptum, & nonnihil redolebat idololatriam, in ipsis Regibus: & hæc sola *negligentia*, quæ perdurauit vsque ad tempus Regis Ezechiæ q *qui ea dissipauit* satis fuit, vt illi non computarentur in numero Regum perfectorum, sed peccatorum. Et quamuis Dauid grauia illa peccata admiserit: illa tamen non fuerūt contra *religionē* & cultum diuinum; sed ex *passione*, tanquā homo imbecillis cecidit, & mox insignē fecit pœnitentiā. Tantumq; Zelum habuit, vt lex Dei seruaretur: vt propter alia peccata non amiserit cōpellationē Perfecti: & ita dignùs fuit, qui inter eos, qui non peccauerant computaretur. Vt Reges & Principes videant in his exemplis, quantū referat ipsorum, nō esse *negligentes* in permittendis occasionibus publicis legem Dei transgrediendi, quando commodè possunt eas absque grauibus aliis damnis remouere: talis enim incuria sufficit, ad gloriam obfuscandam, quàm præclaris aliis facinoribus essent promeriti, nec tamen ex altera parte animum abiiciant, si tanquam debiles aliquando labantur: siquidem perfecta pœnitentia tanti est apud Deum, vt propter eam Deus peccati ipsorum obliuiscatur.

Occasio publicorum peccatorum tollatur.

o Ecc. 49.5.

Negligentia in Religione Peccatum proprie à Deo dicitur. p 3. Reg. 15. 14. & c. 22. 44. 2. Par. 20. 13 q 4 Reg. 18. 4.

Zelus Dauidis peccata eius extinxit.

CAPVT VI.

IVSTITIA, ZELVS ET FORTITVDO, IN OBSERuatione legum: & dandam esse operam, vt omnes eas seruent: adferuntur exempla vndecim insignium virorum ad hæc comprobanda.

VT vtrique obligationi prædictæ satis fiat, necessè est, Reges & gubernatores induere & armare se virtutibus illis, quæ adiuuare illos possint, vt votorum suorum cõpotes euadant, imitantes supremum suum gubernatorem, de quo Isaias ait: a *indutus est iustitia vt lorica; & galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio Zeli.* In quibus verbis, *quatuor* excellẽtes virtutes insinuat, ijs qui gubernant valdè necessarias: IVSTITIAM scilicet, VLTIONEM, & ZELVM, quæ tamen tanquam suo fundamento innitantur INTENTIONI *salutis æternæ.* Aptissimè verò *Intentionem* hanc salutis confert galeæ; *Iustitiam* loricę; *Vltionem* vestimento; *Zelum* pallio. Nam quẽadmodum *galea* ponitur in suprema parte hominis, capite scilicet: ita Reges & gubernatores debent super caput suum collocare salutationem propriam, suorumque ciuium, & subditorum, tanquam rẽ sibi maximè dilectam, & maioris pretij ac momenti, quæ sit in toto mundo: & ad hanc dirigenda sunt reliqua omnia opera, cum spe magna eam consequendi, propterea enim Apostolus b *galeam* appellat *spem salutis.* Et quemadmodum homo nihil diligentius custodit, quàm caput, & ipsæ manus exponunt se cuicunque periculo, vt illud protegant: ita nihil adeò zelare debent Reges, atque propriam salutem inprimis, deindè aliorum: Nam c *quid illis prodesset, si totum mundum lucrarentur,* eiusq; fierent Domini, si *animæ suæ detrimentũ paterẽtur,* ita, vt cælũ amitterẽt: & parũ certè omninò illis proderit, subditos habere prædiuites, & opibus in hac vita abundãtes, si ob suã ipsorũ incuriam illi dãnentur in altera. Quare quodcunq; tẽporale dãnũ debet paruifieri hoc nomine, ne spirituale animæ bonũ, quod æternũ est, pereat. Et nihilominus debent etiã rationẽ habere *salutis corporalis Reip.* quæ in eo cõsistit, vt benè sit ei prospectũ de reb. tẽporalibus, quæ ad vitã ipsam sustentandã sunt necessariæ, quẽadmodum Ioseph cum esset Aegypti gubernator, d *tẽpore fertilitatis collegit plurima frumenta in horrea Aegypti, vt tempore sterilitatis posset populũ alere.* Propriè enim ad gubernatores spectat prouidentia rerum futurarum: & in tẽpore prospicere de remedio necessitatũ

a Isa. 59.17

Galea. Salus propria & subditorum.

b 1. Thes. 5.8

c Mat. 16.26

Salus corporalis Reipubl cæ.

d Ge. 41.35

spiri-

spiritualium & temporalium: de illis siquidem illud intelligitur Euangelij: quòd e *seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, debeat illi dare* f *trici mensuram*, e *& cibum in tempore*, quantum scilicet ad vitam sustentandam opus habeat: sic enim curare debet, vt omnes *quærant primùm regnum Dei, & iustitiam eius*: in qua salus animæ & pax Reipublicæ consistit; vt etiam tanquam additamentum illis det *bona*, quæ ad *corporis* salutem pertinent.

e Matth. 24 45.
f Luc. 12. 42. Mat. 6. 34.

2. Lorica Iustitia.

PRÆCIPVA principis arma ad hæc omnia esse debet *Iustitia*, quæ *loricæ* assimulatur, vtpotè forti ex ferro armaturæ, non quidem offensiuæ sed *defensiuæ*, & aptatæ ad *mensuram* induentis illam. Nam Iustitia non est ad offendendum, & iniuriam vlli inferendam, sed ad corpus Reipublicæ defendendum, & sine detrimento conseruandum, dans vnicuique cum *æqualitate* quod suum est, illique iuxta illa merita debetur. Si enim Iustitia deficeret: quid aliud essent Regna, ait S. Augustinus, nisi latrocinia, & quædam malefactorum speluncæ? Omnes feruerent adulterijs, homicidijs, furtis & alijs iniurijs sine numero: quæ omnia iustitia intercipit, sed oportet tamen Regem eam induere in seipso, in omnibus quæ ad ipsum spectant eam obseruando; & postea etiam inter alios eandem exercendo. Nec debet dicere, sicut solent improbi homines: *Iustitia fiat, sed nō tangat domum meā.* Si enim iustitia Principum domus fugiat, etiam fugiet reliquorum iudicium, & omnium ciuium domus; euenietque miserabilis illa strages, quam lugebat Isaias Propheta paulò ante verba ipsius suprà posita. g *Conuersum est*, inquit, *retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi: & facta est veritas in oblitionē: & qui recessit à malo, prædæ patuit.* Quod si Reges & gubernatores admittant in domum suæ conscientiæ, in palatium, in aulam suam veritatem ipsam, præbeantque *Iustitiæ* aditum, mox eam in totam Rempublicam inducent, omnesque subditi in suas ciuitates, ac domus illam recipient. Imò & ipsorum Regum Iustitia animum & fortitudinē eis addet, vt voti sui compotes fiant, & *iustitia eius ipsa confirmabit eum*; vt scilicet leges conseruentur, & omnes calumniæ & iniuriæ remoueantur, & cum his omnibus remanebit regnum stabilitū & confirmatum. nam, vt Sapiens dixit: h *iustitia firmatur solium*, & i *thronus*. Sed quoniā nunquam in Republica desunt improbi: ideò iustitia armat Principem indignatione & vindicta contra ipsa vitia & peccata, vt reprimat delinquentium temeritatem, propterea siquidem dicit Spiritus sanctus: k *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*, & ipsos quoque malos. Vt enim ait S. Augustinus ita torueè quòd malum est aspicit: vt nullus in eius conspectu audeat illud facere. Et vt dicimus: oculus Domini impinguat equum ita oculus Regis, qui bono suorum ciuium attendit, illos facit bonos; & oculus

Lib. 4. de ciuit. c. 4.

g *Isa. 59. 14. 15.*

Rex iustus ipse sit.

h *Pro. 16 13.*
i *Cap. 25. 5.*

3. *Vestimenta*
k *Pro. 20. 8.*
Lib. de correct. & gratia c. 13.
Vltio paterna.

iratus eosdem reprimit, ne mali fiant. Ne autem existiment, eam seueritatē manere tantum in *toruo vultu*: oportet suo tempore etiam induere iustam *vindictam*, puniendo delinquentes, vt alij cautiores fiant. Sed hanc *vltionem* non confert Isaias cum armis ex ferro & ex chalybe, sed cum *vestimentis*, quæ solent esse ex *molli lana*: vt intelligatur, non oriri vltionem ex odio, rancore, aut ira; sed ex *amore*, & cum lenitate: ostendendo *compassionem* in eum, qui punitur: vt paulò post videbimus.

§. 1. *Zelus & eius actus.*

4. 1.2.q.28.artic.4. *Zelus effectus amoris. Ca.4.de diuin.nom. par.1.*

DEBET quoque Princeps armari feruenti ZELO, qui *iustitiam* comitetur, & *indignationem*, & reliqua opera, quæ fecerit: vt & legem ipse custodiat, & alios seruare faciat. Hic ZELVS, vt S. Thomas ait, est præcipuus *amoris* effectus: qui enim multum diligit alium, statim procurat remouere, & impedire quoduis malum, damnum, aut iniuriam, quæ illi infertur. Et quò amor est maior, eò etiam zelus est vehementior. Et quoniam DEVS adeò amat creaturas, ideò (ait S. Dionysius) vocatur per eminentiam *zelotes*, boni scilicet eorum qui *zelant* eius honorem. Et hinc fit, vt singulis amoris actibus respondeat actus zeli proportionati: & quot sunt bona, quæ amat charitas, tot actus zeli ab ea procedunt. Nam, quia Deū amat, zelum habet eius *gloriæ*; & cupit, quicquid illi aduersatur, impedire; quoniam propriam amat *salutē*: zelo magno illam procurat, resistendo omnibus, quæ illum possunt impedire; quoniam *Reip. commune bonum* amat: zelum habet illud conseruandi ac promouendi, omnia remouendo, quæ illi nocere possunt. Et in hunc modum est zelus obedientię, castitatis, iustitię, & reliquarum virtutum, quia omnes amat; & vitia destruere cupit, quæ illis aduersantur. Sed omnes hi zeli actus reducuntur ad zelum *custodiendi* leges, & *dandi operam*, vt & alij eas custodiant. Qui *duos* actus habet, internum vnum, & alterum externum. *Internus* est vehemens quædam tristitia ac *dolor* de miserijs, quæ sunt in Rep. tam *spiritualibus*, quæ sunt vitia & peccata; quàm *temporalibus*, quæ sunt calamitates, quibus Deus punit peccatores. Qui dolor non solum propterea habetur, quod timeat, ne fortè incuria sua, aut mala gubernatio sit eorum peccatorū causa: sed præcipuè, quòd sint cōtra *legem Dei*; & ita ipsum offendant; & propter damnū, quod adferunt toti communitati, & singulis ciuibus. Hic erat zelus, de quo Dauid: a *tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* vt autem hunc dolorē ostenderet, non esse ex proprio damno, dicit in alio loco: b *nonne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?* Et quoniam zelus hic internus non potest otiosus esse: simul adfert secum *decretum* & resolutionem

Zelus internus legis Dei & boni publici.

a *Psal.118. 139.*

b *Psal.138. 21.*

faciendi

faciendi quicquid poterit, ad hæc peccata impedienda, & ea damna reparanda: siue puniendo delinquentes, siue contra hostes Dei & Reip. pugnando, seq; si opus esset, magna animi fortitudine ad *mortem* in hac causa subeundam offerendo: eum in modum, quo S. Ioannes dicit de Christo D. N. quod c *zelus Domus Dei comederet eũ*: quòd videret, tot in ea fieri peccata. Et hic zelus effecit, vt ipse *quasi flagella de funiculis faceret, vt eiiceret de templo eos*, qui illud prophanabant: & idem zelus effecit, vt postea corpus ipse suum offerret ad flagella, & ad mortem crucis, pro bono hominum. Ita palàm ostendens infinitam suam Charitatem, d *ponendo animam suam pro amicis suis*: nam zelus amoris, si alios punit, id facit, vt alios protegat, & illis benefaciat, ac propterea Isaias *pallium zeli* appellauit: nam quemadmodum *pallium* est reliquis vestimentis latius, eaque cooperit ac munda seruat; ita zelus amoris valdè dilatatur, & cooperit, protegit, & custodit leges ac virtutes, earumque omnes actiones: dando operam, vt in puritate & integritate conseruentur. Et boni Principes, & gubernatores pallio zeli tegunt & defendunt omnes suos subditos; iuuantes eos, vt probi sint, & virtutum perfectioni studeant, remouendo omnia impedimenta, quæ improbi illis adferunt. Ac propterea Apostolus dixit: e *Principes non esse timori boni operis*. nam boni non indigent huiusmodi timore, vt peccata fugiant: quia virtus eos ad id impellit; *sed mali*, vt improborum scelera impediant. Sed vtrisque sunt *ministri Dei in bonum* suorum ciuium, quia remunerat & fouet bonos: vt in bono perseuerent; malos verò punit: vt à malo desistant, & non afficiant iniuria, nec impediant bonos. Vocat autem *Principem ministrum Dei*, vt intelligat, se habere supra se supremum alium gubernatorem eisdem armis ornatum: qui attente vigilat, vt *iustitiam* exerceat, quando eius minister id negligit conuertetque in ipsum iustæ suæ *indignationis*, & *zeli* arma, quibus illum puniet; quia ipse alios non puniuit, cùm *iustitia, virtus, & zelus* id iubebant: Iuxta sententiam Dei in Regem Israel, qui vitam iniustè donauit Regi Syriæ, dicens: f *quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua, pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*, tu scilicet morieris, & populus tuus in ea incidet mala, & punietur, sicut illius populus puniri debuit. Et hic timor sufficere debet, vt Principes non negligant administrare iustitiam, memores eius, quod dixit Rex Salomon, quando iussit occidi Ioab, eò quòd proditoriè occidisset Abner & Amasa; dixit enim Banaiæ: g *interfice eum, & amouebis sanguinem innocentẽ, qui effusus est a Ioab, a me, & a domo Patris mei*.

c *Ioan. 2. 17.*

d *Ioan. 15. 1.*

Zelus est pallium virtutum & subditorum.

e *Rom. 31. 5.*

Princeps minister Dei.

f *3. Reg. 20. 42.*

Iustitiæ neglectæ pœna.

g *3. Reg. 2. 3.*

§. 11. *Zelosorum exempla circa legum custodiam.*

QVÆ hactenus diximus illustrabuntur, adductis insignium virorum exemplis, quorum catalogum fecit Matathias pater Machabæorũ, vt suos animaret, cum Respublica multis miserijs & calamitatibus esset

referta:

a 1. Mach. 2. 50.

referta: a *attendite*, inquit, *quod nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus reuersionis & via indignationis. Nũc ergo filii, æmulatores estote Legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorũ; & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Et statim subiecit præclara vndecim clarissimorum virorũ facinora, Abraham Ioseph, Phinees, Iosue, Chaleb, Dauidis, Eliæ, Danielis, triumque eius sociorum Ananiæ, Azariæ & Misaelis, qui zelosi valdè fuerunt, Legisque Dei obseruatores: alij in seipsis eam seruantes, alij dantes operam, vt reliqui etiam eam seruarent. Cuius causa grauissimis periculis & laboribus se obiecerunt inuicta quadam animi fortitudine, quam zelus ipse, quem habebant, illis subministrabat, & ita obtinuerunt Pontificatum, Regnum, & victorias insignes de suis hostibus, aliosq; glorioſos euentus, quibus Deus zelum illum, & constantem ipsorum obedientiam remunerauit.

Zelantes in se.

1. Abraham obediens.

PRIMVS horum dux est Patriarcha ABRAHAM, in quo præluxit zelus *obedientiæ* in grauissima tentatione. Cùm enim DEVS ad eius fidem & fidelitatem probandam iuberet, offerri sibi in sacrificio vnicum eius filium ISAAC, tantum habuit zelum DEI voluntatem implendi, vt quo illam expleret, decreuerit non parcere proprio filio. Quæ eius *obedientia* adeò placuit Deo Domino nostro, vt mille benedictiones propterea illi impertiret: b *quia fecisti*, inquit, *hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*: quia insignes de eis victorias reportabunt, cuius exemplo debent Principes, & gubernatores de eo gloriari, quòd non sint *propriæ* suæ *voluntati* nimis addicti; sed prompti & parati ad eam celeriter abnegandam: quando id fuerit ad diuinam explendam necessarium, & offerre se, etiam proprio filio non velle parcere: quando lex *iustitiæ* ad id obligaret, quam debent omnibus personis, & rebus huius vitæ, etiam dilectissimis & pretiosissimis præferre: cogitantes, Deum *tentare* & probare ipsorum *fidelitatem* & *obedientiam*, quando talem illis permittit occasionem: vt sit necesse, aut legem transgredi, & iustitiam violare; aut rem, quam plurimùm amant, amittere. Et tunc subdent se illi præcepto Christi Domini: c *si oculus tuus, aut manus dextera, aut pes scandalizat te, abscinde eum, ne mittaris in gehennam ignis.* In hoc fuit singularis & excellens zelus *Saulis* antequam remitteret de suo feruore: cùm enim causam inuestigaret, cur Deus iratum se ostenderet, & consultus responsum non daret, iurauit dicens: d *viuit Dominus, quia si per Ionatham filium meum factum est absque retractatione morietur,* & cùm Ionathas deprehensus esset, dixit Saul *hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: quia morte morieris Ionatha.* Quod ferè perfecisset, nisi populus omnis se opposuisset, & Ionatham liberasset. Sed magis adhuc glorioſum est exemplum

Voluntas propria abneganda.

b Gen. 22. 16

c Mat. 18. 8.

d 1. Reg. 14. 39. 44.

Zelus Saulis innocentis.

ipsius-

ipsiusmet DEI, quòd in facto illo Abraham significabatur, adeò enim fuit zelosus ad peccatum destruendum, vt dicat Apostolus: c *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, vt scilicet pro peccato, cum æqualitate iustitiæ satisfaceret. NON fuit minus illustre in suo genere exemplum Patriarchæ IOSEPH, in quo eluxit zelus custodiendi legem, & seruandi *castitatem*, & iustitiam in seipso, & in propria sua Domina, quæ erat cõiugata, & simul zelum habẽs honoris Domini sui. Ac propterea f *noluit acquiescere operi nefario* adulterij: quamuis periculo se exposuerit vitam & honorẽ amittendi, licèt reipsa non amiserit, sed potius de eo dicit Matathias: g *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatũ, & factus est Dominus Ægypti*: quodnã autẽ hoc fuit mandatũ, nisi castitatis, & iustitiæ, & fidelitatis? q quia feruẽti zelo impleuit, eleuatus à Deo est, vt esset vice Rex & gubernator totius Ægypti. Quanto ergò magis digni erunt, qui regna sua & dominia conseruent, qui valdè fuerint feruentes in his præceptis custodiendis.

zelus Dei.
c Rom. 8. 32

2. Ioseph castus.
f Gen. 39. 8.
g Mach. 2. 53

SED magis prodigiosa fuerunt illustrissima duo exẽpla, quæ attulit Matathias, ad significandum zelum, qui meritò splendere debet in gubernatoribus, qui tyrannis suaq; voluntatis tenacissimis Regibus subsunt: *alterum* est *trium* illorũ insignium virorum ANANIÆ, AZARIÆ & MISAELIS: quibus Nabuchodonosor Rex insignia gubernationis munia commiserat. Sed quando iussit eos statuam illam auream adorare, quod si facere recusarent, h *eadem hora mittendi essent in fornacem ignis ardentis*, ipsi tamen adorare noluerunt: sed magna animi fortitudine, diuina potius quàm humana, nec furiosum Regis vultum, nec horrendum ignem, quem præsentem habebant, horruerunt; offerentes se potius ad mortem in illis flammis, quàm minimũ subtrahere adorationi, quam cælesti Regi se debere agnoscebant.

3. 4. 5. Trium puerorum fides.
h Dan. 3. 15.

HVIC simile est *alterum* exemplum socij eorum, DANIELIS scilicet Prophetæ, qui cùm esset vnus ex tribus Principibus, qui Regis Darij regnum gubernabant, & lege quadam iniusta ab ipso Dario lata, cautum esset, *ne quis spatio triginta dierum aliquid petere* auderet *à Deo*, sub ea interminatione quod qui deprehenderetur, *mitteretur in lacum leonum*: Ille non acquieuit tali legi, quamuis honorem & vitam esset amissurus. Sed nullus horum virorum in his periculis perijt, eò quòd elegissent DEO potius obedire, quàm Regibus: qui Deus prodigiosè *tres* illos pueros liberauit, ex fornace *ignis*, & *Danielem* à crudeli illo *lacu*. Vt ex his exemplis discant Gubernatores, & Iudices, præcipuam suam curam in *Legis* DEI custodia collocare; magno illam zelo, animique fortitudine omnibus huius mundi rebus præferentes: nec ferentes, vt ob aliquos timores, & humanos respectus in ea re vacillent, aut flectantur. Et quamuis dignitates aliquas Regumque fauores prius obtinuissent; nunquam debent illis obedire in re aliqua contra

6. Danielis religio.
i Dan. 6.

Legis Dei æmulatori nil nocebit

Deum; sed potiùs eligere, à Regum gratia excidere, aut vitam ipsam amittere, quàm suam conscientiam aliqua culpa maculare: fidentes Deo omnipotenti, ob cuius obsequium huic periculo sese offerunt, quòd, si ita expediet, sit ipsos ab eo periculo liberaturus. Quod si quando permiserit, eos corpore mori: id erit, vt anima viuat *æternum*: & dignitate quidem terrena excident; sed Reges euadent in cælo, vbi Regibus ipsos opprimentibus præferentur in honore. Eò autem diriguntur insignia illa verba, quæ venerandus ille Matathias subiecit, vt filios suos magis instigaret: quos Rex Antiochus crudelissimè persequebatur, vt eos ad Legis Dei transgressionem horrendis cruciatibus impelleret: k *a verbis* inquit, *viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est. Hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa glorioſi eritis*, potentior est Deus ad vos extollendos; quam sit tyrannus ad opprimendos. Gloria Regum improborum tanquam *stercus* est, vt quæ ob eorum pessima opera valdè fœtet: & tanquã *vermis*, qui conscientias rodit: estque tam breuis, vt non duret vltra *diem*; adeò est fragilis, vt sit in *puluerem* conuertenda; adeoque inanis, atque vana quædam *cogitatio*. Opponite itaque vos hosti huic magna animi fortitudine, zelantes gloriam legis ac legislatoris, cuius virtute glorificabimini, & de vestris hostibus triumphum agetis.

Momentum periat, æternũ maneat.

k *Mach.* 2 62.

§. III. *Exempla zelantium obseruationem legum in aliis.*

Zelantes in aliis.

TRANSEAMVS ad alia *quatuor* exempla magis propria *zeli*, qui studet vt lex DEI in *Republica* seruetur, & iniurias vlciscitur, in eam factas. Quorum primus valdeque insignis fuit PHINEES nepotis summi Sacerdotis Aaron, cuius zelum extollit Matathias, dicens: a *Phinees zelando zelum Dei accepit testamentum, & supremam Sacerdotii æterni* dignitatem. Quẽ zelũ in eo ostendit, quòd b *arrepto pugione, perfoderit virum Hebræum & mulierem Moabitidem* simul iacentes. Appellatur autem *zelus Dei*, eò quòd ipse illum inspirauerit, & Phinees intuitu ipsius Dei illo fuerit permotus, zelando ipsius honorem & custodiam legis eius. Estq; viuũ quoddã exemplar zeli, quẽ Christiani Reip. moderatores habere debent. Nã esto Ecclesiasticis non liceat pugionem propria manu accipere contra peccatores; certis tamẽ temporibus meritò adhibere debet *excommunicationis pugionem* in rebelles & inobedientes: occidendo eos spirituali hac morte, quæ eos abscindit ab Ecclesia, & à reliquorũ Christianorum communicatione separat; & (vt Apostolus ait) c *tradit ipsi Satanæ*, non in eum finem, vt ab eo deuorentur, sed vt hoc metu perculsi, ad seipsos redeant, suiq; peccati eos pœniteat. Seculares verò Principes, licet nõ *propria* manu gladiũ materialem accipiant, vt per seipsos puniant delinquentes: debent tamen gladium zeli arripere firmissi-

I. *Phinees castitatis.*

a *Mach.* 1. 2. 54.

b *Nu.* 25, 8.

Gladius excommunicationis.

c 1. *Cor.* 5. 5.

ma animi deliberatione ac decreto eos puniendi, quando ad honorem De propagandum, eiusq; legem custodiendam id erit necessariũ, ad imitation Sancti illius Regis: dicentis: d *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Certum est autem sanctissimum Regem Dauidẽ non consueuisse arrepto in manu gladio prodire ad interficiendos peccatores terræ: sed quotidie matutino tempore *orationi* se tradidisse, & obtulisse Deo efficacia sua vota ac desideria destruendi peccata; & quoad fieri posset iniquitates præueniendi ac impediẽdi. Hoc enim est peccatores interficere; nõ ipsos semper occidendo, sed *peccata*: vt homines sine illis vitam ducant, & expurgando ciuitatem ab his fœcibus illam inficientibus. Et hoc appellat interficere peccatores: quà scilicet sunt tales, vt peccatis morientes, peccatores esse desinant. Quamuis si peccata sint aliis *scandalo*, & Reip. *nocumentum* adferant, *licebit*, imò in aliquibus casibus *necesse* erit, peccatores aliquos interficere, vt similes alij timeãt, & peccata in ipsis moriantur, aut in ea incidere caueant. Nec parum vtilem zelum hunc Principes reputent: Adfert enim secum *duo* præclara bona: alterum ipsismet *Principibus*, alterum toti *plebi*. Nam quemadmodum Phinees propter insignem huiusmodi zelum confirmatus fuit in æternum in dignitate sacerdotali, ita ait Sapiens: e *Iustitia firmatur solium*: & Deus Reges confirmat in Regno, & gubernatores in sua gubernatione; dans eis prosperos rerum suarum euentus ob zelum, quo curant diuinas. Sed maiorem adhuc admirationem adfert, quod in hoc casu dixit Deus ad Moysen: f *Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis auertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo*, voluit enim significare: zelum Phinees in causa fuisse, cur Deus ipse non veteretur suo zelo, ad horrendam vltionem sumendam de peccatis populi. Zelus itaque Regum & Reip. moderatorũ auertit pœnas & supplicia, quæ zelus Dei mitteret alias in Remp. Deus enim (vt proximè dicebamus) seueriſſimè eos castigat, qui contra Iustitiam delinquunt, quando Reges ipsi id facere negligunt, aut dissimulant: contrà verò *ira* eius placatur, quando ministri iustam vindictam sumunt. Scriptum est enim: g *nõ vindicabit Deus bis in idipsum*. Ac proinde iustus gubernatorum zelus est pietas & *misericordia*: siquidem leuiori pœna Remp. suam reseruant à multo seueriori, quàm zelus Dei in eam irati misisset: contrà verò mollities & pietas *remissorum* in hoc zelo, est potius *crudelitas* in suum populum: siquidem propter illos Deus aggreditur per se seueriorem punitionem. Id enim v[illegible] postolus cùm dixit: h *horrendum est incidere in manus Dei viuentis, &c.* ati.

CONIVNGAMVS huic exemplo alterum, magis adhuc zelantis, de quo dixit Matathias: i *Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum*. Nam sanctus ille

in gladij vindictam. d Psal. 100. 8.

Non peccatores sed peccata extirpanda.

Nisi scandalosi sint, aut damno.

e Pro. 16. 12. *Zelo firmatur Regnũ.*

f Nu. 25. 11. *Zelus Regũ est misericordia præueniẽs iram Dei.*

g Nau[illegible] *iuxta LXX Remissio crudelitas.*

h Heb. 10. 31.

i 1. Mach. 2. 58.

i 1. *Mach.* 2. 58. *Eliæ ignitus zelus fidei.*

k 3. *Reg.* 18. 22. 40.

l 4. *Reg.* 1. 10

m *Cap.* 2. 12

ille Propheta feruentem suum zelum ostendit, quod fuerit horrendus omnium inimicorum Dei, legisq; eius persecutor. Quos, cùm ad veritatis viam reducere non posset; inuicta eos fortitudine, ac seuerissima Iustitia puniebat. Semel enim apprehendit k *Prophetas Baal, & interfecit eos; ita vt ne vnus quidem effugeret ex eis. Erant autem quadringenti & quinquaginta*, qui populum seducebant: & iterum l *descendere fecit ignem de cælo, ac deuorare* multos milites cum suis ducibus, qui erant idololatræ. Et in præmium huius zeli translatus est m *in cælum curru igneo & equis igneis*: vt hinc Principes intelligant, se operibus similibus, à Sancto zelo prouenientibus, fabricare sibi *triumphalem currum*, in quo transferantur in zelum Empyreum. Ardeat igitur in eis *ignis* amoris Dei, & eius gloriæ diuinæ zelus; hic ignis deducat eos quocũq; iuerint; & permoueat ad omnia quæ aggredientur: idem eos vrgeat ad sumendam vltionem de inimicis fidei, eosque igni comburendos, ne aliis noceant. Si enim talem ignem in hac vita sibi coniunxerint, erit illis currus instar & equorum ignis velocissimorum, qui & in altum extollet, & ad æternam requiem perducet.

3. n *Num.* 14. 6 *Iosue & Caleb, Fortitudinis.*

o 1. *Mach.* 2 55.

TERTIVM magni zeli & fortitudinis exemplum est n *Iosue & Chaleb*, qui cum decem aliis sociis iuerant, vt promissionis terram explorarent: & cùm reliqui socij ex iis, quæ viderant, timore perterriti populum deterrerẽt, duo illi Dei honorem magno zelo propugnantes, populum extimulabant, vt pugnam aggrederentur: & hic duorum vitorum zelus ita Deo placuit, vt cùm populus furiosus vellet illos lapidare, descenderit ipsemet cum ingenti gloria ad eos defendendos. In cuius fidelitatis præmium ait Matathias: o *Iesus* (alio nomine Iosue) *dum impleuit verbum: factus est Dux in Israel, & Chaleb dũ testificatur in Ecclesia*, & coram populo, promissam terram collaudat, *accepit hæreditatem* in ipsa terra promissionis, cũ reliqui in deserto periissent. Nam magnus Deus noster suscipit in se tutelam obedientiũ, zelosorum & fortium: vturq; eorum opera ad insignia & glorioſa facinora, relictis timidis, qui ex pusillamitate, præceptis satisfacere prætermittunt.

4. *Dauid honoru Dei.*

IMPONAMVS tandem finem cum exemplo Regis *Dauidis*, de quo idem Matathias ait: *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem Regni in secula*, & relictis nunc aliis misericordiis eius, de quibus postea, nunc motiuũ tantũ perpendamus heroici zeli ac fortitudinis, qua statuit populum suum liberare à magna illa anxietate & angustiis, in quas Gigantis illius Goliath superbia eum coniecerat, prouocando eos ad singulare certamen, & ipsorum Deum, ac legem contemnendo. Tactus enim iuuenculus opilio huius miseriæ cõmiseratione, accenditur magno zelo propugnandi *honorẽ Dei*, quẽ superbus Gigas contẽnebat: magnaq; animi fortitudine, cũ alii oẽs fugerent, ipse eos fugantẽ aggreditur: ac vincit: propter hãc igitur miseri cordiã dign⁹

effectus

effectus est, qui Regnum consequeretur, cuius Saul indignum se reddiderat. Hic enim regnum amisit, eò quòd non paruerit Deo in occidendis Principibus Amalech, iuxta Dei mandatum; Dauid autem illud acquisiuit, quia magno Zelo obtulit se ad occidendũ Gignantem, qui Deum viuum irridebat. Saul eiectus fuit ex Regno ob concultatum præceptum; Dauid ad Regnum promotus, eò quòd consilio paruerit, cùm non iussus exijt ad pugnam, vt fratres suos à periculo liberaret. Saul cùm esset Rex, ad quem propterea bellum spectabat, etiamsi alia etiam grauia bella superasset, timuit tamen Gigantem, sesèque retrahebat: eò quòd inobedientia sua fortitudinem ipsi abstulisset zelique defectus timidum reddidisset: Dauid verò etiamsi iuuenis, nec similes congressus expertus, nihil timet, neque hunc refugit: quia bona ipsius conscientia feruorque & zelus fortitudinem eius auget. Id enim significat verbum illud Dei: p *vir obediens loquetur victoriam*: quia remunerat Deus zelum *obedientiæ* dono *fortitudinis*: vt in bellicis congressibus victoria potiatur. In eo igitur glorientur Reges, & gubernatores, quòd sint ipsi Deo suo valdè obedientes; ac zelantes, vt omnes sui subditi tales sint. Nam si prædicta exempla imitentur insignium illorum *vndecim* virorum, etiam bona consequentur, quæ illi obtinuerunt.

Dauid Zelo regnum obtinuit, quod Saul remissione amisit.

p *Pro. 21. 28*

Obedientia victrix.

CAPVT VII.

CHRISTIANAM GVBERNATIONEM FVNDARI debere in charitate cum mansuetudine, clementia & misericordia: locum tamen zelo ipsi dandum.

HACTENVS Zeli opera adeò extulimus, vt opus sit statim illi terminos ac limites adhibere: ne contra reliquas charitatis matris suæ proles erigatur. Ad cuius explicationem reuocandi sunt in memoriam *duo* modi, quibus supremus hominum gubernator in eisdem gubernandis est vsus, à quo discere illos oportet duos suos gubernandi modos: alterum cum *amore & lenitate*; alterum cum *timore & asperitate*: quorum meminit ipse Dominus per Zachariam Prophetam dicens: a *assumpsi mihi duas virgas* ad gubernandum gregem meum, *vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum*: quo & agri mensurantur, & ex eo fit etiam b *flagellum*, quo Rei puniuntur. Hæ *duæ* virgæ significant duos modos gubernationis, quibus Deus D. N. homines in varijs statibus gubernauit. *Primum* enim eos gubernauit cũ *amore & lenitate* in statu Innocẽtiæ: cui modo aptè competit nomen *decoris* propter pacem, lætitiam, & felicitatẽ, quam cum Iustitia originali habebat: quãuis præceptũ quoddã illis impo-

Duo modi gubernationis diuinæ.

a *Zach. 11. 7*

b *Ioan. 2. 15.*

Nec amor sine timore.

fuerit minando mortẽ, si illud transgrederẽtur. Semper enim gubernatio ex *amore*, habere debet nonihil *timoris* adiunctum. Sed quoniã Adamus præceptũ illud fuit transgressus, etiã Deus virgã illam confregit, dissoluens statũ Innocentiæ, c *& tuli*, inquit, *virgam meam, quæ vocabatur decus, & abscidi eam:* & tunc cæpit alter status, & modus gubernandi, stringendo funiculos cũ *seueritate & punitione.* Nam statim repleuit maledictionibus & miserijs Euam, & Adamum, & d *emisit eos e Paradiso voluptatis, & collocauit ibi Cherubim cum gladio flammeo*, qui significabat alterũ modum gubernationis per timorẽ & terrorem. Quamuis etiam aliquid amoris & spei miscuerit, promittens illis peccati reparationẽ, per aliquem ex eorum successoribus. scil. *Messiam.* Sed cũ homines carnem haberent male propensam, adeò vitã suã corruperunt, vt iratus in eos Deus, secundã etiam hanc virgam fregerit, e *delens* totum genus *humanũ* per diluuium, excepto Noe & septẽ alijs, qui in arca fuerũt seruati. Et tũc cœpit Deus hos duos gubernationis modos renouare, recipiens duas illas virgas, quæ (vt interpretatur S. Hieron.) ad literam significant duo *pacta*, quæ ipse fecit cũ hominibus, ad eos gubernandos. Alterũ fuit cu Noe, & ab ipso descẽdentibus, quod nunquã f *amplius* esset illos *aqua deleturus*: cõstituẽs in huius misericordiæ & clementiæ signũ g *Arcũ cœli*: & tunc nullum aliud onus hominibus imposuit, præter legem *naturale & fidei*, in reparatorẽ humani generis, per arcũ illũ significatũ. Ac propterea hanc virgã appellauit *decore*, ob cælestis huius Arcus pulchritudinẽ, & magnum bonũ quod significabat: præcipuè verò eò quòd pulcherrimũ esset & gloriosum, quòd ipsemet Deus homines gubernaret, non cũ terrore diluuij; sed cum *amore* & spe magnorum fauorũ & gratiarum. Sed quoniã homines malè propensi erant ad carnis suæ oblectationes, sensim eas sunt secuti, & in tot vitia, etiam Idololatriæ, prolapsi, vt Deus hanc virgam cõtriuerit, &, Gentiũ populo repulso, particularẽ populũ Hebræũ elegerit: h *pactũ* iniens cũm *Abraham*, eiusq; *semine*, & hanc appellauit *hæreditatem*: quia peculiari modo eam accepit in i *hæreditate suam*: statuens eam gubernare per scriptam legem, quæ erat lex *timoris*, minis, & tẽporalibus imprecationib⁹ plena in eos, qui cã transgrederentur. Sed & hic populus rebellis fuit Deo, eiusq; legi & insurrexit in ipsum redemptorẽ & Messiam venientem ad ipsum saluandũ. Qui communiuit secundã hanc virgam, abrogando legẽ hanc timoris, nouam verò instituendo amoris plenã, cum qua ignẽ Spiritus sancti, eiusq gratia, & charitatis feruorem communicauit: qua lege, maiori multò suauitate & efficacitate homines gubernat, & in rebus omnibus ad ipsorum salutẽ & perfectionem spectantibus dirigit. Hæc est virga ipsius Christi, quæ per excellentiam vocari potest *decus & hæreditas*, eò quòd faciat homines *decoros* per gratiam, filios Dei, amicos suos, & sui cæli *hæredes*. Et quando hanc virgam siue baculum

c *Zach.* 11. 10

d *Gen.* 3. 23.

Nec timor sine amore.

e *Cap.* 6. 7.

Ibi.

Vide Ribe.

f *Gen.* 8. 21.

g *Cap.* 9. 11.

Virga decoris.

& Funiculi.

h *Gen.* 17. 8.

i *Deu.* 9. 26. 29.

Virga decoris & hæreditatis.

culum ei pastori tradidit, quem suo loco constituebat, k *ter eum examinauit de amore*: vt intelligeret, totâ suam gubernationem fundari debere in *amore*, respiciendo ac dirigendo illum, ad oues suas secundùm legem charitatis perficiendas, signando eas hoc amoris signo, quod ipsi imprimitur cordi.

k Ioa 21.15. *Lex amoris.*

§. I. *Charitas in gubernatione.*

EX hoc iacto fundamento colligere licet, omnem Christianam gubernationem non solùm Prælatorum Ecclesiasticorum, sed Principum etiam secularium debere præcipuè fundari in *charitate*, & in *duplici* amoris actu, *interiori* scilicet & *exteriori*, quos S. Thomas *beneuolentiam* & *beneficentiam* appellat: ita vt idem bonum subditis suis velint, quod sibi ipsis; faciantque illis benè, quantum licet iuxta illorum necessitatem: non exclusis ab hoc amore prauis, improbis, aut ingratis; sed imitantes supremum magnæ huius mundi Reip. gubernatorem: a *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*. Vt omnes gubernatores intelligant, se debere in hoc amore tanquam paterno eminere, erga omnes sub ipsorum gubernatione existentes; beneque illis facere etiam immeritis. Ita vt *sol* sapientiæ & prudentiæ suæ bonos & malos illustret; & *pluuia* beneficiorum suorum extendatur ad iustos & iniustos: vt *boni* ad viam virtutis sequendam anhelent; *improbi* verò vitiorum viam deserant. Gubernent eos potiùs *amore* quàm *timore*, *beneficiis*, quàm *supplicijs*. Ostendant se potius *parentes*, quàm *tyrannos*: vt subditi potiùs tanquam *filii* obediant, quam vt *serui* & coacti. Erudimini, ait S. Bernardus, qui iudicatis terram, discite, subditorum *matres* vos esse debere, non *dominos*. Studete magis *amari*, quàm *metui*. Et si interdum *seueritate* opus est, *paterna* sit, non tyrannica. Matres fouendo; patres vos corripiendo, exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem: Suspendite verbera: Producite vbera: pectora lacte pinguescant charitatis: nõ typho turgeant superbiæ. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis: quorum potius onera portare debetis? Hæc S. Bernardus. maximi enim momenti pro omnibus, qui gubernant, dare omnem operam, vt potius *amentur*, quàm *timeantur*. Nam (vt ait S. Ambro.) nihil tam vtile, quam amari; nihil tam inutile, quàm non amari; aut, quod peius est, odio haberi. Si enim gubernator ametur à subditis: (vt suprà de priuatis dominis dicebamus) illi obedientes erũt, fideles, & in obsequio suo constantes; faciesq; de eis quicquid voles, & in fines ad quos tua gubernatione tẽdis. Quod si quæras, (ait idem Sanctus) quomodo te reddes amabilem? Inprimis respondeo; *virtute*; quia grata est omnibus bonitas, & in omnibus diligitur, si cum lenitate morum, suauitate conditionis, moderatione mandatorum, & humanitate sermonis, cõiungatur: si cũ humilitate oẽs honores, & cum modestia in tuis actionibus, cum mansuetudine in agendo cum omnibus, eandem o-

Diligite inimicos. 2.2.q.27.a.2. & q.31.a.1

a *Mat.5.45.*

Ser. 3. in Cant. non multò post initium.

Amor neruus regni.

Li.2 offic.

Tract.3.c.4.& 5.

Virtus amoris semen.

stendas, & sic eos amando, te reddes amabilem: quid tam insitum naturæ, quàm vt diligentem diligas, & ames eum, à quo amari velis? Si vis ab alijs amari, præuenias illos amore tuo: tuus enim amor illorum amorem excitabit, & ita amaberis amando. Aspice duos illos insignes duces populi Dei, Moysen & Dauidem, qui in charitate & mansuetudine valdè excelluerunt, ac propterea eorum subditi valdè eos dilexerunt, venerati sunt, eisque promptissimè paruerunt. Et quamuis Moyses clarus adeò esset in prodigijs, plus tamen, ait idem S. Ambrosius, eum pro mansuetudine & amabili humanitate diligebant, quàm pro factis admirarentur. Dauid quoque imperium suum constans fecit & perpetuum, eò quòd à subditis amaretur; & diligi à subiectis, quã timeri maluerit. Quicquid enim in amore fundatur, diuturnius & solidius est, quàm quod fundatur in timore. Et hic commodũ habet locum, quod dixit Apostolus b *Charitas nunquam excidit*, ac proinde regnum & gubernatio in ea fundata stabilis est: & omnia cedunt in ipsius gubernantis & subditorum vtilitatem. Accipe semel, ait S. Augustinus, breue præceptũ: dilige, &, quod vis, fac. Siue taceas, dilectione taceas; siue clames, dilectione clames: si emendes, dilectione emendes: siue parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere. Nec solum tibi erit bonum, sed ijs etiam, qui tibi sunt commissi, nam omnia illis erunt vtilia, cùm vident esse cum *amore* coniuncta, & sciant veritatem illius sententiæ Spiritus sancti: c *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* benè verò ea appellat *fraudulenta*: quia videntur esse amor, cùm sint verùm *odium*, sicut etiam pœnæ abamante videntur odia, cùm verè sint *amor*; charitas enim quidquid facit, facit *more columbino, non coruino.* Hic enim oculos eruit; columba verò sine felle est, rancoris & indignationis: quæ etsi rostro & alis suum protegat nidũ: est tamen sine *felle*, ob amorem in suos pullos. Et propterea *Spiritus sanctus* venit in figura columbæ: vt intelligas, si Spiritum Dei habeas, quidquid feceris, siue reprehendas, siue punias, esse debere cum puritate & lenitate columbina, absque alicuius amaritudinis mixtione, & cum spiritu veræ charitatis. Quæ, vt suprà est dictum, stupendam vim habet, ad gaudium pacem, & concordiam efficiendam; remouet tristitias, inuidias, discordias, pugnas domesticas, & ciuiles. & quoniam illa est amicitia perpetua, perpetuitatem quoque tribuit omnibus ipsam admittentibus. Quæ igitur virtus magis propria est Regum, quàm quæ omnium est Regina virtutum? Quæ magis amabilis, quàm quæ tristes lætificat, pacificat conturbatos, dissidentes reconciliat, & stabilitatem & firmitatem dat Regnis? Quis eadem destruit ac vastat, nisi amoris defectus? & quis eadem exterminat, nisi charitatis absentia? Dauidis charitas coniunxit duodecim tribus Israel, quæ an-

tea

Vt ameris ama.

Amor miraculis præpollet.

b 1. Cor 13. 8

Tractat. 7. in Epist. S. Ioan.

E radice amoris omne bonum.

c Prou. 27. 6

Rostrum sit columbinum, non coruinum.

tea diffidebant, & ad vnum caput reduxit: cuius defectus in eius successoribus eadem diſiunxit perpetua diſſensione. Cùm enim peterent à Roboã filio Salomonis, vt d *auriſimum iugum imminueret, quod Salomon impoſuerat. Roboã iniit consilium cũ senioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone Patre eius, cũ adhuc viueret. Qui dixerũt ei: ſi hodie obediens populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorũ cesſeris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erũt tibi ſerui cunctis diebus.* At Roboam prudentia deſtitutus, & charitate frigidus, eorum consilium reiecit, quod tamen ab his virtutibus dictabatur: ſed consulens *adoleſcetes, qui nutriti fuerant cum eo*, etiam harum virtutum vacuos, reſpondit populo, cum viſceribus Tigridis, & tanquam crudelis tyranni d *pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugũ veſtrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem ceuã vos ſcorpionibus.* Ob quod adeò ſeuerũ reſponſum, ita populus eſt indignatus, vt ex duodecim tribubus, decem contra illũ rebellauerint, & Regem ſibi alium extraneum elegerint: ita vt ob amoris & lenitatis defectum Roboam amiſerit decem Regni ſui partes, quas facilè retinuiſſet, ſi lenitatem & charitatem fuiſſet amplexus. O charitas, virtutum Regina, quæ Regna conſeruas & vnita tenes Imperia! inclinans Reges vt prudenter aliquando populo *ſeruiant*, qui aliàs deberet ipſis ſeruire; & eidem *obediant*, qui deberet alias ipſis obedire: hac enim via illorum voluntatem ad ſe alliciunt, vt ſemper ipſis ſeruiant, & obediant cum amore e *ſeruite*, inquit Apoſtolus, *inuicem per charitatem Spiritus*: & ſic ſuauiter alijs imperabitis. Quis hoc medium ſeruiendi adinuenit, ad benè imperandum? Et obediendi, ad regnandum? Conſilium certè eſt & illius Domini adinuentio, qui cùm eſſet Rex Regum & dominus dominantium, dimiſit ſe (vt ipſemet ait) ad f *miniſtrandum* & obediendum ſeruis ſuis. Contrà quàm Reges Gentiũ, qui Maieſtatem ſuam in eo ponunt, vt cũ Imperio ſubditis ſuis imperẽt. Intelligant itaque Reges Chriſtiani, non eſſe officij ſui ſolùm regere & imperare; ſed ſeruire etiam & obedire. Non enim regere & imperare debent pro ſuo libitu; ſed ita id præſtare, vt in eo ſeruiant & obediant Deo: ex cuius voluntate & imperio, gubernãdos gubernare debent, & imperare quod iubent. Neque imperare debent, quod ipſis ſolis eſt commodum; ſed quod etiam ſubditis. Nam officium gubernatoris non tendit præcipuè ad bonum gubernantis, ſed etiam ad gubernandorum commodum. In hoc igitur ſeruit illis, ac miniſtrat, quòd eos, ad maiorem ipſorum vtilitatem, ſecundùm leges gubernat. Quod totum charitas ipſa præſtat, quæ vt Apoſtolus ait, g *non quærit quæ ſua ſunt*: h *ſed quæ aliorum.* Non fugit ſubditorum *ſanguinem*, vt eo ſaturetur: ſed ſuum offert, vt honorem illis, facultates, & vitam adferat.

Amor regna iungit, timor ſcindit
d 3. Reg. 12. 4.

d 3. Reg. 12. 11.

Serui vt imperes, obedi vt regnes.
e Gal. 5. 13.

f Luc. 22. 26.

Reges Deo ſeruiant.

g 1. Cor. 13. 5.
h Phil. 2. 4.
Sanguinem non auferant, ſed offerant.

§ II. *Misericordia, mansuetudo, & clementia.*

Misericordia.
Mansuetudo.
2. 2. q. 157. a. 1.
Clementia.

EX dictis satis aperte constat, tres virtutes plurimum iuuare charitatem in modo suæ gubernationis; *Misericordiam* scilicet, quę miserijs compatitur delinquentium, eò quòd illi sint proximorum miserrimi; *mansuetudinem* quæ iræ impetus reprimit, etiam cùm delicta eam prouocant, & seueram exigunt vltionem; & *Clementiam*, quæ, teste S. Thoma, suppliciorum seueritatem moderatur ex miseratione imbecillitatis reorum. Hæ tres virtutes valdè amabiles reddunt Reges & Gubernatores: omnes enim illæ indicio sunt, quòd illi ament; & beneficijs quæ ab eis proueniunt, obligantur illi ad redamandum, quibus illa conferuntur: iuxta illud Ecclesiastici: a *fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriã diligeris*: qui propterea valdè gaudebunt, quòd tua gubernatio continuetur, & propterea Salomon dixit: b *misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Eodem spectat Senecæ sententia dicentis: Regẽ clementem nõ indigere *custodibus*: eò quòd ipsa clementia eum custodiat; & arcem maximè inexpugnabilem, esse *amorem* subditorum. Quod totum sufficienter confirmat exemplum Regis cuiusdam misericordis, clementis, & mitis, de quo sacra scriptura dicit, quod proximo capite retulimus, c *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula*: ita vt non illud amiserit, sicut Saul. Adfert autẽ magnã admirationem, quod cùm Dauid fuerit adeò excellens in humilitate, fortitudine, & zelo; in oratione & familiari cum Deo consuetudine alijsq; clarissimis virtutibus: *misericordiæ* tamen tribuatur: quòd regnum fuerit cõsecutus cũ diuturnitate & firmitate. Vt hinc constet, quanti Deus D.N. virtutem hanc in regibus faciat: desiderans ita illos zelum habere *Iustitiæ*; vt, quod in ipsis est, potius ad *misericordiam* propendeant. De qua & ipse plurimum gloriatur, manifestans omnipotentiam suam potiùs in *miserando* & cõdonando: quàm in puniendo: nec vult mortem peccatorum, sed vt peccatis mortui, Deo ipsi viuant: pluráque peccata lenitate suæ clementiæ impedit, quàm terrore Iustitiæ. Et cùm hac est ipsi vtendum, id facit, quasi à nostra pertinacia *coactus*; fertq; grauiter, se ita cogi ad puniendum, dicens quod refert Isaias: d *Heu* (quæ vox internũm quendam sensum indicat) *vindicabor de inimicis meis.* Hunc ergò in modum vult ipse, Reges & Gubernatores honori sibi ducere, quòd sint clementes ac misericordes: suamq; potestatem non tam in afficiendis supplicio reis ostendere, quàm in eorum delictis præueniendis & reparandis. Ad quod si minæ sufficiãt, non veniant ad punitionẽ: & quando hanc adhibere erit necesse, id faciant, quasi *coacti* ab officij obligatione, qua tenẽtur Iustitiã administrare: sed simul doleant, quod videant, se ad eam seueritatẽ tunc teneri: dicentes cũ altero illo Imperatore, qui magnã gloriã in eo ponebat, quòd valdè esset clemẽs: ô si non scirem scribere,

a Eccl. 3. 19.

b Pro. 20. 28.
Li. 1. de clementia c. 19
Amor arsmuntissima.
c 1. Mach. 2. 57.
Dauid Rex per Misericordiam

d *Isa.* 1 2. 4.

Rex cogatur ad puniendum.

ne sen-

ne sententiam hanc mortis mei subditi subscriptione mea confirmarem.

SED videamus nunc quænam fuerit maximè insignis misericordia Dauidis propter quam throni sui firmitatem est adeptus: nam S. Augustinus *duo* præcipua huius virtutis opera indicat, quæ Christus D.N. commendauit illa sententia, e *dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis. Primum* opus est, acceptas ab inimicis iniurias remittere; *secundum*, dona distribuere egentibus. Et quamuis Dauid in *vtroque* opere excelluerit, multò magis tamen in *primo*, quod est glorioſius: quo se ostendit misericordem in Saulem, crudelem adeò suum hostem & persecutorem, remittendo illi acceptas ab eo iniurias, non se vlciscendo, quando facilè potuit; seruiens illi in ijs, quæ imperabat; defiens amarè eius mortẽ quasi illa non fuisset medium, quo ipse ad regnũ perueniret: eadem etiam clementia vsus est cum f *Semei*, condonans ei grauissimas iniurias ab eo acceptas, eò quòd se humiliasset, culpamq; suam deprecatus esset. Et quod magis mireris, Rex adeò misericors & clemens in suos hostes, ostendit in eosdẽ etiam misericordiam, vlciscendo cũ zelo Iustitiæ iniurias ab alijs eisdẽ illatas: volens vt zelus, in hoc misericordiæ subseruiret, puniendo iniuriam qua ipsius hostis fuerat affectus; & ita iussit interfici eũ, qui dicebat, g *occidisse* se *Saulẽ*, & alios duos, qui h *caput Isboset* ipsi⁹ æmuli *amputauerant*; ipsiq; obtulerant, credentes, magnum obsequium se ei in eo præstitisse. Quo exemplo docuit Reges esse *misericordes* in ferendis iniurijs sibi illatis; *iustos* verò in puniendis proximo illatis; *dissimulantes* interdum clementer, quæ in ipsos fiũt; & *vlciscentes* cũ Iustitia, quæ innocentibus proximis, etiam ipsorũ aduersarijs, irrogantur. Nã in *primo* ostendũt, se esse passionum suarũ dominos; & iram suam, ac vindictę appetitum benè frænatum habere: in *posteriori* verò ostendunt, se habere purum zelũ Iustitiæ. siquidem puniunt idem delictũ, ex quo aliquod ipsis oriebatur emolumentum. Et ex vtraq; parte reddunt sese amabiles, glorioſos, beneq; fortunatos, quemadmodum S. Aug. his verbis benè perpendit: Imperatores Christiani vocantur *felices*, si cũ Iustitia gubernant; si tardiores sint in proprijs iniurijs vlciscendis; & faciles in cõdonandis; si vindictã exercent, nõ vt suæ iræ satisfaciant; sed, quia ita opus est ad bonũ Reip. gubernationem, & conseruationem, & si quod delictum condonant, non sit, vt flagitium maneat impunitũ; sed propter maiorem spem emendationis, si pœnas & supplicia rigoroſa, quæ sæpè non possunt euitari, emolliunt & mitigant misericordiæ suauitate, & aliorũ beneficiorum copia, si optant & studeant potiùs esse dominos sui ipsorum, quam aliorum, & imperare effrenibus suis appetitionibus, potius quàm dominos esse mundi, ac denique si hæc omnia faciant, non inanis gloriæ cupiditate, sed amore vitæ æternæ. Hæc S. Augustinus: quibus docet modum, quo zelus & clementia actiones suas debeant exercere.

Serm. 50. de verb. Dom. e Luc. 6. 37.

Dauid iniurias remisit.

1. Reg. 24. 5. & 6. 29. 6.

f 2. Reg. 19. 20. 23.

Inimicorum suorum iniurias vltus est.

g 2. Reg. 1. 10. 15.

h 6. 4. 7. 12.

Tuas perfer, alienas compesce iniurias.

Li. 5. de ciu. c. 24.

" "

" "

Zelus clementia temperetur.

" "

" "

" "

" "

" "

" "

1.

Occasio peccandi & rei merita expendenda.

EST tamen operæpretium alia quoq; documenta addere. *Primum* est, clementiã debere præcipuè eminere in delinquentes *ignorantia*, aut *maduertẽtia*, aut in aliqua valdè vrgente *occasione*. Quia hæ circumstantiæ valdè diminuunt culpam, & meritò mouent ad misericordiam, & ad Iustitiæ seueritatem moderandam. Idq; multò adhuc magis, cùm ante tale delictum, vitam duxerunt *inculpatam*, aut insignes fuerunt *benefactores*. Quemadmodum apparet in casu Saulis in filiũ suũ Ionathan, qui etiãsi prodigiosã victoriã quandam obtinuisset, nihilominus fuit ad mortem damnatus, eò quòd ordinem ab ipso toti exercitui propositum, nõ seruasset. Sed impediuit populus sententiæ executionem, dicens: i *ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnã in Israel?* In quæ verba ait S. Gregorius: in examinandis reis attendendæ sunt *occasiones* culparum, & peccantium *merita*: sicut fecit populus in hoc casu. Non enim dixit non morietur Ionathas, quia filius Regis est: sed quia fecit salutem hanc magnam in Israel. *Cùm ergò magni viri cadunt, communi iudicio trahendi non sunt: quia priora opera promerentur, vt posteriorum grauitas leuigetur.* Et tunc clementia benè collocatur, absque iniuria Iustitiæ. Aliæ possunt esse causæ clementiã ostendendi in eos, qui ex malitia peccauerunt, in *duobus* illis casibus, in quibus Dauid illa vsus est: remittens *Semei* culpã, eò quòd oppotunè eã deprecatus fuerit, tempore magnæ lætitiæ, quando scilicet Dauid recipiebat regnum, quod amissum existimabat: & conniuens Generali suo, Duci *Ioab*, cùm proditoriè duos alios Duces se meliores occidisset: quia tunc non inueniebat in se vires, & opportunitatem eum puniẽdi: & quia multa auxilia, & subsidia militaria ab eo acceperat. Sed non tamen oblitus est *zeli iustitiæ*: nam ante suã mortẽ cõmisit Salomoni filio suo, vt viã & rationẽ inueniret, hæc delicta nõ relinquendi impunita. Satis verò apparuit, ipsũ nõ fuisse iræ spiritu promotum, siquidẽ ea delicta sustinuit per totam vitam; dedit verò hoc monitum, cũ iam esset k *proximus morti*: quo tẽpore Rex adeò pius, Deoq; coniunctus nõ potuit aliud motiuum habere, quã zelum iustitiæ. DENIQVE qui clementia & misericordia maximè gloriantur, attendere debent diligenter, ne hæc ipsa virtus, sit illis laqueus sathanæ, ad voluntatem Dei transgrediendam, & Iustitiæ leges violandas: quemadmodum euenit Regi Achab, quem Syri deceperunt astutè, vt illis parceret: l *audiuimus*, inquiunt, *quod Reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris: & egrediamur ad Regem Israel forsitan saluabit animas nostras* Quod ita euenit quidem, sed hæc *clementia* cõtra *Iustitiam* recidit in caput ipsius Achab. Habeat igitur *clementia* quidem proprium suum locum apud Reges; sed simul suum relinquat zelo *Iustitiæ*, dans operam, vt ita simul se habeant, vt mutuò sibi non aduersentur quemadmodum magis particulariter dicetur, quando de Iudicibus agemus.

i 1. *Reg.* 14. 24. 44. *Lib.* 1. *in* 1 *Reg.* 14.

Peccata malitia ad pœnas tolerari possunt.

k 3 *Reg.* 2. 5.

l 3. *Reg.* 20. 31.

Clementia Iustitiam non perturbet.

CAPVT

CAPVT VIII.

PRVDENTIAM IN OMNI GVBERNATIONE ESSE necessariam, præcipuè in totius Reipublicæ communi: & media ad eam obtinendam.

RECIMVS in hunc locum virtutem Prudentiæ; vt ex ijs quæ hactenus dicta sunt, appareat eius excellentia, & necessitas; vtpotè sine qua nulla gubernatio possit esse recta, nec prædictæ perfectiones obtineri. Nam *Prudentia* docet coniungere *humilitatem* cum magnanimitate, *magnificentiam* cum temperantia; *zelum Iustitiæ* cum clementia; zelique ipsius feruores moderari. Nam, vt S. Bernardus ait, importabilis absque scientia est zelus, quare vbi vehemens est æmulatio: ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque vtilis inuenitur: plerumque autem & *pernicioſus* valdè sentitur. Quare cum sponsus a *introduxisset sponsam in cellam vinariam*, ac vinum fortè *zeli* bibendũ obtulisset, statim *ordinauit in ea charitatem*, quod est proprium munus *discretionis*. Hæc enim omni virtuti ordinem ponit, ordo autem modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem, eadem est moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & morum Doctrix. Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ. Et quemadmodum virtus discretionis, absque charitatis feruore iacet: ita feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deest: quatenus & feruor discretionem erigat: & discretio feruorem regat. Hæc S. Bernardus. Quibus addo: *fortitudinem*, absque Prudentia conuerti in audaciam, fierique temerariam, & furiosam, *humilitas* contra fit pusillanimis, *ac* timida; *misericordia* decipitur: & suos *Iustitia* terminos transgreditur. Prudentia, ait Cicero, est ars vitæ, aut potius ars bene viuendi. Quemadmodum enim Medicina docet salubriter viuere in corpore; & medetur morbis, ab eisque reseruat. Ita Prudentia docet viuere cum sanitate spirituali, vitia curat; & ab eis præseruat. Deniq; Prudentia, vt ait S. Thomas, est virtutum moralium *Regina*: & omnes, cùm perfectæ sunt cum illa connectuntur: nam illa præscribit *medium* inter extrema vitiosa tenendum: *finem*, in quem ex instituto tendant; easque omnes in actibus suis gubernat: vt illi, rationis regulæ, legique Dei sint conformes. Et quemadmodum sunt *duo* genera virtutum moralium: aliæ, quæ vocantur *acquisitæ* eò quòd nostris operibus comparentur, aliæ *infusæ* dicuntur; eò quòd sint supernaturales & à Deo simul cum charitate omnibus iustis infundantur:

Prudentiæ necessitas. Serm. 49. in Cant.

a Cant. 2. 4.

Zelus absque scientia.

Serm. 23. in Cant.

Lib. 5. de Finib.

1. 2. q. 65. a. 3 & 2. 2. q. 47 a. 6. & 7.

Prudentia ars vitæ & regina.

Prudentia duplex.

ita etiam est duplex Prudentia, & altera alteram inuicem iuuat, vt vtraque ea ratione sit perfecta, quæ iam explicabitur.

§. 1. *Species & actus Prudentiæ.*

2.2.q.47.a 11.& q.48. & 50. *Prudentiæ 5 species.*

PRVDENTIA, vt ait Angelicus Doctor, in *quinq;* partes siue species diuiditur quæ sunt instar quinque sensuum spiritualium: qui residere debent in supremis Christianæ Reip. capitibus, vt sint in omnibus perfecta.

1. *Monastica. S. Thom. a. 11. & sup.*

PRIMA prudentia est cuiusque propria, ad seipsum scilicet in omnibus suis cogitationibus, verbis & operibus, quatenus persona particularis est, gubernandum: & propterea appellatur *Monastica*, siue singularis. Cui simul tanquam consertæ adhærent Iustitia, fortitudo, temperantia, & reliquę virtutes morales, quæ passiones cohibent, & moderantur. *Secunda* Prudentia vocatur *Oeconomica*, cuius munus est, domum & familiam gubernare: & spectat propriè ad eos, quos *Patresfamilias* vocamus: de qua in proximo tractatu diximus. *Tertia* appellatur *Politica*, eorum propria, qui ciuitates gubernant: quales sunt Vicarij, & locum tenentes à Principe constituti. Supra quam est *quarta*, quæ vocatur *Regnatiua*, Regum & Principum propria: ad quos generalis regnorum & prouinciarum gubernatio pertinet. Et hæc adiuuatur à *quinta*, quæ dicitur *Militaris*, & est propria Ducũ exercitus gubernantium ad Remp. defendendam ab hostibus, eam deuastare conantibus. Omnes hæ quinq; Prudentiæ etiã excellentiori modo pertinẽt ad Põtifices & Prælatos Ecclesiæ, quę Regnum est Christi: quam spiritualibus armis defendunt ab hostibus eam continuè impugnantibus. Et præterea militaris suo quodam modo debet reliquas comitari: quia nunquã desunt hostes turbantes pacem ciuitatis, aut familiæ, aut propriæ conscientiæ; ac propterea necesse est, tanquam strenuos duces pugnare, ad illos repellendos.

2. *Oeconomica*

3. *Politica.*

4. *Regnatiua.*

5. *Militaris.*

DENIQVE omnes hæ Prudentiæ talem habent inter se ordinem: vt *prima* sit necessaria ad *secundam*; & hæc ad *tertiam*, & sic de reliquis: nam, qui in *propriis* rebus non est prudens, non poterit in alienis esse; &, qui tantam discretionem non habet, vt propriam *domum* sciat gubernare, non censebitur illam habere, ad gubernandam *Rempublicam*. Est enim Apostoli sententia: a *si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.*

a 1. *Tim.* 3.5

PROPRII actus Prudentiæ, in singulis prædictis quinque, præcipui sunt *tres*, quos S. Thomas vocat *Consilium, Iudicium, & Imperium*: quibus attentissimè inquirit apta media ad finem desideratum obtinendum, de quibus qui prudens est *consultationem* apud seipsum instituit; consulens tamen etiam, quando opus est, aliorũ iudicium & consilium. Qua consultatione peracta, accedit *secundus* actus scilicet *Iudicium*: quo ex consultatis accipitur, quod est è re magis: hic enim actu habet se instar Iudicis in sententia ferenda, circa causam controuersam, postquam, quæ partes, & earum aduocati pro eis

2. 2.q.47. ar. 8. *Consilium.*

addu-

adduxerũt, audiuit. Post Iudicium sequitur *Imperium*: quo efficaciter imperatur executio rei decretæ & iudicatæ. Et hic nobilissimus est maximique momenti actus Prudentiæ, à quo, vniuscuiusq; bonum, totiusq; communitatis sibi commissæ, præcipuè dependet. Hoc tamen discrimine, quod in sui ipsius gubernatione post efficax Prudentiæ imperium, sequitur *obedientia* reliquarum potẽtiarum. Corpus enim, eiusque sensus tanquam serui, absq; resistentia parent rationi iubenti. Nam statim atque ratio iubet, oculos, aut os aperiri: mox ad videndum, & loquendum aperiuntur; quod si claudi iubeat, ne videant aut loquantur, ad nutum obediunt. Appetitus autem *sensuũ* cum suis passionibus, etiamsi obtemperent quidem, id tamen faciunt interdum cum repugnantia & resistentia, vt opus sit magna animi virtute, ad eos reprimendos; & efficacitate, ad imperandum. At in *domus, ciuitatis*, aut *Reip.* gubernatione non statim post imperium Prudentiæ sequitur obedientia subditorum: eò quòd liberi sint, & interdum suis Passionibus, propriæ voluntatis desideriis, propriiq; iudicij dictaminibus sint valdè addicti. Ideoq; opus est, vt prudentia ipsa rationes adinueniat, motiua & media, quibus eis persuadeat, & ad se subiiciendũ & obediendũ impellat: vt familia, & Resp. illa talis sit, qualis erat nobilis illius centurionis, qui dixit Christo D. N. b *ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit.* Nec dubium est, quin horum militum & seruorum obedientiam plurimum iuuerit insignis prudẽtia & sanctitas sui Ducis, qui benè illos instruxerat: quos non solum rationibus inducebat, sed suo etiam *exemplo*: quia scilicet superiori suo ipse obediebat; vt eadem ratione inferiores, quos habebat, ipsi obedirent. Et nihilominus euenire facilè potest: vt ipse gubernator probus sit, nec tamẽ inferiores promptè ipsi obediant. Quare prudentiæ perfectio nõ est ex *euentu* negotiorũ æstimanda, quæ ab aliena voluntate dependent. Simul enim hęc duo esse possunt: vt gubernator sit prudens, eiusque mandata recta: & tamẽ cuenta sunt infelicia; eò quòd subditorum obedientia non ita sit ad nutum, vt par esset; aut aliqui interueniant; qui obicem aliquem opponant.

Imperium.

Potentia statim obediunt.

Appetitus sensitiuus non sine lucta.

Subditi non semper.

Ideo prudẽtia iuuandi.

b *Mat. 8. 9 & Exemplo*

Exitus, malus iudex.

Ad Hæc: vt Prudentia suos actus in omni gubernationis genere aptè exerceat, varios habet comites sibi assistentes, & adiuuantes: quorum officia variè Philosophi explicant, sed præcipua sunt *septem*. *Memoria* scilicet rerum præteritarum; *intelligentia* præsentium, ab his ad illas ratiocinando; *prouidentia* futurarum, prospiciendo in tempore futuris; *docilitas*, vt facilè ab aliis doceatur, & moneatur: præcipuè verò à sapientioribus, senioribus, magisque expertis; *solertia* in adinueniendis citò aptis mediis ad finem desideratum obtinendum; *circumspectio* in rebus omnibus, & circumstantiis occurrentibus benè perpendendis, iuxta finem intentum: ac denique

2. S. Tho. 2. 2. q. 48. & 49. 7. Officia Prudentiæ.

denique *cautela* in præuidendis incommodis,& opportunè auertendis. Hi comites sunt & consiliarij Prudentiæ & oculi, quibus omnia lustrat. Quibus plena erant sancta illa animalia de quibus S. Ioannes & Ezechiel;c *quod esset plena oculis,ante; & retrò. & in circuitu,& intus.* Oculi *retrò*, sunt *memoria* rerum præteritarum,quarum recordatur,ad faciendâ eis coniecturam circa præsentia,& futura prospicienda,ac propterea senes sunt prudentiores, propter magnam rerum præteritarum experientiam. Oculi *antè*, sunt *prouidentia*, respiciens ea,quæ possunt euenire;& procul olfaciēs bellum;mediaque prospiciens,ad victoriam obtinendam. Oculi *in circuitu* sunt *circumspectio* & *cautela*,qua millies eadem res vertitur,& inuertitur: vt tota circumspiciatur;ita vt nihil eius occultetur. Oculi *intus*, sunt ipsa *intelligentia* & *solertia*,aspiciens ac benè cogitans quicquid faciat: & quia nouit, se non posse omnia assequi,accedit *docilitas*,vt alios interroget,& ab eis doceatur: ita oculis alienis vtens,atque si essent proprij. Hi septem Prudentiæ oculi sunt de quibus dixit Zacharias: d *super lapidem vnum septem oculi sunt*: ad significandum Christum Dñm nostrum eminenter habere septem has Prudentiæ partes, cum *septem Spiritus sancti dona*:& earum sunt participes viri perfecti,fundantes eas in quadam insigni *fortitudine*,ad exequendum bonum; & fugiendum malum,ad quæ oculi pertingunt & ad resistendum hostibus, illas oppugnantibus:qui tamen viri perfecti nihil horum possunt, nisi *lapidis* illi *vni*,qui Christus est, vniantur: luciq́ & Prudentiæ,ab eo per septem Spiritus sancti dona,ipsis communicatæ,præcipuè & nominatim per *sapientiam, intellectum, scientiam & consilium*. Nostra enim *memoria* fragilis est, & obliuiosa;*intelligentia* & *ratiocinatio* valdè breuis; *prouidentia* valdè incerta; *circumspectio* & *cautela* valdè limitata: & nisi à Deo foueatur & adiuuetur,nec fidere illi possumus, nec satis cum illa esse tuti.

Hoc voluit Sapiens,cùm dixt: e *habe fiduciam in Domino,ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vus tuis cogita illum,& ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede a malo*: quasi vnumquemque hoc modo voluerit monere:etiamsi in Dei seruitio sis valdè antiquus,valdeq́; peritus & expertus:non tamen soli tuæ prudentiæ fidas,sed etiam ab aliena auxilium pete. Ne tuæ sapientiæ multū tribuas, sed viue in timore ne decipiaris:ne tutum te esse existima auxilio *hominum*; sed præcipuam fiduciam in ipso DEO colloca:& in omnibus tuis negotiis eum tanquam præsentem aspice, qui te in eis dirigat. Ipse enim Prudentiæ f *lucernā illuminat*,suisque illustrationibus *memoriam* excitat, *intellectum* instruit, *solertiam* extimulat,dirigit *Prudentiam*, ac supplet quod *circumspectiom* deest.

Quod si hoc suasit Salomon cuiuis iusto; etiam cui nullius alterius gubernatio,quàm suiipsius incumberet: quid de eo censeret, cui multorum

aliorum

c *Apoc.4. 6.* c *Ezech 1.18*
Oculi Retro. Ante. Circa. Intus.

d *Zach. 3.9.*
7. Dona S. Spiritus.

e *Prou.3.5.*

Nec tibi nec homini sed Deo fide.

f *Psa.17.29.*

aliorum incumberet gubernatio? Eò enim difficilior est Prudentia, quò gubernationis sphæra magis extenditur: eritq; maximæ Prudentiæ, quòd quis intelligat, non sufficere prudentiam humanam, nisi foueatur & adiuuetur à Diuina. Benè hoc intellexit ipse Salomon, cùm ad regnum promoto, Deus apparuit, dicens: g *postula quod vis, vt dem tibi*, & ille cum magna animi demissione respondit: *tu Domine regnare feci sti seruum tuũ pro Dauid patre meo, ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum*, in occurrentibus negotiis. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuũ iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* h. *Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, iudicare, nisi tu illi faueas, ipsumq; adiuues? Placuit ergo sermo hic Salomonis coram Domino*, i *deditq; ei sapientiam & Prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenã, quæ est in littore maris.* Quare nec hominum infinita *multitudo*, nec plurimæ *occupationes*, aut negotiorum *grauitas* illum premebant, aut cor eius arctabant: sed cum magna quiete & rectitudine omnia expediebat. Sed multò adhuc amplius idem Rex hoc ipsũ declarauit, orationem referens, quam fudit ad Deum; k (inquit) *seruus tuus, homo sum infirmus, & exigui temporis, & minor*, nec sufficiens *ad intellectũ Iudicii & legum. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegisti me Regem populo tuo, & Iudicem filiorum tuorum, & filiarum. Mitte sapientiam*, quæ tibi assistit, sedetque tecum in throno tuo, *de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret: vt sciam, quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & deducet me in operibus meis sobriè. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iustè, & ero dignus sedium patris mei.* Hæc fuit piissima sapientissimi huius Regis oratio, in qua petebat à Deo scientiam & Prudentiã ad gubernationem suam necessariam, *tribus* adhibitis rationibus siue titulis ad illam impetrandam: *vnum* ex parte ipsiusmet DEI: quia ipse est fons sapientiæ, eligitque ipsum ad talem gubernationem: ideoque ad ipsum spectat sufficientia talenta dare, qui dedit officium: *alterum* ex parte *propriæ imbecillitatis* & ignorantiæ, nisi Deus subsidium mittat: *tertium* ex parte *populi*, quẽ erat gubernaturus, populum scilicet ipsiusmet Dei, filios & filias eius: pertinet enim propriè ad parentes, aptos Magistros & Pædagogos filiis suis adhibere. Easdem rationes ac titulos possunt in simili oratione adhibere Reges & Principes, gubernatores & iudices, Prælati & Superiores omnes tium Ecclesiæ Rerumpublicarum confidentes de supremi gubernatoris liberalitate, quòd facturus sit ipsos diuinæ suæ sapientiæ, ac Prudentiæ participes; vt nouerint seipsos; & eos omnes, qui ipsorum curæ sint commissi, recte gubernare.

g 3. Reg. 3. 7 *Rex indiget sapientia à Deo.*

h 2. Par. 1. 10.

3. Reg. 4. 29.

k *Sap.* 9. 5.

Oratio Salomonis.

1 *Ex parte Dei.*

2. *Propriæ infirmitatis.*

3. *Populi Dei.*

Imitentur eam Reges.

§. II. *Varia media ad Prudentiam obtinendam.*

HINC licet aliqua media accipere, ad Prudentiæ virtutem obtinendam. Supponimus enim: diuinam prouidentiam non erga omnes adeò liberalem se ostendere, atque erga Salomonem, cui repente & absq; ipsius labore eam infudit: id enim fuit rarum ac prodigiosum. Lex autem *ordinaria* est, vt omnes eam paulatim addiscant, industria propria & aliorum subsidio cooperantes diuinæ gratiæ; semperq; in primo loco orationis frequentiam ponentes, ita vt, antequam Prudentiæ actus aggrediantur, *orationem* præmittant: vt Deus D. N. speciali luce ipsis assistat, ac faueat: amplectentes Tobiæ consilium ac documentum filio suo datum: l *omni*, inquit, *tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Præcipuè tamen hoc est faciendum in negotiis *vrgentibus*, & ita *implicatis*, vt humana Prudentia eorũ exitũ non inueniat: quemadmodũ S. ille Rex fassus est, cũ in similibus angustiis constitutus dixit: m *cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad Deum*, à quo & consilium & auxiliũ expectamus. Idem quoq; faciendũ est in casibus *repentè occurrentibus*, ad quos humana solertia non attingit: vt sic accedat diuina, quæ eius defectus suppleat, quemadmodũ euenit Dauidi confugienti ad Regem Achis, vt Saulis persecutionem effugeret: Nam cùm ibi etiamin mortis periculum incidisset, ex Dei inspiratione finxit se n *insanum*: & sic liber euasit. Et cum primum Salomon sedit, in throno suo expediuit repentè solennem quandam litem o *inter duas mulieres meretrices*, cùm vtraq; *vellet esse mater cuiusdam infantuli*, & cùm nullum esset humanum medium, adid probandum, ac proindè nec ad litem rectè decidendã, *iussit infantem diuidi in duas partes*, quòd, cù altera audiret, cõmiseratione cõmota est; altera verò potiùs, vt fieret optabat; iudicium tulit rex ex illa commiseratione, illã esse veram infantis matrem. Cuius iudicij fama peruagante totus populus timuit Regem, agnoscens eum sapientiam habere, ac spiritum Dei ad eos gubernandos. Et quando Deus vult Reges ac Iudices apud ipsorum subditos commendare, vt magnam de illis opinionẽ concipiant, id facit in huiusmodi casibus, in quibus prouidẽtia & sapiẽtia Dei elucet, per ipsos gubernãtis.

Prudentia ratione acquiritur.

l *Tob.* 4. 20. *Maxime in difficilibus.*

m 2 *Par.* 20 12.

& Fortuitis

n 1. *Reg.* 21. 4.

o 3. *Reg.* 3. 16.

1. *Tollatur omnis affectio inordinata.*

ORATIONE supposita, necesse est Prudentiæ obices remouere; qui, etsi multi sint, ad *tria* tamẽ capita possũt reuocari. *Primum* est quelibet *inordinata affectio* ad personas aut res terrenas, quales sunt voluptates, diuitiæ & honores: huiusmodi enim affectio instar est *nubis* oculos rationis offuscantis; & *turbinis* iudiciũ intellectus deprauantis: vt nigrum iudicet album; & contrà, albũ, nigrum. Affectus enim trahunt post se discursus, & rationes, & affectiones carnales & terrenæ extimulãt falsam Prudentiam, quã Apostolus p *Prudentiam carnis* appellat, *Deoq; inhibitam*, eò quòd nõ *sit lege Dei subiecta*,

p *Rom.* 8 6.

veræ

veræ ſpiritus Prudentiæ contraria; ſagax, vigilans, & aſtuta, in mediis inueniendis, vt prauorum votorum compos euadat. Quemadmodum villicus ille, de quo dicit Euangelium, quod cùm Dominus illi dixiſſet: q *redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare, dixit intra ſe. Scio quid faciã*, vt amicos mihi comparem, qui *cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos ſuas. Et conuocatis debitoribus Domini ſui*, partem debitorum remiſit, deprauando chirographa, quæ prius fecerant, ex quo facto intulit Saluator: *filios huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua eſſe.* Vt plurimùm enim vehementes affectus, eò quòd carnis palato conformes ſint, magis ingeniũ exacuunt, & maiorem aſtutiam & peritiam efficiunt, vt, quod quærunt, obtineant. Ideóq, niſi illi mortificentur: non poterit illis vera Prudentia præualere, quæ multum ex eo pẽdet, quòd affectiones huiuſmodi deuictæ ſint, ac reſignatæ. Et ideò dixit S. Thomas, quod quemadmodum Prudentia virtutes morales regit, in moderatione ſuarum paſſionũ: ita ipſæ morales virtutes, moderantes ipſas paſſiones, Prudentiam adiuuãt, vt eas benè gubernare nouerit. Quod ſi Dei amor, & pij, ſanctique ab eo prouenientes affectus, eſſent vehementes, exacuerẽt proculdubio diſcurſus, & rationes ipſis ſuentes; redderentque Prudentiam ſpiritus valdè perfectam.

q *Luc.* 16. 1. *Prudentia ſæculi.*

1. 2. q. 65. a. 1. *Prudentia & virtutes, ſe inuicem iuuant.*

Sed aliud obſtaculum habet, *arrogantiam* ſcilicet ſui ipſius, propriæque ſapientiæ ac Prudentiæ: nullus enim minus eſt Prudens, quàm qui Prudentiam ſibi arrogat: ſeque ipſum ſapientem exiſtimat; proprio iudicio conſilioque ita fidens, vt alienum contemnat. In tales enim exclamat Iſaias, dicens: r *væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis Prudentes.* Nam tales propria Prudentia decipit, & ſ *conſilium præcipitat*, cœlique lux deſerit: vt quæ ſuperborum hominum ſit hoſtis. Ideoque ſolet Deus conſilia ſua t *abſcondere a ſapientibus & prudentibus* in ſuis oculis, *paruulis* verò & humilibus *eadem reuelare.* Et qui ſe humiliauerit coram Deo, imprudentem ſe ac ſtultum iudicans: veram Prudentiam obtinebit. Scriptum eſt enim: u *vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.*

2. *Arrogantia abſit.*

r *Iſa.* 5. 21.

ſ *Iob*, 18. 17.

t *Mat.* 11. 52

u *Pro.* 11. 2.

Denique *tertius* Prudentiæ obex eſt quælibet *cordis turbatio*, ſiue ab ira, ſiue à vindicta, aut furore vitioſo; aut ab inquieta naturali complexione aut aliundè turbata: Animi enim perturbatio iudicium obſcurat, & non permittit ratiocinari; nec res, vt oportet, rectè perpendere. Ideoque valdè prudentes viri, cùm ſe ſentiunt *iratos*, abſtinent à deliberatione circa agenda. quod ſi tunc aliquid ſtatuant agendum, ferè ſemper erratur: quia tunc ira maiorem habet locum; & plus decernit, quàm ipſa Prudentia. Quæ ſedem ſuam in corde quieto & pacato habere ſolet. Ibi conſulit, deliberat, iudicat, & imperat recte: ita imitando ſupremum gubernatorem, de quo dicitur quod x *cum tranquillitate iudicet, ac diſponat* omnia.

3. *Cordis turbatio ceſſet.*

x *Sap.* 12. 18.

§. III. *Alia media magis particularia.*

REMOTIS Prudentiæ obstaculis, incipiet suos actus exercere: iis enim morales virtutes augentur. Nam quemadmodum fit homo temperans, temperanter comedendo: ita prudens euadit exercendo in negotiis actus Prudentiæ. Quæ, vt munere suo in Reipublicæ gubernatione benè fungatur, necesse est tres suos primos comites valdè exactè perficere, quos vocamus *Memoriam* rerum præteritarum, *Intelligentiam* præsentium, & *Prouidentiam* futurorum.

1. *Memoria.*

PRINCIPVM & Gubernatorum *memoria* tanquam archiuum esse debet Legum & pragmaticarum suæ Reipublicæ, gestorum memorabilium suorum præcessorum, & euentuum eorundem expeditionum omnium maioris momenti, quæ ipsis incumbunt, & hominum grauiorum, qui ipsos vel iunant, vel iuuare possunt in sua gubernatione; obsequiorum, quæ ipsis exhibuerunt, & exhibent: vt ea remunerent: aut delictorũ: vt puniant, quemadmodum Deus illa habet in archiuo memoriæ suæ, & a *signata in thesauris suis*: & Dauid multis annis memoria retinuit, b *delicta Ioab & Semei*, vt illos tempore puniret; & obsequia Berzellai; vt ea semper remuneraret. Sed quoniam memoria hominum est fragilis & obliuiosa, præcipuè cùm negotia multa in ea reconduntur, meritò habere debent *libros* siue regiſtra, in quibus res insigniores, & maioris momenti scriptæ seruentur. Quemadmodum Scriptura Sacra refert de Rege Assuero, cui cùm Mardochæus insigne quoddam obsequium præstitisset, iussit ipse c *historiis & Annalibus priorum temporum tradi coram se*, in quibus scripta erant suorum maiorum præclara facinora; & res memorabiles, quæ diuersis temporibus eueniebant. Et cum quadam nocte somnum capere non posset, iussit legi sibi illos Annales, cumque ad locum esset peruentum, vbi scriptum erat factum Mardochæi, quæsiuit Rex: *quid pro hac fide honoris & præmii Mardochæus consecutus esset? cumq; responsum esset: nihil omninò mercedis accepisse*, statim iussit magno & publico honore illum affici. Omni enim dubio procul, multum animat fideles seruos, quòd videant, suos Dominos memoria retinere ipsorum obsequia: & ipsimet Domini valdè recreantur, cum magnalia suorum prædecessorum memoria repetunt; aut cautiores reddũtur, cùm infelices eorum exitus relegunt: & vtraque ratione prudentiores fiunt & doctiores.

a *Deut. 32. 34.*

b *3 Reg. 2. 6.*

Libri iuuent memoriam.

c *Esther. 2. 23. & c. 6. 1.*

2. *Negotia penetrent.*

OPORTET etiam *intelligentiam* rerum præsentium exacuere, non tractando negotia obiter & properanter; neq; existimando, satis esse, leuiter aspicere, quid prima quasi facie negotium contineat: sed danda illis est opera, vt benè illa penetrent, & à fundamẽtis intelligant. Debent meritò valdè benè

compre-

comprehendere totum Reip. ſtatum, eiusque commodi & incommodi radices. In quem finem expedit, (quoad fieri poterit) ipſum oculorum aſpectū adhibere, iuxta præſtans illud Spiritus ſancti conſilium: d *diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuosque greges conſidera.* Cognitio enim ex *auditu*, & ſolis rumoribus, ſemper eſt exigua; aut nunquam æquè perfecta, atque ex *aſpectu*: per quem Princeps & paſtor agnoſcit, agnoſcitur, amat, & amatur: & pleniùs aſſequitur finem ſuæ gubernationis. Sed quoniam id ſemper fieri non poteſt: pertinet ad intelligentiam Prudentiæ, benè penetraſſe, & comprehendiſſe ingenia & conditiones nationum, prouinciarum, & hominum, cum quibus agitur: vt omnibus, in modo & ratione gubernandi, ſe Princeps accommodet: lenitate, aut ſeueritate, aut modo magis illis apto: accommodanda onera imponenda, viribus eorum, quibus imponuntur: ne quis plus oneretur, quàm eius vires & facultas permittant. Sed & illud neceſsè eſt, vt hæc intelligentia intra certos limites contineatur: nam tanta attentio adhiberi poſſet in rebus omnibus intelligendis, & reuidendis: vt nullæ vnquam expedirentur: quod in magnum gubernationis detrimentum cederet. Quēadmodum enim imprudenter quis negotia ſine conſiderarione expediret; ita eſſet imprudentiæ tam diu hærere in conſideratione vt occaſio & opportunitas ea expediendi & exequendi elabatur & pereat. ideò enim Salomon dixit: e *Prudentiæ tuæ pone modum*: ne ſcilicet aut defectu aut exceſſu in conſilio, iudicio, & negotiorū executione peccetur.

d *Pr.* 27. 23. *Oculus aure cerior.*

Intelligentia ſuppleat.

Sufficit moderata intelligentia.

e *Prou.* 23. 4.

Denique exacuenda & extimulanda eſt *prouidentia* rerum futurarum, attentè præuidendo *fructum*, qui ex præſenti ſemente ſperatur: vt bonum illud eligatur, ex quo ſit poſtea maior vtilitas ſecutura. Et ſimiliter *incommoda* ſunt attendenda, quæ ex rebus præſentibus ſequi poſſunt: eaq; tempeſtiuè intercidere, antequàm creſcant, & maius detrimentum adferant. Statim atque ſcintilla apparere incipit, (ait S. Hieronymus) extinguenda eſt; reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda: ne tota *domus, maſſa, corpus, & pecora*, ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Debet etiam prouidentia extendere ſe ad res temporales, ita vt nunc proſpiciat de neceſſarijs in futurum: ſicut dicitur de Ioſeph, quod cum eſſet Ægypti gubernator, f *tempore fertilitatis repleuerit horrea Ægypti* tanta copia ſegetum, vt ſufficeret ad totum regnum ſuſtentandum toto tempore ſterilitatis. Exemplo etiā g *formicæ*, de qua Salomon ait, quod *paret in æſtate cibum ſibi, & congreget in meſſe quod cōmedat* in hyeme.

3. *Prouidentia futura præuidet.*

in Ep. ad Gal. 5. 24. *q* 3. c. *Reſecanda.* c c c c

Etiam temporalia.

f *Gen.* 41. 47

g *Prou.* 6. 8.

Nec tamen prædicta media ſufficiunt ad Prudentiam perfectè conſequendam, niſi accedat *vltimum*, quod eſt, *magiſtrum* aliquem adhibere, qui eam doceat. Si enim reliquæ artes, & ſcientiæ non diſcuntur ſine magiſtris: quanto minus poterit Prudentia acquiri, quæ ad tot gubernationis

4. *Magiſtri duplices.*

materias diffunditur? Ideoque *duplices* habet magistros: alios tanquam *mutos*, prudentes tamen, & valdè copiosos: quales sunt *libri Sacri*, nominatim quos edidit *Salomon*: in quibus Prudentiæ monita & documenta, quæ Deus illum docuerat, scripsit: & similiter *Ecclesiastici* liber (vt in eius prologo habetur) ex libris legis & Prophetarum summam quandam collegit consiliorum ac documentorum in hunc finem. Ad cuius imitationem multi Sancti Patres ediderũt alios libros, similibus documentis refertos: ex quibus & ego ea collegi, quæ hactenus sunt posita, & inposterum ponentur. Nec dubium, quin lectio homines faciat sapientes; iuuetque, vt etiam prudentes fiant. Nihilominus alij quoque Magistri Prudentiæ *viuentes*, sunt necessarij, qui illam doceant: non tam regulas eius præscribendo, quàm eandem in praxim deducendo & exercendo, dantes prudentia in occurrentibus negotijs consilia: vt Reges & gubernatores ex eorum exemplo discant bonæ gubernationis praxim: vt apparebit ex ijs, quæ proximo capite, de huiusmodi *consiliariis* adferemus.

Muti. Libri sacri Salomonis Ecclesiastici SS. Patres.

Viuentes Consiliarij.

CAPVT IX.

GVBERNATORES OPVS HABERE PRVDENTIBVS Consiliarijs: & quas dotes ac talenta habere illi debeant, vt sint perfecti.

QVONIAM Principes & supremi Gubernatores exornati esse debent *quinque* partibus Prudentiæ in proximo capite indicatis, ad benè gubernandum *seipsos*, *familias* suas *ciuitates*, totum *regnum*, suamq; *militiam*, opus habent varijs consiliarijs, à quibus in hac gubernatione iuuẽtur. Ordinariè enim est impossibile, quòd solus Rex possit adeò varias res satis comprehendere, rectumque de eis iudicium ferre: & licèt ad ea omnia sibi esset sufficiens: *arrogantiæ* cuiusdam esset, soli suo iudicio fidere. Id enim esset vsurpare sibi velle, quod est solius DEI proprium, ob infinitam suam sapientiam: de quo dicitur, a *quis consiliarius eius fuit*? Qua sententia (vt perpendit S. Chrys.) significatur reliquos, præter Deum, opus habere consiliarijs; sine quibus facilè decipientur. Et eò tendebat sermo serpentis, qui primos nostros parentes decepit, dicens b *eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, hoc est, omnia. Quod cum Eua credidisset, noluit virũ suum Adamum consulere, an expediret prohibitum fructum degustare: & ita fuit decepta. Et quamuis *Adamus* caput esset generis humani, & quidem valdè sapiens cùm tamen *solus* esset, fuit quoque deceptus, cuius deceptio tot

Consiliarij necessarij.

a *Isa* 40. 13. *Rom.* 11 34. *Hom. de ferend. reprehensionib.*

b *Gen.* 3, 5. *Deus solus sibi sufficit.*

mun-

mundo fuit pernicioſa. Et hoc ipſum nouam quandam obligationem adfert Reipub. capitibus, vt alios conſulant; quia ipſorum *errores* magis eſſent *periculoſi*, vt potè in totius regni cedentes detrimentum. Adhæc eorum decreta minus eſſent efficacia, & minorem haberent in ipſa Republica authoritatem ſi aduerteret, ea ab vno ſolo capite procedere: quod etſi magnam haberet eruditionem & virtutes multas: cùm tamen non niſi *duos* oculos habeat & quidem oculos *hominis*, hoc eſt erroribus ſubiecti, facilè errant ac decipiuntur: quoniam verò plus quatuor oculi vident, quàm duo: ita pluris fit & maiori cum reuerentia excipitur, quòd à multorum Sapientum iudicio approbatum promanat. Imò ipſa prudentia, ſi vera ſit ac perfecta, agnoſcit hanc neceſſitatem alieni ſubſidij, illudque petit & habere procurat. Ac propterea etiamſi Rex Salomon tantam è cœlo accepiſſet ſapientiam, vt poſſet omnium eſſe magiſter; voluit tamen tanquam prudens, habere ſecum c *Sapientes* aliquot, *qui coram ipſo aſſiſterent*, quorum conſilio in ſua gubernatione vtebatur, ſciens veriſſimum eſſe, quod tanquam fundamentum in ſuo Prouerbiorum libro dixerat: d *audiens Sapiens, ſapientior erit*, & quotidie aliquid noui inuenit, quod addiſcat. Et ſummus ipſe Pontifex, Christi in terra vicarius, etiamſi ob Spiritus ſancti aſſiſtentiam, auctoritatem habeat infallibilem, vt errare non poſſit in decretis pertinentibus ad fidem Catholicam, bonosque mores in bonum vniuerſalis Eccleſiæ, cuius eſt caput viſibile: tenetur tamen talia decreta non edere (ſicut reipſa non edit) abſque conſultatione & iudicio multorum Sapientum: nam ipſamet Spiritus ſancti protectio ipſum inclinat, & ad ſimilia conſilia ineunda impellit, iuxta illud Salomonis: e *ego ſapientia habito in conſilio*, & in iis qui libenter alios conſulunt, & ipſemet Saluator dixit; f *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, aſſiſtens ſcilicet ac dirigens illorum conſilia. Ac proinde Gubernator, qui aliorum conſilia horret, diuinam Sapientiam à ſe expellit: nec vult Chriſtum ſibi aſſiſtere directorem. Ac propterea Salomon eandem reputat calamitatem, quod non adſit Gubernator; & quod is qui adeſt nolit cum aliis de gubernatione conſultare: quod ſignificant illa ipſius Salomonis verba: g *vbi non eſt Gubernator, populus corruet*: h *Salus autem, vbi multa conſilia*. cuius ſententiæ ſenſus eſt, quòd populus propter alteram ex *duabus* cauſis æquè corruat: ſiue quod Regem non habeat, nec *caput*, à quo gubernetur, quemadmodum oues non habentes paſtorem pereunt: aut quod talem habeat, qui alios *conſulere* nolit: ſalus enim & felicitas Reipublicæ in eo conſiſtit, vt eius gubernator multa accipiat conſilia: & benè aduertit Sanctus Dorotheus, Sapientem non dixiſſe, ſalutem eſſe in habendis multis conſiliariis, ſed in eccipiendis *multis conſiliis*, etiamſi conſiliarij ſint

2. *Errores Regum periculoſi.*

3. *Suauior hinc gubernatio.*

4. *Prudentia hoc dictat.*

c 3. Reg. 2, 6.

d Prou. 1, 5.

5. *Exemplo Summi Pontificis.*

e Prou. 8. 11. f Mat. 18. 20.

6. *Promiſſione Chriſti.*

g Pro. 11. 14 h &c. 24. 6.

Rex & conſiliarij æqui neceſſarij.

Serm. 5.

Omnia semel, quædam sæpius consultãda.

i Pro. 13.10. 16.

k Ecc. 32. 24

rij sint pauci: cùm enim negotia sint multa, valdeque ardua, & sæpè intricata: necesse est, sæpius de eis consultationes instituere. Et quamuis negotia non essent adeò ardua: expedit de eis consultare, & consilium admittere: ait idem Salomon: i *astutum* siue prudentem, *omnia agere cum consilio, & qui agunt omnia cum consilio, regi sapientia.* Quod idem Ecclesiasticus confirmat, dicens k *fili sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebit*: nam sic agendo, aut voti compos euades; aut certè quietus eris & tranquillus: sciens, te fecisse quod debebas, non proprio tantùm *iudicio*; sed aliorum etiam *consilio* ductus.

§. I. *Numerus & Qualitas Consiliariorum.*

Nec vnus tantum.

a Pro. 15. 22.

CIRCA *numerum* Consiliariorum *duo* sunt *extrema* vitanda: constat enim *vnicum* solum non sufficere ad omnia negotia in diuersis gubernationis locis. Nam rarò inuenietur aliquis, qui sufficientem habeat notitiam rerum omnium, ad spiritualia & temporalia; ad particularia, & communia; tempore pacis, & tempore belli pertinentium: id quod Salomon alibi dixit: a *dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, vbi verò sunt plures Consiliarii confirmantur*: nam, quod vnus aslequitur, alteri est occultum: & omnes simul attingunt, quod magis expedit. Quod si vnus valdè est mollis, & in agendo facilè commiseratione mouetur; alter verò seuerior est, & ad iustitiam exactè seruandam magis propendet: ex vtriusque talis Consiliarij diuersis iudicijs consilium vnum rectius, magisque expediens coalescit. Sed neque nimis multi esse debent quia talis multitudo diuersitatè iudiciorum parit, quæ discordias ac dissensiones efficit, ipsumque consulentem valdè reddit perplexum, ac proindè nescientem, cui potiùs parti adhærere debeat: pauci verò Consiliarij facilius in vnum conueniunt. Sed merito debent *selecti* esse ac præstantes iuxta Ecclesiastici consiliũ: b *multi* (inquit) *pacifici & amici sint tibi, & Consiliarius sit tibi vnus de mille*: quasi diceret, ex mille amicis paucos seligere oportet, quibus arcana tua communices, tuaque negotia fidas. Nam si arcana & negotia tua ad animæ bonum spectant est eligendus tibi Confessarius *vnus de mille*, in quo eminenter appareant conditiones & qualitates notatæ in tertio Tractatu primi Tomi. Si enim Reges meritò eligunt optimos totius regni *medicos*, qui ipsorum corporalibus morbis medeantur, & ab eisdem præseruent, semperque arceant sanitati ipsorum conseruandæ: eò quòd magni sit illa momenti: multò æquius erit, & expediens, eligere optimum spiritualem medicum totius regni, qui animarum ipsorum curam habeat: quarum salus, & sanctitas summi est momenti ad totius Reip. bonum. Sed quemadmodum ne-

Nec nimis multi.

b Eccl. 6. 6

Sed selecti.

Confessarius.

cessaria

cessaria est in ipso Confassario insignis *sanctitas*, *& scientia*, cum *prudentia* magna coniuncta, ac *libertas spiritus*, aliæque dotes quas alijs Consiliarijs necessarias esse mox dicemus: ita in Regibus & Principibus necessaria est summa *humilitas, obedientia & subiectio*: ne in secreto illo Tribunali cogitent, se *Reges* esse: sed *reos* & peccatores: nec Confessarium tanquam vulgarem hominem aspiciant; sed tanquam ipsorum *Iudicem*, Iesv Christi verò vicarium: ac propterea ita se ostendant illi subesse; (quemadmodum Sanctus Ludouicus Galliarum Rex filio suo dixit) vt Confessarius non fiat in officio suo *pusillanimis*; nec libertatem deponat, eorum vitia reprehendendi, aptaque & necessaria consilia dandi.

Eius dotes.

Rex illum reuereatur.

Sed transeamus ad reliqua gubernationis negotia, ad quæ plures Consiliarij sunt apti. De Rege Assuero refert Scriptura sacra, habuisse eum c *Septem* præcipuos *Sapientes, qui ex more Regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio.* Qui numerus valdè est in Sacra scriptura celebris ob d *Septem* præcipuos *Angelos, qui astant ante Dominum, quorum vnus est S. Raphael* & in Apocalypsi mentio fit e *septem Spirituum, qui in conspectu Throni* Dei *sunt*, quasi eum iuuantes in gubernatione hominum, non quod ipse Consiliarijs opus habeat: sed vt insinuet, quid Reges & Gubernatores facere debeant, cùm Consiliariis indigeant. Et quoniam *septenarius* numerus est perfectionis, id nobis significat: tot esse debere Consiliarios, quot sufficiant, vt ex omnibus consilium vnum fiat valdè perfectum.

c *Esth.* 1. 13. *Septem consiliarij.*
d *Tob.* 12. 15
e *Apoc.* 1. 4.

Ex His licet etiam deducere, quas nam dotes ac talenta habere oporteat Consiliarios, vt possint perfectè adiuuare gubernationem. nam *septem* hi Spiritus etiam significant septem diuina attributa, quibus diuina prouidentia in sua gubernatione innititur; & quæ ipsemet Deus (si more nostro loquamur) consulit. *Sapientiam* scilicet suam, *Legem æternam*, *Prudentiam*, *Charitatem*, *Magnanimitatem*, *Misericordiam*, & *Iustitiam*: quarum dictamen sequitur ipse in omnibus quæ agit: suaque omnipotentia illud exequitur. Harum diuinarum perfectionum participes esse debent Consiliarii, vt munere suo rectè fungantur. ad quas reducuntur reliquæ à Philosophis & sanctis Patribus insinuatæ: quas cap. 5. Tractatus primi retulimus. Omnes tamen *virtute*, vitæque *sanctitate* fulciuntur: esset que summi momenti, quod in consiliariorum numero esset aliquis tantæ *sanctitatis*; ac propter familiaritatem & consuetudinem cum Deo Domino Nostro tantæ *sapientiæ*, vt esset quasi f *Ephod*, & oraculum, per quem Deus ipse in propositis consultationibus responsum daret, siquidem Ecclesiasticus dixit g *anima viri sancti enunciat aliquando vera, quam septē circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*: qui autem sunt septem isti Cir-

f 1. *Reg.* 23. 9.
g *Eccl.* 37. 18.

Sanctitas doctrinæ prænalet.

cumspectores, nisi sapientes & Consiliarii huius mundi, qui sublimem inter homines locum habentes, *arrogant* sibi multarum rerum cognitionem, & exactam attentionem in eisdem benè euoluendis & perpendēdis? qui tamen veritatis momentum non attingunt, siue quòd in suis consiliis tanquam *homines* solùm absque recursu ad Deum procedant: quibus ipse per Isaiam minatur: h *væ qui facitis consilium, & nō ex me: Et ordimini telam* vestrā, *& non per spiritum meum*: aut quod *infecti* sint superbia, & auaritia aliisque vitijs & animi perturbationibus, quæ mentis aciem excœcant, & ratiocinationes obtundunt: ideoque permittit DEVS, vt, in quo maximè putant se rectè agere; in eo maximè decipiantur, & aberrent: propterea enim dicitur Deus, i *reprobare consilia Principum & k apprehendere sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipare.* nam licet *mundi* huius *sapientia* præditi sint, sunt tamen insipientes & *stulti* cùm omnia sibi arrogent, & attribuant; ac propterea ipsorum consilia à recto aberrant.

h Isa. 30. 1.

i Ps. 32. 10.

k Iob. 5. 13.

Sapientia mundi stultitia.

AT viri sancti animaab huiusmodi vitijs & passionibus munda, quamuis in loco sit humili, quoad homines, est tamen spiritu omnibus sublimior, ob tractationem & consuetudinem cum Deo, à quo cœlestem accipit Sapientiam, quæ terrenam vincit; & veritatem, quam hæc non potest, assequitur. Et talis vnus Consiliarius præfertur alijs septem, estque verè *vnus de mille*, preciosus valdè, & Reipublicæ vtilissimus, quam suo consilio & oratione in periculis iuuat, ac fouet: quemadmodum Ecclesiastes hac parabola insinuauit: l *vidi* (inquit) *ciuitatem parvam, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam; exstruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego: meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergò sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?* sæpè (ait Sanctus Hieronymus) hoc euenire in Republica: cùm eius ciuitates sunt in huiusmodi angustijs constitutæ, à quibus liberari non possunt, nec diuitijs, nec fortium armis, nec mandatis potentium: inuenitur verò in illis ciuitatibus *vir* aliquis *Pauper & Sapiens*: *pauper* scilicet Spiritus paupertate, quæ eius cor ab omnibus huius mundi rebus separat, & euellit; *Sapiens* verò cœlesti sapientia, quæ non inuenitur, nisi cum ea paupertate: & vt plurimum requiescit & habitat in pauperioribus, & abiectioribus huius sæculi: & vix aliqua est ciuitas, in qua DEVS non habeat huiusmodoi aliquem, per quem alijs benefaciat: qui *oratione*, magnaque *prudentia* ac discretione consilium & modum inuenit, quo ab imminenti periculo eam liberet; & eripiat ex angustijs, in quibus perijsset, nisi aptum adeò eius consilium adfuisset.

l Eccl. 9. 14.

In eum locum.

Pauper & sapiens iuuat in tempore, postea negligitur.

NAM ad huiusmodi occasiones plus valet sapientia, quàm fortitudo; &

plus

plus prudentia præstat, quàm multa instrumenta bellica. Sed periculo transacto omnes obliuiscuntur pauperis: huius enim mundi homines non sciunt alios magnifacere, quàm diuites, potentes, & in ipso mundo magnos: necaliàs pauperum etiam sapientum rationem vllam habent, nisi quando eorum opera indigent.

Sapientia fortitudinem superat.

§. II. *Spiritum sanctum septem suis donis adiuuare Consiliarios.*

Sed quoniam prouidentia diuinanon deest Consiliarijs Christianis, quin eis prospiciat de ijs, quæ ad recta consilia præstanda sunt necessaria: eos iuuat *septem* suis donis, quæ Isaias vocat: a *spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum Consilii, & Fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, & spiritum timoris Domini*, quibus Christus Dominus Noster fuit plenus: quem Prophetæ per excellentiam b *Consiliarium, & magni consilii Angelum* appellant: quia ipse est bonorum consiliorum fons, qui ea inspirat per septem hæc dona, quæ cuiuis iusto communicantur, quorum vnum est donum CONSILII. Quod id in primis præstat, vt iustus lumine & fauore Spiritus sancti nouerit secum ipse consilium inire, iuxta regulas peudentiæ in omnibus, quæ facit: iuxta illud Salomonis: c *oculi tui recta videant & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*: vt attentè consideres, quò eas, & vbi pedem figas: ne aberres. *Deinde* CONSILII donum hominem inclinat ac disponit, vt sit *docilis*: gaudeatque se duci, non solum à consilio Spiritus sancti diuinas eius inspirationes sequendo; sed etiam consilio ministrorum eius, & peritorum Consiliariorum: per quos idem Spiritus sanctus loquitur, docet, bonaque consilia præbet. *Tertiò* etiam est vsui perfectioribus, ad recta consilia alijs danda in agendis; eosque per apta media ad finem æternæ salutis deducendos. Hoc totum complectitur sententia illa Ecclesiastici: d *cor boni consilii statue tecum: non est enim tibi aliud pluris* ac precios ius *illo*. Quid autem est *cor boni consilii*, nisi cor prudens, ac docile: vt & sibi ipsi, & aliis consulere possit, & consilium ab aliis accipere? quamuis autem hoc sit Spiritus sancti donum: suadet tamen, vt illud comparare studeas, quia tua industria, diuina gratia operante, perfici potest. Et eò tendunt reliqua sex Spiritus sancti dona: *tria* eorum cordis *affectum* perficiunt; reliqua *tria* mentis *ratiocinationem*. Omnia autem appellantur e *oculi* quia vnumquodq; suo modo lucem adfert ad recta sequenda consilia.

a *Isa.* 11. 2.

b *Cap.* 9. 6.

Donum CONSILII.

c *Pro.* 4. 25. *illuminat.*

2. *Facit docilem.*

3. *Docet.*

d *Ecc.* 37. 17.

Cor boni consilij.

Primvs oculus est *timor Dei*: de quo Dauid, quod f *initium sapientiæ sit timor Domini*: & Iob, g *timor Domini, ipsa est sapientia*: & *recedere a malo, intelli-*

e *Apoc.* 5. 6.

2 *Donum TIMORIS.*

f *Ps.* 110. 10.

intelligentia. Hic timor retrahit hominem à dando vel accipiendo consilio, in quo aliqua Dei adsit offensio, siue magna siue parua: quia semper esset consilium prauum, quodcunque tendit contra id quod Deus vult, aut constituit; noceretque ipsimet consulenti: ita enim Ecclesiasticus h *facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur: & non agnoscet, vnde adueniat illi.* Et malum consilium Consultori pessimum, quemadmodum euenit impio illi Aman, qui consilio sapientum, quos apud se habebat, statuit vindictam sumere de Mardochæo & impetrare à Rege Assuero, vt iuberet i *eum appendi super excelsam crucem, quam parauerat* sed conuertit Deus nequissimum consilium in caput eius, viam & rationem tradens, qua ipse *Aman in eodem patibulo appenderetur*, Mardochæus verò contra, exaltaretur. Nam (vt dixit Salomon): k *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

h Eccl. 27. 30

i Esth. 5. 10. & 6. 10. & 16. 18.

k Pr. 21. 30.

3. *Donum* PIETATIS.

DONVM PIETATIS inducit, vt qui eam habet commune Reipublicæ bonũ amet, ac procuret: præferendo illud cuicunque priuato bono. Quia charitas non quærit res proprias, cum iactura communium: sed proprium iudicat, quod est Reipubl. bonum: in qua cupit elucere *religionem* & *iustitiam*, ad quod sua omnia consilia dirigit. Eadem PIETAS impellit Consiliarium, ad amandum suum Principem, veræ *amicitiæ* amore; non quòd ex hoc aliquod speret commodum; sed quod ipsi Principi commodum & vtile sit: id quod est valdè proprium charitati: quam hoc nomine ait Sanctus Gregorius Nazianzenus esse Consiliariis valdè necessariam; plurimumque conferre, vt eorum consilia libenter acceptentur. Quamobrem Consiliarii Naaman Principis Syriæ volentes ei saluberrimum dare consilium, l *Patris* nomine eum compellârunt, hac ratione insinuantes, se eius quærere commodum, & tanquam filios ipsum amare: quòd cùm ipse agnosceret, consilium eorum est secutus, quod tamen ab Elisæo priùs datum, contempserat. Spiritus etiam PIETATIS in consiliis propendet magis ad *clementiam* & misericordiam, moderando rigorem Iustitiæ: ita quidem, vt nec iustitiæ aliquid detrahatur; nec ita sit pura, vt non admittat secum clementiam. Et vniuersim impellit ad *lenitatem*, quæ eius gubernationem suauem reddit ac iucundam. Satis verò apparuit, quantum hoc referret in bonis illis Salomonis Cõsiliarijs, qui filio eius Roboam consulebant, vt mansuetè ageret cum populo, & m *loqueretur ad eos verba lenia*: nam cum is eo consilio neglecto; & iuuenum, qui nihil pietatis sapiebant, secutus, aspera verba populo dedisset, maximam sui regni partem, vt prædictum est, amisit.

Religio, Iustitia.

In carmine Amor principis

l 4. Reg. 5. 13.

Clementia.

m 3. Reg. 12. 7.

4. *Donum* FORTITVDINIS.

DONVM FORTITVDINIS magni omninò momenti est, & Consiliario valdè necessarium: impellit enim eos ad non habendam rationem vllius *humani timoris*: cuius causa impediantur, dicere libere quod

sentiunt,

sentiunt, suis Principibus: quare neque *amor* aut desiderium eis placendi, neque *timor* displicendi, eis occludit os, ne dicant, quod sentiunt; aut remissè ac tepidè dicant. Quòd illis difficilè non erit, si veram habeant *charitatem*; & mortificatam *ambitionem*, & *cupiditatem*, quæ (vt Ecclesiasticus dixit) bonum consilium deprauant, aut libertatem illud proponendi tollunt. Ac propterea S. Gregorius Nazianzenus aitⁿ Cõsiliarium debere *os liberum* habere: quod esse donum Dei dixit Christus suis discipulis, dicens: ᵒ *dabo vobis os & sapientiam*: vt scilicet sapientia bonũ consilium & cogitationem concipiatis; *Fortitudine* verò & libertate, idem ore proferatis: ne vobis illud tribuatur; ᵖ *venerunt filii vsque ad partum, & virtus non est pariendi.* Hæc *fortitudo* comitem habet insignem *magnanimitatem*, quæ docet contemnere magnos honores, vt bona possit dare consilia. Et quamuis Principẽ videant in contrariam partem propendere, non debent ei annuere in ijs, quę nõ expediunt: sed demisse quidem, cum magna tamen animi magnitudine, bonis adductis rationibus, ab ea mente illum auertere: quemadmodum Consiliarios Naaman in casu paulò superiùs posito fecisse constat.

Obliberũ.

n *Vbi supra.* Luc. 21. 1

o Isa. 37. 3.

Magnanimitas.

Bene muniti Consiliarij *tribus* his Donis, appetitum & voluntatem perficientibus, tutò poterunt alijs tribus vti, quæ iudicium & rationem perficiunt, ad benè intelligendum Ius & Factum; motiuaq; ac modos dandi cõsilium. Donum Scientiæ docet ipsum *Ius*: ad eam enim spectat, cælesti lumine declarare præcipuè *legem* Dei; (quam Dauid tanquam amussim consiliorum suorũ semper adhibebat: ᵖ *Consilium* (inquit) *meum, iustificationes tuæ*) & reliquas etiam *leges*: in quibus debent esse valdè versati Consiliarij, sicut illi erant Regis Assueri, de quibus Scriptura Sacra, quod essent viri nobiles & sapientes, ᵠ *scientes leges ac iura maiorum*: illæ enim leges tanquam duces ac directiones sunt bonorum consiliorum in commune Reipublicæ bonum, quæ debet illis gubernari.

5. *Donũ Scientiæ.*

Iurisperiti.

p Psal. 118. 24.

q Ester. 1. 13

Sed quoniam satis non est, Ius ipsum nosse, nisi etiam Factum & negotium, de quo instituitur consultatio, exactè intelligatur, hoc pertinet ad donum *intellectus*. Qui diuina luce illustratus, omnes negotij circumstantias exactè penetrat; donec totum, vt se habet, benè possideat: ex quo maximè dependet consilij & directionis rectitudo. Ob similitudinem autem rerum præsentium cum præteritis, plurimum refert Cõsiliarios non solum speculatiuam habere scientiam & cognitionem; sed ipsam quoque praxim experientiæ multarum rerum innitentem, quæ temporis decursu cognoscũtur: quemadmodum, vt quis aptus sit medicus, non satis ei est *Theorica* medicina, nisi aliquot etiam annorum *praxim* habeat, qua dexteritatẽ sibi comparet, morbos dijudicandi, & apta applicandi remedia. Ac propterea Scriptura Sacra Consiliarios Regis Salomonis appellat *Seniores*.

6. *Donũ Intellectvs.*

Facti cognitio.

Praxis.

7. Donũ SAPIENTIAE. Gloria Dei.

DENIQVE SAPIENTIÆ donum consilia extollit ad altissima diuinaque motiua: vt scilicet, qui consulit, respiciat semper *maiorem Dei gloriam*; & honorem: & quod spectat ad catholicæ Fidei dilatationem; vniuersalis Ecclesiæ bonum spiritualem Reip. & omnium eius ciuium vtilitatem, ad eorum salutem promouendam. Et quamuis negligendæ non sint aliæ rationes & humana motiua ad consilia danda: hæc tamen *secundum* locum post diuina obtinere debent. Docet quoq; SAPIENTIA rationem & modum consilia præstãdi. nam (vt S. Iacobus Apostolus ait): t *quæ desursum est sapientia primum quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans temere, sine simulatione* & fraude. Præcipuè tamen docet tria: *primum*, vt Consiliarius iudicium suum proferat cum humilitate & modestia; verbis, quæ non sapiant arrogantiam, aut prodant, eum iudicij sui esse valdè tenacem nec adsint vlla signa contemptus aliorũ, aut cum eis contentionum: quæ dissensionem ac discordiam inter ipsos generent; quasi velit consilij & voti sui omninò compos euadere. Et hinc *secundum* oritur, vt *docilitatem* scilicet, & humilitatem Consiliarius præseferat, ad iudicium suum mutandum, & aliorum iudicia sequenda: cum cognouerit, illa esse aptiora: id enim non leuitatem, sed prudentiam & discretionem ostendit. Imo, teste Seneca, ingentis superbiæ indicium est, quòd nunquam velit homo, quod semel fecit, emendare; aut iudicium & consilium nunquam mutare: nec in vlla re magis eluxit sancti Augustini sapientia & humilitas, quàm quod aliqua *retractauerit* eorum, quæ prius scripsisset. *Tertium* magnique momenti docet sapientia, non ægrè ferre, nec indicia dare, quòd grauiter valdè ferat, non admitti suum consilium, sed aliorum: quamuis & illi, ipsius iudicent esse rectius & aptius. Meminerint igitur Consiliarij, infelicis illius *Achitophel*, cuius consilium tanti à Rege Dauid fiebat, s *quasi si quis consuleret Deum*, ex quo in tantam deuenit superbiam, vt omninò vellet, omnes semper suum consilium sequi. Cùm autem t *Absalon, & omnes qui cum illo erant, melius iudicassent consilium Chusai consilio Achitophel*, ac propterea illud sequerentur, tanta ira commotus est, vt *abiens* ab Absolone *in domum suam suspendio interierit*. Intelligant igitur Consiliarij, sibique humiliter persuadeant, non semper ipsorum consilium esse rectissimum: quod si aliquando sit, existimare debent quod quemadmodum u *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile* ad finem, quem ille intendebat, *vt induceret Dominus super Absalon malũ*, qui consiliũ exquisierat, & prauam ipsius Consiliarij intentionem puniret: ita aliquando non admittentur ipsorum consilia ob *alteram* ex his duabus causis. Quod si & ipsorum intentio recta erit, & consilium bonum & vtile: non tamen propterea tristentur ipsi, quòd reijciatur; sed diuinæ prouidentiæ committant negotij illius

1. Modestia.

2. Docilitas.

3. Tranquillitas.

Li. 4. de benefic. c. 34.

S. Augusti. Retractation.

s 2. Reg. 16. 23.

t Cap. 17. 23

u 2. Reg. 17. 14.

Deo committe.

exitum

exitum: nihil siquidem *casu* euenit. Quod si accidat ex ipsorũ consilio magnum aliquod cõmodum Reip. eiusq; Principi euenire; & ipsorum postea obliuiſci, aut malum pro bono reddi meminerint quod supra attulimus de x*paupere sapiente*: qui iuxta literam (vt S. Hieronym. ait) erat Iesus Christus D. N. qui veniẽs in mundum eum à Dæmonis tyrannide vindicauit; non carnis fortitudine, sed stupendis sapientiæ suæ consilijs. Et tamẽ in obliuionem venit, & à multis fuit cõremptus, eius consilia vtilissima reijcientibus: nec magnũ est, quòd ferat discipulus amore Magistri, quod hic pro illo pertulit: siquidẽ Christi vita exemplar est, & imago vitæ hominis Christiani.

Ingratos ne oderis. x *Eccl.* 9.15.

Conclvdamvs tandem vltimo documento, maximi momenti tam petentibus consilium, quàm illud dantibus: vt inquam *indifferentiam* & resignationem habeant voluntatis inuenire cupientis, quod magis expediat, non in vnam potiùs, quàm in alteram partem inclinantes; sed recurrentes ad Deum Dominum nostrum per *orationem*, quemadmodum sexto capite primi Tractatus fuit indicatum.

Indifferentia & Oratio.

CAPVT X.

SVPREMA REIPVB. CAPITA TENERI IVDICES constituere, qui iustitiam administrent; & quibus dotibus ornati illi esse debeant, vt sint perfecti.

Capita Reip. Ecclesiasticæ & sæcularis nõ posse eas per seipsa tantùm gubernare, adeò est manifestũ, vt opus nõ sit hærere nos in ostendenda, & rationibus probãda necessitate & obligatione, quæ illis incumbit, distribuendi onus suũ in alios: tam in rebus, quæ ad *iustitiam*, quàm quæ ad *bellum* pertinent: quæ *duæ* res maximi sunt momenti ad gubernationem: quemadmodum magnus ille Dux & populi Hebræi gubernator Moyses, his verbis ei significauit: Memẽtote, quod dixerim vobis: post exitum de Aegypto: a *non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. Dominꝰ Deus patrũ vestrorum addat ad hunc numerũ multa millia; & benedicat vobis sicut locutus est. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi: bona res est, quam vis facere. Tulique de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles; & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. Præcepitq; eis dicens: Audite illos, & quod iustum est, iudicate. Quod si difficile vobis visum*

a *Deut.* 1.10.

Moyses substituit sibi Iudices.

aliquid

Audite illos, & quod iustum est, iudicate. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. Hanc viam & rationem Rempublicam suâ Hebræam gubernandi, secutus est Moyses ex diuina inspiratione: constituendo Iudices ac Duces, qui ipsum in rebus Iustitiæ & belli adiuuarent. Sed non statim atque ipse gubernationem suam cœpit consilium hoc ipsi incidit, donec venit ad ipsum Ietro socer eius, qui b *cùm videret Moysen sedere, vt iudicaret populum à mane vsque ad vesperam, dixit ei: non bonam rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste qui tecum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed esto tu populo in his, quæ ad* DEVM *pertinent: prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantum iudicent; leniusq; sit tibi, partito in alios onere. si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace, nec diutius hærere cogentur tui causa extra illa.* Conuicit hic sermo prudentem & humilem ducem Moysen: nam vt proximo capite dicebamus: semper Reges debent esse *dociles*, ad amplectenda bona consilia: nec parum fecisse existimabuntur, si hoc ipsum accipiant, & sequantur: eum in modum, quem paulatim explicabimus.

b *Exo.* 18. 18

Moyses docilis fuit ab Ietro.

§. I. *De obligationibus ad quas tenentur Reges in electione Iudicum.*

PRÆMITTIMVS autem tanquam dicendorum fundamentum: Reges & Principes esse *supremos* Reipublicæ sæcularis Iudices; ad eosque directè pertinere *iustitiæ* administrationem in causis omnibus ciuilibus & criminalibus, inter ciues occurrentibus: sicut & ad summos *Pontifices & Episcopos* in causis, quæ ad ipsorum forum pertinent. Sed quoniam vt plurimum, non possunt hoc munus per seipsos exercere: *duplici* vinculo & obligatione valdè strictè tenentur. Altera est, munus suum aliis committendi: qui ipsorum nomine & authoritate illud exerceant; constituendo ad id viros sapientes, prudentes, strenuos ac timoratæ conscientiæ: qui possint, nouerint, ac velint, *iustitiam* iuxta leges Dei, eius Ecclesiæ, ac Reipublicæ siue prouinciæ, in qua resident, administrare. Altera est obligatio, vt seriò eosdem viros moneant, & exstimulent ad officium illud magna cura & studio exequendum; præbeantque illis recta monita, ac directionem necessariam, vt plenè officio & obligationi suæ satisfaciant: sed & ipsimet *attendant* postea: an illi officio suo desint. Præclarum huius rei exemplum præbuit S. Rex Iosaphat, constituens *duos* Iudicum ordines in suo regno. Quosdam *ordinarios* in magis præcipuis ciuitatibus, ad quos ciues, & pagani, ac ex vicinis oppidis recurrerent: quibus admirabile hoc dedit documentum, memorandis hisce verbis, quæ sculpta meritò esse deberent in omnium Gu-

Obligatio duplex.

1.

Substituendi idoneos.

2.

Eisdem superintendendi.

berna-

bernatorum ac Iudicum cordibus, vt nunquam eorum obliuiſcerétur: c *videte* (inquit) *quid faciatis: nõ enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit: ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Deum D. N. iniquitas, nec perſonarũ acceptio, nec cupido munerum.* Quibus verbis exhortatus eſt S. ille Rex iudices ſuos, vt attenderent diligentius, quid agerent, dum iudicarẽt: ne in ferenda ſententia eſſent præcipites; ſed magnam attentionem ac diligentiam priùs adhiberent, *tres* ad id rationes eis adferens valdè efficaces.

c 2. Par. 19, 5 Ioſaphat Regis ad Iudices ordinarios monita.

PRIMA eſt deſumpta ab excellentia *officii*, quod non eſt hominum; ſed Domini, quem iudices ipſi referunt, & cuius authoritate iudicant. Quamuis enim inferiores Iudices iuriſdictionem à ſuperioribus accipiant, & hi à ſupremis Reipublicæ capitibus: origo tamen omnis poteſtatis à Deo eſt: d *non eſt enim* (ait Apoſtolus) *poteſtas niſi à Deo*: qui munus illi cõmittit, ipſius loco & nomine iudicandi: ac propterea proprium ſuum nomen eiſdem communicat, vocatque e *Deos*, & nomen tribuens f *Elohim*, quod eſt primum, quo ſcriptura diuina Deum ipſum compellat. Vt Iudices intelligant, ſe debere in hoc officio eſſe ſicut Deum, ſeruantes authoritatem & integritatem ſuam, iuxta diuinæ maieſtatis, quam referunt, magnitudinem. Et hinc SECVNDA oritur ratio: quia tenentur Deum imitari, à quo accipiunt poteſtatem; & in cuius conſpectu illam exercent, dum iudicant. Et quemadmodum Deus maximè deteſtatur tria vitia huic officio contraria; INIVSTITIAM ſcilicet, ACCEPTIONEM *perſonarum*, & *munerũ* CVPIDITATEM: ita ipſi debent eadem odiſſe, ac DEO ſuo in hoc eſſe ſimiles ſtudere. TERTIA ratio valdè efficax eſt, eò quòd quidquid iudicauerint, *in ipſos* redundabit: quare ſi cum *rectitudine* & iuſtitia iudicauerint, in ipſorum cedet bonum: quia honore & præmijs ab ipſis Regibus afficientur, pro meritis fidelium obſequiorum: & quamuis ipſi Reges id negligant, non prætermittet ſupremus Iudex, honore & præmijs fideles ſuos miniſtros afficere: quod ſi *malè* iudicent, in ipſorum etiam caput redundabit: nam & Rex terræ & cæli tale delictum vlciſcetur ob iniuriam illatam, non tantum ciuibus, ſed ſupremis ipſis Iudicibus, munus & vices ſuas eis committentibus: quia contra præſcriptas leges poteſtate ſibi tradita, ſunt abuſi.

I. *Officium Dei.*

d *Rom.* 13, 1.

e *Exod.* 21. 8. 28.

f *Gen.* 1. 1. *Vide Perer. ibi.*

2. *Imitatio Dei.*

3. *In ipſos redundabit ſententia.*

SED vlterius progreſſa eſt ſancti huius Regis in ſua gubernatione vigilantia. Nam in ciuitate Ieruſalem, quæ eius erat aula, & vtriuſque Reipublicæ Eccleſiaſticæ ac ſæcularis caput, conſtituit Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, tanquam viros magis inſignes: ad quos cæteris pateret recurſus in ſuis dubijs, & cauſis, etiam in gradu *Appellationis*, quos elegit ex vtroque ſtatu, quibus etiam commendauit officij illius rectitudinem, dicens: g *ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto,*

Extraordinarij ſeu Appellationis Iudices.

g 2. Par. ca. 14. 9.

perfecto, quasi distinctius diceret: operibus officij vestri *tres* hos comites adiungite: *timorem* DEI, *fidelitatem* in rebus omnibus, & *cor* in omnibus virtutibus *perfectum*: vt sic iudicium exterius procedat à corde valdè sano, & interius consummato. Denique quoniâ in ipsa ciuitate Ierusalem maior erat concursus, & frequentia negotiorum: posuit etiam ibi *magistros*, & *sapientes* ex *Leuitis* electos, qui scientia & consilio suo Iudices ipsos, reliquosque ciues adiuuarent. Et præter hos constituit etiam *Præsidem* quendam siue Ducem h *super opera, quæ ad Regis officium pertinebant*, qui authoritate sua, & potestate reliquos Iudices adiuuaret; & iustitiæ executionem promoueret, ne quis eam impedire auderet. Et idem Dux (vt ait Nicolaus Liranus) ita *summum Sacerdotem* eiusque tribunal *defendebat*; vt tamen eius causis *non se immisceret*, sed attenderet, ac prohiberet: ne quis turbaretur, nec eius decretis obsisteret, aut repugnaret. Hac gubernandi ratione bonus hic Rex reformauit suum regnum, tantamque gratiam apud Deum Dominum nostrum inuenit, vt magnam ei prosperitatem, plurimas diuitias, & clarissimas ac prodigiosas de suis hostibus victorias tribuerit.

Tres Iudicum virtutes.

Assessores.

Præses.

Summum Sacerdotem iuuat Iosaphat.

§. II. *De Iudicum proprietatibus.*

EX dictis liceret colligere proprietates eorum, qui in Iudices vtriusque Reipublicæ Ecclesiasticæ & sæcularis, essent eligendi. Sed commodius eas deducemus ex ijs, quæ DEVS præcepit Moysi, dicens: vt congregaret *septuaginta* viros de senibus ex Israel: a *quos tu* (inquit) *nosti, quod senes populi sint, ac magistri*: habet enim emphasim magnam verbum illud QVOS TV NOSTI. nam in huiusmodi electionibus (si possibile est) deberent Principes & Electores, viros seligere, quos proprijs oculis *vidissent*, & cum quibus *conuersati* essent, & ipsa *experientia* eorum talenta, bonasque dotes cognouissent: quod si aliquando *aliorum* informationibus fidendum sit: tales illi esse deberent, quibus æquè crederent, atque si *ipsimet* vidissent, & cognouissent. Sed vt DEVS lucem aliquam Moysi præberet, conditionum & qualitatum, quas Iudices habere debent, dicit ei inprimis, vt sint SENES. Senectus enim est veneranda; facitque, vt sibi reuerentia exhibeatur; habetque sibi coniunctam *quietem*, & *experientiam*, quæ summi est momenti ad rectè gubernandum & iudicandum. Rarò autem hæc inueniuntur in iuuenibus, nisi cùm ex gratia DEI singulari magna alicuius virtus vicem supplet senectutis, iuxta illud Sapientis: b *senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus* & sapientia *hominis, & ætas senectutis, vita immaculata*, in cuius testimonium Deus elegit *Danielé* cùm esset c *iuuenis*, vt iniustũ quoddam valdè iudicium, impiorum Iudicum

a *Num.* 11. 16 *Iudices sint noti.*

1.

Senes quieti & experti.

b *Sap.* 4. 8.

seniorum, reformaret, qui innocentem & castam Susannam inique damnauerant: qui etsi ætate senes erant, in libidine tamen erant *iuuenes*, de quibus Isaias: d *quod puer & peccator centum annorum maledictus erit.* Ac propterea, cùm Deus dixisset Moysi, vt eligeret Iudices ex Senibus Israel, addidit: *quos tu nosti*, quod senes sint, quasi diceret: non fidas eis, quòd sint quocunque modo senes; sed etiam scire debes, quòd tales sint, in *grauitate*, & bonis moribus.

c Dan. 13. vs
d Isa. 65 20
Senes grauitate.

Subiicit verò statim aliam conditionem, vt scilicet illi sint Magistri. Nam Iudicis officium non discipuli alicuius, aut tyronis est sed iam *perfectorum* hominum, & qui omnibus *scientiis* ad illud exercendum necessariis, sufficientem operam nauarint, ita vt earum magistri esse possint: nam, quamuis ad illud bene exercendum, ab aduocatis & aliis iurisperitis, sint adiuuandi: ipsi tamen, veritatis Iudices esse debent; suasque informationes habere, & tanquam magistri plenum & perfectum de eis iudicium facere: ac propterea scriptura illos vocat *viros* e *gnaros* & f *strenuos*, in suo scilicet officio. Ex quo apparet, *duplicem* scientiam requirere Deum ordinariè in Iudicibus: alteram *experimentalem*, quæ multorum rerum experientia, & reflexa super eas consideratione, acquiritur: alteram *speculatiuam*, quæ studio legum diuinarum & humanarum, Ecclesiasticarum & ciuilium, iuriumque & consuetudinum municipalium: & vtraque se mutuo iuuant ad officium perfectè præstandum.

2.
Magistri.

e Deut 1.13.
f Exo. 18. 25
Scientia duplex Experimentalis & Practica.

Hoc idem monuit Ietro ipsum Moysen, dicens: g *prouide viros de omni plebe, & de cuncto Israel potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiã, qui iudicent populum omni tempore.* In quibus verbis pulchrã etiã tangit documenta: *vnum* est, ne principes eligant & constituãt Iudices ex aliqua tantũ familia, aut ciuitate, sed ex *tota* prouincia, aut regno: assignantes *optimos* eorum maioribus tribunalibus: quòd si electio fieri debeat ex ipsismet ciuibus: caueatur, ne id fiat ex sola prosapiæ aut *familiæ* successione, aut solis *sortibus*: quæ possunt contingere alicui indigno, qui tamen nec nominari nec acceptari debet. Et ipse Moyses petijt à populo designari sibi & proponi, h *viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio esset probata in tribubus eorum.* Addidit verò Ietro, vt non solum essent viri sapientes, vt dictum est; sed etiam *timentes Deum.* Non enim sufficit, Regem timere, aut Iudicẽ, aut Inspectorem, siue Visitatorẽ, sibi superiores: nam licet hoc bonũ sit, ac necessariũ, nisi tamen etiam Deum timeãt, facient quidẽ benè officiũ publicè; sed *occulte* facient malè; cùm poterunt occultare suũ peccatũ: si tamẽ etiam Deũ timent: qui publica & secreta intuetur semper detestabuntur peccatum, facientq; bene officium suum. Et quoniam timor Dei si perfectus est, expellit ex corde inanem hominum timorem: cùm dicitur

Ex toto regno assumendi.

g Exo. 18. 21. 25.

h Deut. 1. 13

3.
Timentes Deum.

Magnanimi.

eos debere esse *timentes Deum*, significatur, non debere esse timidos & *pusillanimes*, nimisque timentes authoritatem litigantium, etiam potentissimorum. Tales enim non sunt apti ad officium Iudicum nec tuta conscientia illud quærere possunt, quemadmodum monuit Ecclesiasticus: i *noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, si eam potentis intuitu perueritas, iniustam aliquam ferendo sententiam. Ac propterea Iudex debet esse vir *magno & forti animo*, ad conculcandum inprimis (vt ait Rabanus) iniquitatem, & quoduis peccatum in *seipso*, ita vt *mori* potiùs velit, quàm illud admittere; deinde ad conculcanda & impedienda scelera *aliorum*, absque acceptatione personarum: nihil curans quod diuites sint aut potentes, sed in officio suo præstando, ostendens se illis esse potentiorem. Et quos in aliquibus libris Ietro *sapientes* nominauit, Vulgata habet: *potentes*, magnæ scilicet authoritatis viros, & Moyses illos nominat, k *nobiles & principes*. Nam esto præcipua authoritas illorum sit à virtute & scientia: non tamen parum confert authoritas à *nobilitate, diuitiis*, & huiusmodi alijs ornamentis proueniens.

i Eccl. 7. 6.

Peccata oderint.

k Deut. 1. 1.

Nobiles.

4. Veraces.

HINC oritur *quarta* virtus, qua Iudices pollere debent, quam scriptura VERITATEM vocat: debent enim esse veraces, omnis falsitatis, mendacij, fictionis, aut deceptionis hostes addicti verò quærendæ veritati; ac donec inueniant, solicitè inquirendæ; ea verò inuenta, debent secundùm illam iudicare. Nam vt habetur in libro Esdræ: l *magna est veritas*, & omnia vincit, *prævalet, omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam eam benedicit, & omnia opera tremunt*, ac venerantur *eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Veritas manet & inualescit in æternum. Nec est apud eam accipere personas, neque* inanes *differentias* admittit: *sed quæ iusta sunt, facit omnibus*, etiam *iniustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius. Et non est in iudicio eius iniquum: sed fortitudo, & regnum, & maiestas omnium æuorum.*

l 3. Esdr. 4. 35.

5. Auaritia oculos excæcat.

m Eccl. 20. 31.

n Exo 23. 8. Deut. 16. 19. Munera excæcant prudentes.

EX HAC veritate alia oritur virtus Iudicum, ODIVM scilicet AVARITIÆ, quæ *caries* est, *tineaque* iustitiæ, & capitalis *hostis* veritatis: vt enim lucrum, quod cupit, obtineat veritatem calcat, & excæcat Iudicis mentem, iuxta illud Ecclesiastici: m *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum*, hoc est, ita illos obmutescere faciunt, vt non audeant etiam manifestè reos corripere. Et idem priùs iusserat Deus in sua lege, dicens: n *non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum*: quasi diceret: ne tibi fidas, quasi prudenti & iusto: nam dona etiam *rupes* frangunt, ac deprædantur corda. Et qui ea accipiunt, etsi prudentes alioqui sint, excæcantur; & qui Iusti sunt, subuertuntur.

Ex

Ex quo fit, vt Reges & Principes omninò teneantur condignam *mercedem* Iudicibus constituere, ne *indigentia* cupidos illos efficiat, eaque tanquam pallio quodam munera operiant, quæ accipiunt. Nam Iudices tales esse debent, vt quamuis sint pauperes: non tamen propterea desinant esse valdè iusti: sed cupiditatem reprimant, vt etiam fiant *pauperes spiritu*. tales autem aptissimi sunt, ac proinde digni qui Iudices constituantur, de quibus ait scriptura: quod o *Deus Iudicium pauperibus tribuat*, iudicandi scilicet potestatem: tales enim non corrumpent iustitiam ob desiderium & cupiditatem diuitiarum; aut conseruandi & augendi quas habent; aut ob timorem eas amittendi: vbi enim deest *cupiditas*, cessant hæc desideria, ac timores; damnaque ex eis prouenientia. Et qui spiritu sunt pauperes, etiam carebunt vento *ambitionis*, quæ inflat instigatque ad iustitiam deprauandam: vt vel consequatur honorem; vel quem habet, non amittat. Ac propterea non debent tale officium *lucri* alicuius aut *honoris* nomine præcipuè quærere, siquidem Iudicis officium super fundamentum adeò terrenum & inane fundatum, nec *solidum* esse potest, nec *securum*.

6.

Pauperes spiritu.

o *Iob.36.6.*

Nec cupidi nec ambitiosi.

Vltima conditio siue qualitas Iudicum, quam expressit Ietro, fuit vt prompti & parati essent ad iudicandum populum *omni tempore*, temporibus scilicet constitutis: ita vt neque ex pigritia, ignauia, aut vt sibi indulgeant, tempora illa prætermittant: sed potiùs liberaliores sint: vt quidquid temporis possint, oppressis audiendis, & expediendis tribuant: *protractio* enim negotiorum sine causa, est nouum quoddam genus *vexationis*; neque est sine *iustitiæ* detrimento, quòd absque iusta causa executio eius differatur.

7.

Prompti.

Adhæc quoniam officij huius finis est Reip. *pacem* ac ciuium *concordiam* conseruare, is *duplici* via potest obtineri. *altera* est, si *reparentur* iniuriæ ac discordiæ exortæ, & admissa delicta puniantur, ferendo sententiam in causis & litibus dissidentium: *altera* est si hæc omnia damna *præueniantur*, & impediantur. Quemadmodum ad medici officium non solùm spectat contractos iam infirmorum morbos *curare*; sed *præuenire* etiam & in tempore de remedijs prospicere: ne qui sani sunt, in morbos incidant. Idem igitur Iudicibus est præstandum: quorum officium *vtramque* hanc partem complectitur. ac propterea debent in eo esse continui ac vigilantes. Et quamuis *primæ* viæ sit tempus, locusque præscriptus ad litigantes audiendos, eorumque causas decidendas: ad *secundam* autem nec locus est certus, nec tempus constitutum. Quamobrem omni tempore & loco debent semper vigilare. Et quocunque modo ad ipsorum notitiam peruenit detrimenti alicuius periculum, dare debent operam, & prospicere, ne eueniat: magis enim glorioſum est, iniurias ac discordias, quæ eminere videntur, *impedire*, quàm postquam euenit, & turbationem, aut graue aliquod damnum in-

Præueniant damna.

Melius conseruare, quàm punire.

tunt, eam componere. Et maius beneficium Reip. præstat, qui furta & homicidia *impedit*: quàm si latrones & homicidas *puniat*. sicut etiam maius est bonum, ciues ipsos probos efficere, & *conseruare*: quàm *vita priuare* improbos.

CAPVT XI.

PERFECTA RATIO IVSTITIAM ADMINIstrandi: Et Iudices attendere debere, vt ipsorum ministri & officiales muneribus suis benè fungantur, iniurias omnes præuenientes.

QVONIAM Christus D. N. omnium hominum, *iudex* est supremus, voluit etiam exemplo suo docere Iudices perfectionem, quam in iustitia administranda seruare debeant: cum enim dixisset: a *patrem dedisse sibi potestatem iudicium facere*, adiecit: *non possum ego a me ipso facere quidquam: sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Quibus verbis *tres* præcipuas officij sui excellentias insinuat. *Prima*, quod potestatem iudicium faciendi non ex *se ipso* habeat, quà *homo* est, sed à Patre acceptam, sine cuius potestate & auxilio nihil possit ipse facere. *Secunda* est, quod in ipso iudicio dirigat sese iuxta ea, quæ audiuit, & ab æterno suo *Patre didicit*, & iuxta sapientiam & scientiam euidentem & infallibilem, quam ab eo accepit. *Tertia* est, quòd in suo iudicio non suam propriam, sed *Dei voluntatem* quærat: humanam scilicet suam voluntatem cum diuina in rebus omnibus conformans. Ac propterea ait: *iudicium meum iustum est*: & tale erit quodcunque aliud, in quo *tres* hæ regulæ perfectè inuenientur. Quemadmodum præclarè expressit S. Ambrosius in hunc modum: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ propositio voluntatis, sed iuxta leges & iura pronunciat, scitis iuris obtemperat. Non indulget propriæ voluntati: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non aduersatur. Examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices seculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam synceritatem. Dominus omnium dicit: *non possum a me facere quicquam, sed sicut audio, iudico*: hoc est, non ex mea potestate decerno, quod libitum, sed ex iudicandi religione, quod iustum est: ideò iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Pilatus impius iudex dicebat ad Dominum Iesum: b *potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te.* vsurpas ô homo potestatem, quam non habes, tua certè *Pilate* voce

a *Ioan.3,30.*

Tres excellentiæ Christi Iudicis.

Serm.20. in Psal.118. versic. 4.

b *Ioan.19 10.*

constrin-

constringeris, tua damnaris sententia. Pro *potestate* igitur, non pro *æquitate* crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absoluisti latronem, auctorem verò vitæ interfeciſti: sed neque istam à te habuisti, quam habere te asseris potestatem: nam dicit ei Iesus: *non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi datatibi esset desuper*, sed abusus es potestate, non respiciens quod verum erat, sed spernens: Audi quid verus Iudex asserat, *non quæro voluntatem meam*, hoc est hominis: quæ vel *odio* dirigitur, vel *studio* intenditur, vel *gratia* inflectitur, vel aliorum *mendacio* deprauatur. Scriptum est enim: *c omnis homo mendax*; sed *voluntatem*, inquit, quæro, *eius, qui me misit*, hoc est diuinæ cognitionis formam veni docere, vt in iudicando magis cordi sit veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis. Hæc S. Ambrosius.

Ex quibus constat, sanctitatem & perfectionem Iudicum circa suum officium consistere in *imitatione Christi* D. N. circa illa *tria*; quæ diximus: vt *potestas, scientia, & voluntas* sit Dei, & secundùm Deum, ita vt nec *potestatem* vsurpent, quam non habent, nec Deus illis dedit; & ea quam habent, non aliter vtantur, nisi iuxta *voluntatem* ipsius DEI, illam dantis, & quæ iustis legibus expressa est, quas ipse iussit seruari, præcedente etiam vera cognitione, & *scientia* earum, & causarum siue negotiorum. Quæ scientia etiam est *Spiritus S. donum*, per quam (vt idem S. Doctor ait) iudices rectè iudicant, quemadmodum *Salomon*, & e *Daniel* per Spiritum Dei iudicia illa fecerunt, quæ supra retulimus. Ac propterea Christus Dominus Noster dixit: ad Spiritum Sanctum pertinere, *arguere mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio*. Ipse enim manifestat quid *malum* sit, & prohibitum; & in quo vera sit *iustitia*, & forma, ratioque faciendi *iudicium*.

Hæc omnia in summam quandā redegit Deus, dicens Iudicibus in Deuteronomio f *iustè, quod iustum est persequeris*. quibus verbis *tres* præcipuas circumstantias insinuat ad perfectam iustitiam spectantes. *Primam*, quoad eius substantiam, vt scilicet *quod iustum est*, iudicent: *secundam*, quoad modum eam administrandi, *iustè* iudicando: *tertiam*, quoad perseuerantiam vsque ad finem: quam insinuat verbum *persequeris*: obseruanda sunt tamen documenta, quæ nunc de singulis subijciemus.

§. I. *Substantia iudicij.*

IVDICII *substantia* consistit in eo, quod Iudex, & *Factum*, & *Ius* benè intelligat: ac de illo iuxta huius regulas, iudicium ferat. Ita vt in *neutro* desit ob ignorantiam, incuriàm, aut ignauiā; sed illam amplectatur regulā, quā S. Iob populi sui Rex, & iudex exactè seruans, dixit: a *iustitia induuus sū: & vestiui me, sicut vestimeto & diademate, iudicio*: quasi diceret: magno mihi sēper honori tribui, quòd cum omnibus rectitudinem seruarem: id quod tanquam rem

mihi

" Ps. 125. 2.

Potestas, Scientia, Voluntas.

Li 3 de Spiritu S. c. 7. d 3 Re. 3. 27. e Dan. 13. 48.

f Deut. 16. 20.

I. Substantia Factum & Ius nosse. a Iob. 29. 14.

mihi cariſſimam ſuper *caput* meum conſtituebam. *Et cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam*, vt rei veritatem certò inuenirem : nam Eccleſiaſticus monet: b *prius quàm interroges, ne vituperes quenquam*: nemo itaq; damnandus *inauditus*; & non interrogatis omnibus neceſſarijs, vt certò cognoſcatur quod geſtum eſt. Nam & ipſemet *Deus* rerum omnium aliàs conſcius, priùs quàm iudicium faceret, veniebat in forma ſpectabili ad cognoſcendum, an ita ſe haberent: quemadmodum fecit, cùm in primi parentis cauſa & c *peccato* voluit ſententiam ferre, & cùm ſuperbi filij Adam d *turrim Babel ædificarent*, & cùm voluit punire Sodomitas, eò quòd e *peccatum eorum clamaret ad cœlum*, vt punirentur: ac denique deſcendit, vt f *Hebræos* iniuſtè ab Ægyptijs oppreſſos liberaret. quibus exemplis docuit iudices, (vt ait S. Euariſtus Papa, & perpendit S. Gregorius) ne ex ſola relatione, aut rumore etiam multorum, iudicium faciant, quando poſſunt ipſi proprijs oculis rem cognoſcere; Et propterea in Exodo dixit: g *non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt a vero deuies*. Non enim refert, *multos* eſſe teſtes, contra quos militat ipſa *veritas*, nec ſatis eſt, quòd illi *boni*, fideque digni eſſe videantur: ſi poſſis certiùs ac ſolidiùs teſtimonium habere eorum, quæ illi referunt. quemadmodum Daniel inſtinctu cæleſti h *ſeparari iuſſit ab* inuicem *duos illos ſenes*, qui teſtimonium contra Suſannam tulerant, quos ſeorſim interrogans, deprehendit ex reſponſis, vtrumque dixiſſe falſum.

b Ecc. 11. 7. *Audiatur altera pars.*
c Gen. 3. 9. & d c. 11. 5. & c. c 18. & 21.
f Exo. 3. 8.
Epi. 2. Decr. l. 19. Mor. c. 24.
g Exo. 32. 2.
Veritas ſupra teſtes.
h Dan. 13. 15

2.

Ad eandem iuſti iudicij *ſubſtantiam* pertinet etiam, vt fiat ſine *acceptione perſonarum*: quæ (teſte S. Thoma) non aliud eſt, quàm ad iudicij directionem, tanquam regulam accipere conditionem ſiue *circumſtantiam* aliquam perſonæ, quæ non eſt alicuius momenti, ad ipſum iudicium rectè perficiendum: eſtque valdè reprobata in ſcriptura Sacra, vt ſuprà diximus, & nominatim *iudicibus* prohibetur, cùm in Deuteronomio dicitur: i *audite omnes, & quod iuſtum eſt, iudicate: ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiuſquã perſonam: quia Dei iudicium eſt*: in cuius conſpectu, quo ad hoc, non eſt diſcrimẽ inter *ciuem*, & peregrinum, inter *magnum*, & paruum; nec inter *diuitem*, & pauperem: nam neque perſonæ *excellentia* cauſam & limitem iuſtam facit; neque paruitas eam condemnat. Eſtque vitium acceptionis perſonarum, ſententiam dicere pro aliquo, eò ſolùm quòd ſit ciuis, aut magnus, aut diues: idque contra alterum, eò quòd ſit peregrinus, paruus, aut pauper: aut contrà, ſententiam ferre pro aliquo eo ſolo nomine, quòd ſit pauper; alterum verò damnare, eò quòd ſit diues: Ac propterea monuit Deus in Leuitico: k *non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis*: Sed ipſam veritatem & iuſtitiam, ab omni humano reſpectu (etiam apparentis alicuius

2. 2. q. 63. a. 1 & Lect. 2. in Gal. 2. Trac. 3. c. 19.
i Deut. 13. 16 *Abſit acceptio prſonarum.*
k Leu. 19. 15.

vir-

virtutis ſpecie obducto)exutam conſidera. Ne *pauperis* miſeria titulo & nomine miſericordiæ te emolliat; nec *potentis* excellentia ſub ſpecie illum honorandi, te flectat, aut mutet. Si enim hæc nomina & tituli, facti veritatem non mutant: non debent etiam iudicij rectitudinem immutare, vnde ipſe DEVS dixit: l *pauperis non miſereberis in iudicio*, cum iniuria ſcilicet alterius, nam *miſericordia* non aduerſatur ſorori ſuæ *iuſtitiæ*; & quando DEVS aliàs monet: m *in iudicando eſto pupillis miſericors, vt pater: & pro viro matri illorum*: id intelligit faciendum abſque detrimento iuſtitiæ: ſed quoniam huiuſmodi perſonæ deſertæ facilè ab alijs iniurijs afficiuntur, commendat iudicibus, vt cum pietate illorum partibus faueant.

l *Exod.* 23. 3.

m *Eccl.* 4. 10. *Miſericordia iuſta.*

SED ne ſilentio prætereamus verba illa: n *ita paruum audietis ac magnum* vt ex eo intelligamus: acceptionem perſonarum non ſolum habere locum in iudicio, ſed etiam in *audiendo*, & præbendis auribus: Ideoque Iudices & Principes teneri, benignas præbere aures omnibus, eo auxilio indigentibus vt ab hoc fauore nec paruum propter ſuam paruitatem reijciant; neque magnum propter magnitudinem ad eum admittant. Nam ſi in magno *dignitas* eſt maior; in paruo eſt maior *neceſſitas*: quæ paſſa repulſam, clamabit in cœlum, & exaudietur à Deo, apud quem non eſt acceptio perſonarum.

n *Deu.* 1. 17. *Miſeri audiendi.*

HOC idem vitium locum etiam habet, & inficit *electiones*, quæ ſunt etiam actus iudicij: ſiquidem ipſi Electores ſuo modo ſunt etiam iudices: eritque acceptio perſonarum, ſi dignitates & honorata alia officia indignis aut minus dignis conferantur, propter ſolos titulos aut nomina, quæ nihil conferunt ad ipſam dignitatem, vel officium. quemadmodum dixit S. Auguſtinus, quomodo ferre poſſumus, vt quis diuitem eligat ad Eccleſiaſticam dignitatem, neglecto paupere ſapientiore & ſanctiore? *opulentia* enim non eſt cauſa ſufficiens, cur ille eligatur; ſicut nec *paupertas*, cur alter reijciatur. Idem verò dicendum eſt de *admonitionibus*, reprehenſionibus, & pœnis, quæ iuxta leges iuſtitiæ debent delictis commenſurari, abſque acceptione perſonarum, non grauius *pauperem* puniendo, eò quòd pauper ſit; nec minus *diuitem*, eò quòd ſit diues: ſi eſt aliàs delictum par.

S. Th. 2. 2. q. 6. a. 3. *Electio iuſta.*

Correptio æqua.

§. II. *Ratio & modus cum perfectione iudicandi.*

EXHIS licet tranſire ad *ſecundum* quod propoſueramus, *modum* ſcilicet adminiſtrandi iuſtitiam: coniungendo illi alias virtutes comites ad iudicandum, quemadmodum ipſe Deus iudicat. de quo Sapiens: a *cum ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis.* Modus hic inprimis conſiſtit in puritate *intentionis*, ita vt Iudex non quærat præcipuè proprium lucrum, aut ho-

Modus.

a *Sap.* 12. 1.

Pura intentio. Lib. 8. mor. cap. 13.

rem, aut laudem ab hominibus; sed *gloriam Dei & Reipub. bonum; pacem, & concordiam, ciuiumq; vtilitatem.* Et hoc (ait S. Gregorius) est *quod iustum, est iustè facere*: faciendo scilicet iustitiam; ipsiusmet *iustitiæ* intuitu, & amore. Nam etsi Iudex iustam ferat sententiam; si tamen pro ea *pretium* aliquod accipiat, quasi eam vendendo; aut ex *odio* & maleuolentia in proximum: aut animo *vindictæ* propriæ sumendæ; aut opinionem acquirendi *exactissimi* in delictis puniendis; aut ob alios *inanes* fines; is inquam nō est perfectus Iudex: vt qui deficiat in modo & intentione, à qua suum virtutes accipiunt valorē & perfectionem: quare similia opera sunt tanquam corpus sine anima; & *iustitia* solùm *exterior* sine interiori, quæ tamen virtutis est velut anima.

Ne sit Iustitia exterior tantum.

2.

Ex hac *intentionis* puritate, quæ vero *iustitiæ* amore fulcitur, *duæ* aliæ virtutes magni momenti oriuntur: *Vigilantia* scilicet, & *zelus* benè præstandi officium suum in rebus omnibus necessarijs, iuxta illud Regis Iosaphat b: *videte, quid faciatis, & cum diligentia cuncta facite*: magno scilicet *zelo* circa legum custodiam *vigilantes*, cum iudicatis & peccata, discordias earumque occasiones opportunè *præuenientes*, ac efficaciter *remouentes*, peccatores verò *punientes*. Eum in modum, quo Dauid c *manè interficiebat omnes peccatores terræ*; hac sua diligentia insinuans, se diu vigilare, & hanc mane tanquam primam curam suscipere, vt qui agnosceret se valdè ad id adstrictum, ratione officij, & imminentis periculi: ne populus ex ipsius incuria periret, nisi statim atque delictum apparere inciperet, ipse vigilaret, vt præueniret, ac repelleret. Et hoc indicant *duo* iudicum insignia, *virga* scilicet *recta*, qua aliqui vtuntur; & d *gladius*, quo vtebantur antiqui, quibus licet accommodare insignes illas *duas* Ieremiæ Prophetæ visiones: alteram, qua e *vidit virgam vigilantem*: & alteram, qua *ollam succensam; & faciem eius a facie Aquilonis*. Quæ *olla* in morali sensu non aliud est, quàm *Respublica ipsa, passionum ac vitiorum igne succensa*: sufflante & fouente ipso *Dæmone*, vento detestandæ suæ suggestione. Ipsa verò *virga vigilans*, est virga iustitiæ Dei, semper vigilans, & attendens ad præuenienda & punienda delicta. Et in Hebræo appellatur *amygdali virga*: quæ arbor reliquas omnes arbores præuenit in floribus ac fructibus proferendis: & ita iustitia *præuenit*, & in suis operibus *properat*, quando nostra peccata id exigunt, & promerentur. Quam debent iudices imitari, qui eam *virgam* in manibus gestant, ac diligenter attendere, vt *manè*, hoc est *tempestiue præueniant* ad huius ollæ ignem extinguendum, aut *puniendum* peccatorem intra eam ardentem. f *Non sine causa* (ait Apostolus loquens de magistratu) *gladium portat*: vt intelligamus executorem illum esse diuinæ iustitiæ: & quidem similem esse debere f *gladio* illius *Cherubim* quem *Deus collocauit ante paradisum*, qui *flammeus erat, atque versatilis*: quo discrimen insinuatur inter Iudices sæculi, & Christi. Illi enim gladium ge-

b 2. Par. 19 7.

Zelus.

c Psal. 100. 8.

d Rom. 13. 4

e Ier. 1. 11. 13.

Præueni aut maturpuni.

f Rom. 13. 1.

g Gen. 3. 24.

stant

stant *ferreum* & chalybeum: quia gubernationem suam supplicij timore fulciunt: quos verò Deus constituit Iudices, gladium habent *flammeum*; qui non solum significet *seueritatem* exterrentem rebelles peccatores; sed zelum etiam *charitatis* & amoris, quo *versatur* citissimè: vt in tempore adsit ad puniendum & præueniendum peccatum, antequam *cancri* instar reliqua Reip. membra inficiat. Iure verò optimo qui hunc gestat gladium *Cherubin* appellatur, quod significat *scientiæ* plenitudinem: magna enim scientia necessaria est ad rectum eius vsum, *minando* aut *puniendo*, quando & prout opus est, ad bonum communitatis: alioquin intolerabiles sequerentur errores, vt supra est dictum.

Seueritas benigna.

Scientia.

PRÆTEREA, quoniam virtus Zeli quandam affinitatem cum *Ira* habere videtur, necesse est, *tranquillitatem* & interiorem quietem sociam illi adiungere, quæ omnes motus & impetus moderetur, quos hæc passio sub quodam *zeli pallio* producit: qui valdè alias sunt *periculosi*, vt ait S. Gregorius: quia enim quod re ipsa *vitium* est, *virtutem* iudicat: vehementiori quodam *furore* habenas laxat, sibi persuadēs, *rectum* esse, quod agit. Et hoc quidē magis communiter accidit in *duobus* casibus. *primus* est, quando simul cum iniuria Dei & proximi accepta *propria* iniuria coniungitur. Prodiens enim zelus ad iniuriam alienam ob commune bonum vlciscendam facilè inserit se illa ira, quæ propriam iniuriam vlciscatur. vt euenire solet, cùm reus aliquam facit Iudici irreuerentiam: quæ iniuria lædit authoritatem officii & ipsius personæ. Et in his casibus necesse est zelum comprimere: vt corrigat tanquam *publica* persona, quod fit contra ipsam; condonet verò tanquam *priuata* iniuriam sibi illatam: & ita contra delictum agat, atque si non in ipsum, sed in alium tantum fuisset admissum. Indicium autem, quòd ita faciat, erit; si aliàs *facilis* sit ac propendeat ad proprias iniurias in alijs casibus *condonandas*. quemadmodum g *Moyses erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, & modestissimè ferebat, ac murmurationes & querelas contra *se* exurgentes condonabat: at idem, quando opus erat, ad vlciscendam iniuriam DEO illatam, tantam stragem fieri curabat, vt vel vna die h *ceciderint quasi viginti tria millia hominum*, eò quòd *fecissent sibi vitulum conflatilem*, *eumque adorassent*. Idem autem faciebat Rex Dauid, vt supra dictum est. *Alter* casus est, cùm ipse Iudex ex naturali sua constitutione *cholericus* est, & *iræ* passioni subiectus: qui propterea titulo *zeli* facilè accenditur. debet enim tunc valdè sibi attendere: quia ira non debet zelo dominari, sed *subseruire*; nec illum præcedere: sed sequi. Zelus enim præcedens iubet iram excitari, & in auxilium ipsi venire: & illa imperanti parere debet regulas sequens iusti zeli quas non transgrediatur, iuxta illud Dauidis: i *irascimini*, *& nolite peccare*. Accipite

3. *Tranquillitas.*

3 part. Past. admon. 17.

" "

In propria iniuria.

Facilis sit ad condodum.

g *Nu. 12. 3.*

h *Exod. 32. 25. 28. Cap. 17. 62.*

ira zelum sequatur.

i *Psal. 4. 5.*

Ira bonum & malum.

pite, quod bonum est iræ, *vinacitatem* scilicet & efficacitatem, quam zelo addit ad exequendum quod decreuit: sed omittite malum, quod ex nimietate sua habet: qua iudicium & rationem turbat, & animæ oculos *excæcat* hoc enim impedit bonam executionem eius, quod zelus imperat. Quis enim magis est zelosus ipso Deo? de quo tamen dicit Sapiens: k *Tu Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos*; accommodans consilia & dispositionem tuam imbecillitati nostræ. Quamuis enim delictum, summo sit odio dignum, iraque & vindicta meritò exerceatur ad illud destruendum; iudex tamen respicere illud debet in homine carne induto imbecilli, ac miserabili; & eiusdem, cuius ipse iudex est, naturæ; decet autem eiusdem rationem habere, carnisque imbecillitati compati. Meminerit etiam solere interdum, fortes commutari; & qui hodie est *iudex*, posse cras esse *reum*. nam (vt Sanctus Augustinus dixit) nullum est peccatum, quod faciat *vnus* homo, quod non possit *alter* facere. Cùm hoc igitur timore iudicet ipse, sicut cuperet ab alio iudicari: iram temperans *mansuetudine*, & iustitiam *clementia*; adiungens Zelo reliquos *charitatis* actus; ipsius Fratres, huius verò excellentis virtutis filios quæ reliquas omnes tanquam sorores coniungit; vt aliæ ita alias iuuent, vt non se mutuò impediant. Ita vt *zelus* stimulet quidem mansuetudinem; sed ipsa *mansuetudo* feruorem zeli reprimat, & contineat. Ac propterea Spiritus sanctus (vt Sanctus Gregorius perpendit) apparuit in forma *ignis* & *columbæ quia omnes, quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes efficit*. ac proinde nō censebitur diuino hoc Spiritu plenus, qui, vel ob mansuetudinis tranquillitatem, feruorem *zeli* deserit; vel ob zeli feruorem *mansuetudinis* virtutem amittit. Quare quisque naturalem suam constitutionem benè agnoscere studeat; quam, si nimium *mitem* deprehendat, seipsum stimulet, vt fiat Zelans: si autem valdè *zelans* est; seipsum reprimat, vt mitis fiat: & ita medium obtinebit, in quo virtus consistit, & iustitiam in omnibus plenè seruabit.

Memento homo.

vbi supra.

Zelus mansuetus.

Natura corrigenda.

Perseuerantia.

Ex hoc rectè moderato Zelo oritur *vltimum* quod spectat ad Iudices *constantia* scilicet, ac perseuerantia in *faciendo quod iustum est, iustè* vsq; ad finem ipsius negotij, & vsque ad finem vitæ aut officij sui: ita vt nec ob animi pusillanimitatem, aut ignauiam; nec ob prætextum misericordiæ aut mansuetudinis; nec ob alium quemcunque humanum respectum, faciendæ iustitiæ desit. Nam quo ad hoc zelus Iudicis debet esse inflexibilis, iuxta illud Cāticorū: k *dura sicut infernus æmulatio*, siue zelus: in quo inferno elucet iustitia diuina plenissimè absque vlla vnquam flexione. Quod si qui prænsantes tentent illum flectere, aut remittere in eo, quod meritò facere debet: zelus conuerti debet in *sanctam* quandā contra eos *iram*, tanquā cōtra

k *Sap.* 12. 18.

k *Cant.* 8. 6.

suos

suos hostes, dicens illud, quod Christus apud Prophetam dixit de seipso: l *calcaui inimicos meos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & saluauit mihi brachium meũ, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Zelus enim adiuuat iustitiam, vt in despectum ipsius mundi, & carnis, ac sanguinis victrix euadat, feratq; vltimam suam sententiam: nec sistat, donec plenè illam exequatur. Non id volo dicere, vt Iudex *inexorabilem* se in rebus illis præbeat, in quibus iustitia habet suam latitudinem; & quando absque eius detrimento admittere potest appellationem, aut preces, aut indulgentiam aliquam; & moderationẽ adhibere: propterea enim dixit Ecclesiastes: m *noli esse iustus multum*, sed rigorem & seueritatem moderatione tempera. Tota tamen moderatio debet se intra iustitiæ limites continere: qui cum DEI offensione, ob nullius intercessionem, aut respectum humanum præteriri debent. Perpendit Rupertus, quod gladius flammeus, quem habebat Cherubim in manu, n *esset versatilis*, vt facilè posset verti & flecti, quo significabatur, sententiam Dei in hac vita admittere supplicationem, & preces: semper tamen esse *flammeam*, quæ splendet, ac purificat: vt Iudices intelligant, se non debere in suo iudicio proteruos esse ac pertinaces; sed *dociles*: vt, quando ita expediet, illud mutent: ita tamen, vt contra puritatem & rectitudinem nihil admittant.

l *Isa.* 63. 5. *Ira sancta.*

m *Eccl.* 7. 17 *Iustitia inexorabilis, sed docilis.*

n *Lib.* 31. *in Gen. c.* 32.

§. III. *Quid sit superioribus Iudicibus erga suos officiales faciendum.*

ALIA quoque obligatione non parua tenentur Iudices *superiores* erga suos *officiales* & ministros, qui in iustitia administranda ipsos adiuuant, quæ *duas* partes complectitur: *prima* est, vt, si ad ipsos spectet, eos *eligere*: non id faciant clausis: vt dicitur oculis; sed diligenter attendentes, vt necessarias illi qualitates ac dotes habeant ad sua officia ritè præstanda: alioquin ipsis Electoribus tribuentur illorum errores: *altera* est: vt *vigilent* ac diligenter attendant, an illi ita plenè sua munera expleant vt neque *veritatis*, neque *iustitiæ* terminos transgrediantur; sed in *vtraque* sint reliquis bono exemplo. Nam (vt ait Ecclesiasticus): a *secundũ Iudicem populi, sic & ministri eius*, quare si Iudex est *iustus*: ministri eius ab eo discunt zelum iustitiæ, ad sua officia rectè peragenda, iuxta formam superius positam: vt solum *faciant quod iustum est*; *& quidem iustè*. Nemini inferentes iniuriam. Quare meritò debent illis seriò inprimis commendare, vt regulam illam perfectionis exactissimè seruent, quam S. Ioannes Baptista quibusdam publicis officialibus præscripsit, dicens: b *nihil amplius, quàm quod constitutũ est vobis, faciatis: neminem concutiatis, neque calumniã faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Quibus verbis monet iustitiæ ministros, vt si pro suo labore *mercedem* habent constitutam, aut *taxam* à legibus præscriptam, aut ex *conuen-*

1. *Elige.*

2. *Vigila.*

a *Eccl.* 10. 2.

b *Luc.* 3. 13.

Nil indebitum petant.

tione partitum dissidentium: dent operam, ne vlla *fraude*, *violentia*, aut aliqua alia *extorsione vtantur*: sed ita *contenti* sint cum eo, quod ipsis debetur vt omnem *excessum* ab *auaritia* inuentum, ipsi euitent, & abscindant.

2.

MONERE etiam illos debent, vt quidquid à legibus & iustis constitutionibus est ordinatum, exactissimè seruent; præcipue si, vt moris est, eas seruandi *iuramentum* præstiterint: alioquin & ipsa *religio*, & commune *Reip. bonum* facilè peribunt: si, vt dixit Micheas Propheta, c *Princeps postulat, & iudex in reddendo est, & qui optimus est, quasi paliurus, & qui rectus quasi spina de sepe*, quasi dixerit: qui ex officio debent *zelare* legum obseruationem, easdem transgrediuntur: & qui oppressos *defendere* & protegere debent, eosdem ipsi opprimunt: & qui debēt *calumnias* præuenire, & auertere, & ipsi sunt earum authores. Quare Gubernatores, & eorum Iudices diligentem operam dare debent, vt Rempub. suaque tribunalia expurgent à *duplici* genere peccatorum, quæ illa vehementer turbant, & malam opinionem illis conciliāt: *furta* scilicet *palliata*, & *falsa iuramenta*, quæ facilius in *pauperibus* & non habentibus necessaria iuxta gradum, & qualitatem suam, & officiorum suorū,

c Mich. 7. 3.

Furta palliata.

Periuria.

locum inueniunt: quod apertè Salomon significauit, cùm à Deo petijt, ne mendicitatem, aut diuitias sibi daret, sed tantum victui suo necessaria, *ne egestate* (inquit) *compulsus furer; & periurem nomen Dei mei.* Tantam enim hæc *duo* vitia stragem in terra edunt, adeoque illa Deus D. N detestatur: vt, ad manifestandum zelum suum ad ea punienda, ostenderit Zachariæ Prophetæ volumen quoddam valdè longum & latum per aërem volans, dicens: omnem furem & iurantem iudicandum per ea, quæ in illo erant scripta: *educam illud (dicit Dominus exercituum): & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Quod *volumen scriptum* significabat seueriſſimam rationem procedendi, qua Deus Dominus noster vtitur, cum domos *visitat* occultorum furum, & periurorum: vt eos pro meritis puniat. Quamuis autem plurimæ sint hæ domus, *tres* tamen præcipuè hæc vitia frequentant, eò quòd officijs suis minus fideliter fungantur. *Prima* sunt, domus multorum mercatorum, & mechanicorum, qui occupantur in emptionibus & venditionibus. Nam in his solent esse magnæ *fraudes* in *ponderibus* & falsis *mensuris*; in æstimatione nimia, & *pretio* rerum; in mercibus *confictis*, & veras mentientibus; in *vsuris* & contractibus eas palliantibus, & alijs occultis furtis & prædis: quibus omnibus sæpe miscentur *falsa iuramenta* ad ea occultanda. *Secundæ* domus sunt lusorum, & hominum otiosorum, & cupidorum, qui dies & noctes in *ludendo*, ac decipiendo; in iurando ac peierando consumunt; *Tertiæ* sunt domus multorum officialium, & *ministrorum Iustitiæ*, quorum secreta furta, sunt illicita pacta, salaria, siue mer-

c Prou. 30. 9

c Zach. 5. 4.

1. *Mercatorū.*

2. *Lusorum.*

cedes

cedes, nimiæ extorsiones & astutiæ: quas adinuenunt, vt à litigantibus pecunias, dona, & munera extorqueant contra legum prohibitionem: calcantes etiam *iuramenta* eas custodiendi, quibus se obstrinxerunt, imò & recens edendo alia mendaciter. Huius quoq; farinæ sunt domus multorum *litigantium*, cupidorum, & ambitiosorum, qui per fraudes & falsos testes ac periuria multa, desideriorum suorum volunt compotes fieri. Sed quoniam nullus horũ occultare potest scelera sua Iudici supremo, ea ex cœlo aspicienti: ille notat, scribitq; omnia in prædicto volumine, siue membrana, *cuius longitudo est viginti cubitorum, & latitudo decem*: eò quòd innumera peccata *duobus* his prædictis coniungantur: quorum damna ad multos transeunt ciues, in quibus diutissimè hærent: quia *securos* se esse existimant. Sed iustitia diuina, cùm illa notat in membrana prædicta, etiam scribit sententiam damnationis ad pœnas *temporales*, & *æternas*; quas illi promerentur. Et suo tempore intimat eam habitatoribus illarum domorum, & simul exequitur: *consumens eas, & ligna earum, & lapides earum*; hoc est, vsque ad ipsa *fundamenta*: quia priuat illos *vita*, bonis *fortunæ*, & *honoribus*: *animam* verò æternùm cruciandam mittit in infernum. Et quamuis miseri & infælices illi existiment, iudiciarium huiusmodi processum *tardius* progredi, ac proinde sententiam remotam esse ab executione: decipiuntur tamen: quia iam decreta à Deo cœpit ex tribunali diuino descendere, venitque volans magna celeritate instar *falcis* (quemadmodum alia versio habet, quam S. Chrysost. sequitur) & ipsis minimè cogitantibus tanget illorum capita punitione aliqua horrenda in aliorum exemplum & cautelam.

3. *Ministrorũ Iustitia.*

Litigantiũ.

Pœna

non

Tarda.

Hom. 15. & 19 & 27. ad populum.

ATTENDANT igitur Gubernatores & Iudices, quomodo suis officijs satisfaciant: nam supremus iudex occultè suum constituit processum contra illos, suoque tempore sententiam feret, & iustam sumet vindictam. Intelligant quoque, teneri se ad prædictas omnes domos visitandas *furum & periurorum*; & iuris ordine processum contra eos formandum, ferendamq; sententiam, ac pro meritis eos puniendos, non vt *prædam* inde quærant, & illorum spolijs ipsi ditentur: id enim esset (vt ait Apostolus) † *eadem agere, quæ iudicant*, ac proinde *ipsos condemnare*: sed ad peccata *præuenienda*, damnaq; *reparanda*: priusquam diuina iustitia vltimam de ipsis vindictam sumat. Expedit autem, imò & iure fieri debet, vt in membrana siue charta aliqua magna scribantur scita & ordinationes, ab officialibus & ministris inferioribus seruandæ: eamque in publico aliquo loco legendam collocare, vt ad omniũ notitiam perueniat, nec possint ignorantiã prætendere. Nec tamen sufficit alicui muro eam affigi, sed *volare* illam oportet ad prædictas domos, quas ipsi iudices, tanquã leges viuæ visitent, illisq; manifestent, & postea examinẽt, an seruẽtur; puniantq; transgressores. Nec Iudices ipsi satis sibi esse eximent, si furta & delicta à ciuilibus legibus prohibita puniant: sed ex chari-

Non puniant vt ditentur.

† *Rom. 2. 1.*

Leges affigantur, insinuentur.

tate & zelo progrediantur etiam ad alia vitia reparanda, quæ contra DEI honorẽ, *& proximi* vtilitatem tendunt: etiamsi humanis legibus nõ sint nominatim prohibita: satis enim esse debet, si à *diuina* prohibeantur. Nam quidquid charitatis lege ciues ipsos mutuò inter se obligat, debet cum maiori excellentia in ipsis Gubernatoribus & Iudicibus inueniri. Nam (vt Concilium Tridentinum loquitur) *totius familiæ status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.*

Diuina lex vrgeatur. Sess. 24. c. 1. decreti de reforma.

Festina lentè.

DENIQVE membranæ illius volatus & celeritas Iudices monet, ne in prædictis rebus gressu pergant testudineo, plumbeisque pedibus; sed cum magna *celeritate*: non quidem præcipiti ac temeraria, sed prudenti & *quieta*. Si enim improbi ad furta & periuria *festinant*; æquum certè est, Iudices etiam ad eadem punienda & reparanda festinare. Et cùm pœna cælestis *volando* veniat: iustum est etiam, eos ad peccata præuenienda volare. Meminerint eius, quod Elisæus Giezi puero suo commendauit, cùm eum mitteret ad vitam puero mortuo reddendam: g *accinge*, inquit, *lumbos tuos, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si te salutauerit quispiam, non respondeas illi.* Qua ratione significauit, eum, cui malis publicis occurrendi incumbit cura: tanta *festinatione* officium suum præstare debere, vt nihil, quod conatibus suis aduersetur, ipsum impediat, aut remoretur. Non debet alios *salutare* etiam suos ministros: quia non debet permittere se flecti, aut in suo officio relaxari vllius *amicitiæ* titulo; nec prætermittere punitionem rei, etiam alioqui amici sui. Et si salutetur, etiam non debet respondere: quia etiam oblata non debet acceptare *dona*, nec *preces* aut blanditias: vt suam propterea flectat *rectitudinem*: sed semper vsque ad vltimam negotij expeditionem, ordinem & viam officij sui tenere debet. Sic enim fælicem illam sortem consequetur, quam Salomon prædicit h *veloci viro in opere suo: coram Regibus* (inquit) *stabit, nec erit ante ignobiles.* Hæc enim feruens *prudensq;* in officio suo *velocitas* magno illum reddet honore dignum, & familiaritate Apud Reges & Principes terræ; & multò magis apud Regem cælestem.

g 4. Reg. 4. 29.

Recta & prudens velocitas.

h Prou. 22. 29.

CAPVT XII.

FORTITVDINEM GVBERNATORIBVS OMNI TEMPORE pacis & belli esse necessariam: eandem verò inniti fiduciæ in DEVM.

HEROICA FORTITVDINIS virtus est, quæ maximè eminet in laboribus & periculis *gubernationis*, tempore *pacis* & *belli*: non tamen existimandum est, eam in *corporis* viribus sitam esse: nam probis & improbis sunt communes, & æquè in bello iusto atque iniusto vsui esse possunt: & nisi rationis regula contineãtur, quò sunt maiores, eò erunt

magis

magis *pernicioſæ*: quia erunt inſtrumenta maioris crudelitatis, & iniuſtitiæ, ac vitiorum innumerabilium: quia tunc *corpus* imperabit tanquam Dominus: *ſpiritus* verò tanquam mancipiũ ſeruiet. Quare ad pugnam contra *vitia* timidum eſt ac puſillanime, ad ſuas verò delitias & *voluptates* quærendas, audax & temerarium. Quamobrem huiuſmodi fortitudo indigna eſt nomine virtutis; potiusq; *audacia*, ira, furor, aut paſſio dicenda eſt, quæ in corporis robore conſiſtit: qualem habuit Gigas ille *Goliath*, alijq; Principes ac Duces feri: quam tamen dedit eis Deus, quatenus eſt quoddam naturæ *ornamentũ* ob occultos diuinæ ſuæ prouidentiæ fines: quorum ille eſt *vnus*, vt ſint *executores diuinæ iuſtitiæ* ad punienda populi peccata, quod ipſe Dominus per Iſaiam inſinuauit dicens: a *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.* At vera Fortitvdo (vt S. Ambroſius ait) in *animo* potiùs conſiſtit, & in quadam cordis magnitudine omnibus timoribus terræque periculis ſuperioris: nihili ea faciens, quò virtutem amplecti, & iuſtitiã tueri poſſit. Propterea enim Salomon dixit: b *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit*, qui c *fortiſſimus eſt beſtiarum, & ad nullius pauebit occurſum.* Huiuſmodi *leonum* multi ſunt in Eccleſia & Republica, licèt corpora habeant debilia: & *pueri* ac *mulieres* poſſunt multos viros ſuperare in *vera* fortitudine, quæ ab *animo*, & interiùs incipit. Nam (vt S. Gregorius ait) quid *fortius* eſſe poteſt, quàm *rationi* ſubijcere motus animi, & *ſpiritus* feruore omnia *carnis* deſideria continere; propriam voluntatem mortificare; & rebus omnibus *viſibilibus* contemptis, inuiſibilia multum amare? id enim Salomon voluit, cùm dixit: d *melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Fortis enim, qui *corporis* fortitudine ciuitates expugnat, vincit ac deuaſtat *alios* homines: id quod fieri poteſt ex *ira* & furore *beſtiarum*: quemadmodum faciunt Tigrides, & Leones, *patiens* autem, ſuique animi Dominus, qui ſpirituali fortitudine eſt fortis, vincit *ſeipſum*, quæ omnium victoriarum eſt glorioſiſſima; & Principibus ac Gubernatoribus, omnibusq; militarem artem profitentibus, maximè neceſſaria. Ad quam (vt ait S. Thom.) licèt *prima* iuuet fortitudo: præcipuè tamen eligendi ſunt, qui *ſecunda* ſunt præditi; quæ reſidet in *corde*; ſine qua paruî erit momenti *corporis* fortitudo. Hoc idem inſinuatum eſt in conuiuio, quo *Samuel* excepit *Saulem*, quando eum elegit Deus in Regem & Ducem populi ſui: cùm circa finẽ menſæ ferculum illi proponi iuſſit, in quo erat e *armus, quem de induſtria ipſi ſeruatum Samuel dicebat*: quem *armum* Ioſephus *partem* ſiue portionem *regalem* appellat: voluit enim eo facto inſinuare Samuel, Reges ac Duces debere præcipuè eminere in fortitudine & *magnitudine cordis*: quàm (teſte S. Gregorio) armus ſignificat, quem comedere debent, vt in ipſam *animam* fortitudinem traijciant: non magni facientes illam, quæ eſt *corporis*.

Corporis robur indiſferens.

Datur malis in bonũ finem.

a *Iſa.10.5. Lib. 1. offic. cap. 36.*

b *Prou 28.1.*

c *Cap.30. 30. Fortitudo animi. In Pſal.2. pœnit.*

d *Pro.16.32.*

Opuſc 20. de Regi. Princ. lib 4. c.17.

Magnitudo corau.

e *1.Reg.9. 23. Li.6. de Antiquit.c.4.*

§. I. De Duobus præcipuis Fortitudinibus.

S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 6.

Sustine.

Aggredere.

Mortem contemne.

Supra a. 5.

Bellorum genera.

SED ad maiorem huius rei explicationem aduertendum est: FORTITVDINEM *duos* præcipuos actus habere: sustinere scilicet & aggredi. *Sustinere*, est esse firmũ & immutabilẽ in laboribus, doloribus, ac periculis, quam diu illa durant; ita vt nulli timores cogant nos ab ijs desistere; quæ præstare tenemur: *Aggredi* autẽ, est opera incipere ex se grauia & periculosa; ita vt timores nos nõ deterreant, aut remorentur. Et quoniam *mortis* timores sunt maximè horribiles: Fortitudo præcipuè se exercet in eis reprimendis: licèt magis particulariter (vt notat Aristoteles) id faciat: cùm pericula mortis imminent ex *iusti* alicuius belli occasione.

SED aduertit Sanctus Thomas: varia esse Bellorum genera: nam *quoddam* est in commune Reipublicæ & Christianitatis bonum: & in hoc ostendunt Duces, cæterique milites fortitudinem suam, exponentes periculo vitas suas, suæ Reipublicæ tuendæ causa: habentque tunc occasionem exercendi *vtrumque* Fortitudinis actum: *aggrediendi* scilicet sæpe ipsos hostes; & *sustinendi* grauissimos famis, frigoris, ac tempestatum, & aliarum aduersitatum labores: præcipuè si contingat, ipsos vinci, aut in captiuitatem duci.

1. *Bellum.*

ALIVD bellum est magis speciale, quod est pati tantum propter fidei & religionis Christianæ bonum, quando eam Tyranni persequuntur; & horrendos minantur cruciatus, non negantibus nec deserentibus eam: quæ est inuicta glorioſorum *martyrum* Fortitudo, de quibus canit Ecclesia: *fortes facti sunt in bello*: pugnantes scilicet cum Dæmonibus, & Tyrannis: permittentes potius corpora sua discerpi & dilaniari: quàm vel minimum deficere in professione Fidei, aut Virtutis, quam profitebantur.

2. *Martyriũ.*

3. *Iustitia.*

TERTIVM aliud est adhuc magis particulare bellum: vt quis proprij status & officij obligationibus satisfaciat: & in hoc debent Gubernatores, qui se Christianos esse gloriantur, animi sui fortitudinem ostendere: nullus enim Iudex, nec priuatus quispiam decesse debet *iustitiæ* obligationibus, ob timorem mortis, aut alterius cuiuscunque aduersitatis. Et, vt idem Sanctus ait, hæc fortitudo extendit se etiam ad *misericordiæ* & charitatis opera: quia cuiuscunque mortis (inquit) potest homo subire periculum propter virtutem: quale esset, amico aut pauperi *peste* infecto, ministrare cum periculo propriæ infectionis ac mortis: aut nauigare ad Indos, aut prolixa suscipere *itinera* ob salutem proximorum; quamuis hac ratione periculo exponatur naufragium

Misericordia.

In peste.

Profectio ne remota.

patien-

patiendi, aut incidendi in manus Pyratarum & Latronum, & intra ipsam ciuitatem & propriam *domum* nunquam desunt talia pericula, in quibus hæc fortitudo vim suam & præstantiam ostendat. Nam ferè omnes partem aliquam habent tribulationum, quas refert Apostolus, dicens, se expositum fuisse a *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere* suo, *periculis ex Gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* Et quoniam multa ex his periculis obueniunt *repentè*, in eis, ait Sanctus Thomas, elucere magis fortitudinem: eò quòd indicium sit, eam esse in corde valdè radicatam, si cùm tale periculum eam aggreditur, non succumbit. Sed illa ex se inclinat semper ad ea *præuenienda* prudenti consideratione, vt eis resistat, aut facilius sustineat: nam (vt S. Gregorius ait) *iacula præuisa minus feriunt.*

Domi.

a 2. Cor. 11. 22.

Supra a. 9. Repente sed præuisa. Hom. 31. in Euang.

Hinc licet colligere: quàm *excellens*, quantique momenti sit generosa hæc virtus, quæ *omnibus* Christianis à supremis Reipublicæ capitibus vsque ad infimum, qui in ea versatur, est *necessaria.* Nam ferè omnia virtutum opera, & gubernationis negotia in pace & bello; & reliqua, quæ ad cuiusque statum & officium pertinent, admixtas habent difficultates & pericula: ex quibus magni timores ac timiditates oriuntur. Et nisi Fortitvdo adsit, ad eas reprimendas, & superandas: necesse erit perire apta prudentiæ dictamina, feruor, & zelus exacta Iustitiæ ratio, pia misericordiæ desideria, & virtutum omnium exercitia. Nam quis erit castus, nisi sit fortis? quis temperans? quis humilis? mitis, & obediens? nam Fortitudo omnium virtutum est *murus.* Illa Iustitiam defendit, Religionem conseruat, & pacem Reipublicæ: illa maximum Christianæ perfectionis hostem, *inordinatum* scilicet *vitæ propriæ amorem* vincit, ac de ipsamet *morte*, quæ omnium terribilium est terribilissima, triumphat: & suo *duplici* actu seruit charitati, & b *dilectioni*; de qua dicitur, quod *sit fortis vt mors*, ad aggrediendum; *dura* verò *sicut infernus* in sustinendo. Et *martyrium* ipsum, quòd est vitæ totius Christianæ opus *maximè heroicum*, pertinet (vt Sanctus Thomas ait) ad Fortitudinem, quæ illud exequitur, obediendo charitati, id imperanti. Et hac ratione dixit Sanctus Ambrosius, Fortitudinem *excellere* reliquas virtutes: quatenus maiores difficultates expedit, & maiora remouet impedimenta, ad ipsas virtutes exercendas. Et in hoc magnam habet similitudinem cum Fortitudine ipsiusmet Dei, qui fortis est fortium, & principium veræ Fortitudinis, quam ipse dat suis amicis: quemadmodum ipse per Ieremiam asseruit, dicens: c *ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ sunt super faciem terræ in fortitudine mea magna, & in*

Fortitudo omnibus necessaria.

Murus virtutum.

Triumphus mortis.

b Cant. 8. 6. Martyres facit. 2. 2. q. 124. a. 2.

Lib. 6. offic. c. 5. S. Thom. 2 2 q 123. a. 12.

c Iere. 27. 5.

brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. d *Nec* potest *gloriari sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua*, neque in præclaris operibus, quæ cum illa facit: quia potius *mea* quàm illius sunt; siquidem viribus, à me ipsi collatis, ea facit. Ne dixeris (ait Moyses) in corde tuo: e *Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recordare Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit*, vt ea obtineres.

d *Iere.9.23.*

e *Deut.8.17.*

§. *De Fiducia eiusque excellentia.*

Fiducia in Deum seruat.

EX His transire possumus ad virtutem FIDVCIAE de omnipotentia diuina, cui innititur FORTITVDO, & vniuersim tota gubernationis Christianæ, omniumque virtutum prædictarum perfectio. Nam homo ex *se ipso* debilissimus est: nec potest proprijs viribus legem Dei custodire, neque efficere, vt alij obseruent; nec tantum zelum, & Fortitudinem habere: vt hoc solo nomine tot sustineat molestias; & adeò egregia facinora aggrediatur, cum ingentibus adeò periculis: nisi *creatoris* omnipotentia ad id totum adiuuet. Quamobrem necesse est, sibi ipsi diffidere, ac *Fiduciam* suam totam in Deo collocare, à quo & zelus, & animi roburac fortitudo proceduntà cuius misericordia eam acceperunt omnes viri zelantes, & fortes, qui fuerunt in mundo: quemadmodum strenuus ille Matathias Filiis suis dixit: f *cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur*, nec pereunt: Quod si aliqui *pereunt*, id euenit ob *superbiam* aliquam & arrogantiam sui ipsorum: eò quòd plus æquo propriis viribus fiderent, quemadmodum euenit Ducibus illis Machabæorum sociis, qui præclaris illorum gestis inuidentes, ausi sunt exire g *ad pugnandum aduersus gentes, vt facerent sibi nomen*; qui tamen *fugati sunt* & victi. Ac propterea periit etiam Rex h *Sennacherib*: & peribunt quotquot præcipuam suam confidentiam ponent in Potentibus mundi, de quibus Isaias, quòd h *sint instar baculi arundinei confracti, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam*; & cùm minùs cogitat, proijcitur in terram: ac propterea dixit Ieremias: *maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Benedictus* autem *vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius*, in omnibus suis aduersitatibus; nec deficiet, etiam crescentibus & multiplicatis periculis. Nam (vt sanctus Ambrosius ait) k *ibi est plus auxilii, vbi est plus periculi*, quia l *Deus adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione*: & illa crescente, auxilia quoque eius augentur. Deus est, qui debilem reddit fortem; & pusillanimem facit audacem: addirque diuinas vires humanis. Id quod Isaias indicauit,

f *1.Mach.2.61. Confidentes sibi pereunt.*

g *1.Mach.5.7.*

h *Isa.10.13.*

h *Cap.36.6.*

i *Iere.10.17. Cum periculis crescit robur.*

k *Lib. de Ioseph cap.5.*

l *Psal.9.10.*

dicens:

dicens: m *qui sperant in Domino, mutabunt Fortitudinem*: ex humana scilicet in *diuinam*. Hæc spes & fiducia mutat Ducum ac militum fortitudinem in suis pugnis; & ex hominibus *Leones* facit terribiles, suisque hostibus tremendos. Hæc commutat Fortitudinem Martyrum in suis congressibus, dans illis tantum animi robur, vt potiùs cruciatus & *tormenta cordi desint*: quàm deficiat cor ad ea toleranda, qua ratione etiam ipsos Tyrannos vincant. Hæc mutat Fortitudinem Gubernatorum, & Iudicum: reddens illos constantes & firmos in suis gubernationibus, & officijs: ita vt cuicunque, volenti pia ipsorum desideria & conatus impedire, strenuè ipsi resistant. Hæc permutat Fortitudinem Virginum, Regilioſorum, Coniugum, & continentium: omniumque ciuium, eosque in suis conflictibus reddit strenuos, & imperterritos: ita vt nec ob timores aut pericula imminentia, remittant aliquid de suo debito & officio.

m *Isa.40.3.*

Horvm omnium sufficientem Fidem faciunt illustrissimorum Sanctorum exempla, quæ *sexto* capite supra retulimus: quorum zelus & fortitudo in arduis & egregijs suis facinoribus oriebatur ex hac de diuina potentia *Fiducia*, vt facile deprehendi potest si reflexio mentis fiat circa ea. Nam inprimis quomodo potuisset *Abraham* stupenda ac difficilia adeò fecisse, nisi (vt Apostolus dixit) n *contra spem in spem credidisset*, talem scilicet spem in Deo collocans, quæ omnem excederet humanam: hæc fecit illum o *egredi de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui; & ire in terram*, quam non nouerat? ac peregrinari per varias regiones, *securissimum* se reputans etiam in maximis *periculis*. Hæc fecit, vt vinceret difficultatem o *offerendi proprium filium Deo in sacrificium*: quia sperauit, Deum posse vitam illi reddere. Hæc adeò fortem eum reddidit & animosum, vt cum p *trecentis decem & octo vernaculis suis*, & quidem non valdè exercitatis in bello, aggressus fuerit, ac superauerit *quatuor* Reges, adeò alioqui fortes & strenuos, vt *quinque* alios Reges vicerint; & captiuum duxerint *Loth fratrem suum*, qui apud vnum ex victis Regibus in Sodomis versabatur. In quo arduo negotio coniunxerunt se zelus & Fortitudo cum spe & fiducia: vt egregio illi facinori fælicem finem imponerent. Quid verò dicam de eius pronepote Patriarcha *Ioseph*, cui Deus Dominus Noster in quadam reuelatione significauit, quod ipsum elegisset, quasi in q *Regem fratrum suorum*. Quæ reuelatio, licèt eum in grauissimas contecerit *angustias*: nunquam tamen ipse quicquam de sua *fiducia* remisit, donec reuelationem vidit impletam: semper enim magnam animi fortitudinem in occurrentibus omnibus periculis ostendit. O quàm fuit glorioſa r *Iosue* & *Chaleb* in Deum fiducia, si cum decem sociorum suorum

I.

n *Rō. 4 18. Abraham.*

o *Gen.12.1.*

o *Gen.22 10*

p *Gen.14.14*

2. *Ioseph.*

q *Gen.37.7*

3.

r *Nu.14.6.*

Iosue & Caleb.

diffidentia & timiditate conferatur. Socij enim illi *mirabilium* illorum obliti, quæ DEVS non ita multò ante in Ægypto ediderat, in ipsorum auxilium ac defensionem; & *promissorum* eius, quòd esset illis terram illam daturus, *fiduciam*, eam obtinendi deposuerunt: metientes pericula, quæ in ea adeunda occurrere poterant, *viribus suis naturalibus*, quibus multò maiores existimarunt esse vires hostium suorum, & ita dixerunt, illos esse tanquam [s] *Gigantes, quibus ipsi comparati, quasi locustæ viderentur.* At Iosue & Chaleb integram suam fiduciam seruantes, magna animi fortitudine in ea perseuerarunt: quia non proprijs tantum viribus pericula metiebantur: sed *diuinis*, in quibus fiduciam suam collocabant. ideoque opponẽtes se timidis illis, & toti populo, dixerunt: [t] *nolite timere; Dominus enim nobiscum est: & receßit ab hoßtibus omne præsidium, & sicut panem ita* in virtute Dei *possumus eos deuorare*, etiamsi Gigantes illi videantur, nos verò locustæ.

[s] *Nu.* 13.34.

[t] *Vers.* 9.

SED vlteriùs progressa est fiducia Iosue, qui Dei zelo indutus aduersus hostes suos, incredibili animi magnitudine adeò grandes res est aggressus, vt stuporem mundo adferret; & quidem eò vsque vt iuberet, [u] *Solem & lunam non moueri, donec vlcisceretur se de inimicis suis: & ita sol & luna steterunt, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel.* Quid autem hoc totum fuit aliud quàm monere Principes, & Gubernatores, alijs imperantes: vt, si obediri sibi velint, fiduciam suam in solo DEO collocent, qui mutat, subijcitque hominum corda; efficietque vt & summa & ima sistant in medio suo cursu: & imperatis obediant. Fiducia enim in DEVM induit nos spiritu quodam, quasi DEI: qui (teste Sancto Bernardo) omnipotentiam suam in eo ostendit, quod spem suam in ipso collocantes faciat omnipotentes.

[u] *Ios.* 10. 12.

Ser. 18. *in Cant.*

4. *Elias.*

QVIS dicet, non fuisse quasi omnipotentem *Eliæ* Zelum, qui verbo suo cœlos occludebat, vt [x] *nec rorem nec pluuiam darent, nisi iuxta oris sui verbum* ad quod verbum [y] *cadebat etiam ignis Domini* de cælo, vt *voraret holocaustum* imò & *peccatores.* fauente Deo zelantis hominis orationi, non timidæ aut temerariæ, sed prudenti, valdeque *confidenti.*

[x] 3. *Reg.* 17. & [y] *Ca.* 18. 38. [z] 4. *Reg.* 1. 10.

3. *Dauid.*

QVIS victoriam dedit *Dauid* contra Gigantem illum Goliath, nisi fiducia in Deum, qua se ipsum muniuit? & quis adeò debilem reddidit Gigantem; vt ex vnius lapidis ictu in terram caderet, nisi spes & fiducia, quam in propria sua fortitudine collocauit. a *Tu* (inquit Dauid ad eum) *venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum: & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum a te, vt sciat omnis terra, quia DEVS in Israel. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus.*

[a] 1. *Reg.* 17. 45.

ipsius

ipsius enim est bellum, & victoriam dat confidenti in ipsius omnipotentia, negat verò eandem in se ipso confidenti, & propriæ fortitudini innitenti.

Denique quis *Danieli*, eiusque *sociis* tantum animi robur dedit, vt furorem b *Tyrannorum* contemnerent, nec c *leones* rugientes aut b *flammarum* terribilitatem curarent? fiducia procul dubio in Deum hæc mirabilia fecit: qui tantam animi fortitudinem ijs dedit, qui ex zelo gloriæ ipsius tot pericula adierunt. Hæc fiducia *concluſit ora leonum*, & *excuſſit flammam ignis de fornace*, & tyrannos *immutauit* venerantes prodigia, quæ Deus in suorum seruorum honorem faciebat. Muniant itaque se Reges hac fiducia in suis omnibus negotijs, & periculis: sibi persuadentes, eundem nunc esse Deum, qui semper fuerit; neque mores & conditionem *mutasse* quia non est capax mutationis: & quod fecit & operatus est erga anteceſſores: faciet erga præsentes, eadem fide & fiducia munitos. Ne fidant suis exercitibus, curribus & equis; nec fortitudini, quæ potest in hominibus reperiri: quia illa tota fragilis est, ac debilis: sed fidant Deo, vt humana hæc fortitudo in diuinam conuertatur; fiantque omnipotentiæ eius participes. Nam) vt Propheta quidam dixit Regi Asa) *oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.*

6.
b *Dã 3.6.20*
c *Cap 6.17.*
Daniel & tres pueri.

2. Par. 16. 9.

Confirmemvs hæc eadem exemplo strenuorum *Machabæorum*: qui acceptis optimis monitis à suo optimo parente, & excitati exemplis ab illo allatis, fuerunt valdè obseruantes & zelosi *legis*: & obtulerunt se incredibili animi magnitudine ad maxima pericula, eius defendendæ causa: & in ea postea fuerunt valdè glorioſi, experientia videntes, verum esse, quod Pater eis asseuerauerat. Aggressi enim sunt exercitus innumeros, & victorias stupendas obtinuerunt: de quorum facinoribus loquuntur omnes gentes; eorum fama & gloria per omnes nationes volauit; eorum fortitudo erat quasi *leonum*, & heroica facinora metum incutiebant vicinis Regibus, imò & potentissimis, cogitandi & consultandi materiam præbebant, & parua manu copiosos disturbabant exercitus: quia fiduciam in Dei omnipotentia collocauerant, cuius Spiritum & fortitudinem induerunt: quàm adeò in suis cordibus radicauerant, vt pro *cognomine* eam acceperint: nam (vt aliqui graues Doctores sentiunt) nomen *Machabæorum* componitur ex *quatuor* literis Hebræis, quæ sunt principium illarum vocum, quæ sunt in solenni illa Exodi sententia: [*quis similis tui in fortibus Domine*: quasi dicerent: tu solus Domine fortis es, & à te fortitudo prouenit: in te autem confidentes omnia bella vincere possumus. Ita professus est *primus* huius nominis Dux, quando ei

7.
Machabæi.

Nomen hoc vnde.
Sixt. Sen. l. 1 Bibl. Geneb. in Cronolog. m c.b.i.
[*Exo. 15 11.*

do ei milites dixerunt: *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie? Et ait Iudas: Facile est concludi multos in manus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & superbia, vt disperdant nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient nos: nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris: & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram.* Hæc dixit Iudas Machabæus, nec irrita fuit eius fiducia. statim enim insignem consecutus est victoriam, & postea multas alias: eas omnes DEO tribuens, eò quòd (vt supra dicebamus) t *Dei esset bellum*: cùm ex zelo legis eius susciptur, & fiducia in ipso collocatur. Idemque dixit Propheta quidam exercitui Regis Iosaphat: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed* DEI. *Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.*

DEI bellum.

t 1. *Reg.* 17. 47.

2. *Par.* 20. 17.

CAPVT XIII.

PERFECTIONEM CHRISTIANAM POSSE ETiam in militia inueniri: & Religiosum statum cum tribus suis Votis: Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, in Ordinibus militaribus, ad eam iuuare.

2. 2. *q.* 40. *a.* 1.

QVEMADMODVM ad Principes, tanquam officium proprium, spectat: *iustitiam* administrare, & Iudices constituere, qui ipsorum authoritate illam administrent; & hoc nomine possint gladio ipso punire delinquentes & reos, qui pacem Reipublicæ perturbant: ita (ait Sanctus Thomas) ad eosdem Principes pertinet, ob authoritatem & potestatem publicam quam habent, regnum suum *armis* propugnare; Ducesque & strenuos ac præclaros alios viros constituere: qui exercitus dirigant, ac gubernent; eisdem contra suos hostes pugnent. Quamuis autem hoc ipsum procul videatur distare à perfectione Christiana, quæ profitetur *di-*

lectionem

lectionem inimicorum; & benefacere ijs, qui male nobis faciunt: ac iuppositi hominum malitia, & iniustitijs ac iniurijs, quibus violenter afficiunt innocentes, necessarium est bellicum exercitium ad puniendos rebelles, reprimendos tumultuantes, Iustos ab iniurijs liberandos, & omnes in Republica continendos & conseruandos in pace.

Bella non impediunt perfectionem. 1.

Hoc autem non est alienum à perfectione, quam ipse Christus Dominus docuit, siquidem ipsemet Deus illud inter alia cognonima sibi accipit, vt vocetur *Deus Sabaoth* siue exercituum: ipsius enim *authoritate* illi congregantur; ipsius *fortitudine* pugnant; ipsius *potentia* vincunt; eius denique *Angeli* vocantur etiam *Principes exercituum Domini*, & veniunt in auxilium militantium, & ex ipso cœlo arma illis mittit, quibus pugnare valeant. Quemadmodum euenit insigni illi Duci *Iudæ Machabæo*, cui Ieremias Propheta in somnis apparens dedit gladium aureum dicens: a *accipe Sanctum gladium munus a Deo, in quo deicies aduersarios populi Israel.* Cùm igitur *gladius* dicatur *Sanctus*, sanctè quoque eo licebit vti; & Sanctus esse potest, qui illum gestat, si ad tuendam & propugnandam iustitiam cum eo pugnet. Dicitur autem a *aureus*, vt intelligatur non aduersari charitati; quæ potiùs illum exacuit, exornat, & agitat: quia non vitiosa vindicta, neque *odio iniquo*, sed *perfecto* ferit: quod oritur ex *amore Dei*: cuius hostes deuastare intendit, eò quod non possit *alia via* eos perducere ad id, quod est iustum, & Creatoris voluntati conforme.

Bella à Deo.

a 2. Mac. 15. 16.

Gladius Sanctus & aureus.

a Num. 25.

PRÆTEREA non potest non esse sanctum exercitium illud, quod Deus *prodigijs* approbat, magnisque *præmijs* remunerat. Scimus autem, ipsum tam populo in *veteri* testamento, quàm Christianis in *nouo*, prodigiosas *victorias* dedisse; magnisque *fauoribus* Duces ipsos prosecutum: qui pugnantes zelo eius honoris propugnandi, eiusque mandatis obtemperandi eas obtinuerunt. 2.

Ribadeneira l. 2. de Princip. cap. 42.

Prodigia & præmia bellorum.

ET ipsemet Dominus assistentiam & protectionem suam promisit, hoc titulo & nomine pugnantibus: ad significandum placere sibi eorum exercitium: vt apparet ex ijs, quæ dicuntur in Deuteronomio: b *Si exieris ad bellum contra hostes tuos; & videris equitatus & currus, & maiorem quam tu habeas, aduersarii exercitus multitudinem; non timebis eos. quia Dominus Deus tuus tecum, est qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem iam prælio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel; vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.* Si igitur DEVS pugnantibus adest, pugnatque cum eis certum est, placere ipsi talem pu-

b Deut. 20. 1

gnam;& pugnantes ſicut oportet, poſſe ſanctitatem & perfectionem cupitam obtinere.

3. *Perfectio in omni ſtatu. Ep. ad Bonif. S. Th. ſupra*

OMNIA enim opera Dei ſunt *perfecta*: & in eis communicat perfectionem, ſequentibus diuinam ipſius voluntatem, ac directionem, per ipſam illis præſcriptam. Et re ipſa eam communicauit multis valdè excellentes; quales fuerunt Ioſue, Dauid, Ioſias, & ſancti alij Reges. Ex quo infert Sanctus Auguſtinus: neminem debere exiſtimare, exercitium hoc alienum eſſe à ſanctitate & perfectione, quam Chriſtiani profitentur, cuius ſignum apparuit in primæua Eccleſia: in qua militiam profitentium ſanctitas adeò fulgebat, vt per eos Deus ederet clariſſima & ſtupenda *prodigia*; & ex eis valdè inſignes *martyres* ſibi eligeret. Prioris teſtimoniũ præbet præclara illa ac decantata *legio*, quę *fulminatrix* appellabatur, quæ ſuis orationibus impetrauit tonitrua & fulmina è cœlo, quæ valdè hoſtes terruerunt. Poſterioris verò teſtimonium præbet legio illuſtriſſimorum *Thebeorum*, qui vt fortitudinem ſuam oſtenderunt, in Republica *armis* defendenda: ita voluerunt eandem oſtendere, offerendo *proprias vitas* pro fide ac Religione Chriſtiana.

Multi milites ſancti & martyres.

Legio fulminatrix & Thebeorum.

4. *A charitate poteſt impetrari.*

Hvc accedit, quòd ſæpè ipſamet *charitas*, in qua perfectionis Chriſtianæ ſubſtantia conſiſtit, ad medium hoc belli adhibendum, *impellat*: ſiue *iuſtitiæ* nomine, vt Reſpublica defendatur; ſiue *miſericordiæ*, vt liberentur, qui opprimuntur iniuſtè. Quare, ſi tale medium aſſumatur abſque *ambitionis* admixtione, qua mundi huius gloria quæratur; aut *cupiditatis*, qua velit patrimonium ſuum nouis prouincijs amplificare, facilè poterit eſſe perfectum.

23. q. 1. c. Apud. ex S. Auguſtino.

PRÆCLARISSIMVM in hac materia exemplum fuit Patriarchæ *Abraham* in illa pugna, quam aggreſſus eſt ex mera charitate, vt Regem Sodomorum liberaret: qui cùm ſe vidit libertati reſtitutum, in ſignùm animi grati, ob inſigne beneficium acceptum dixit Abrahamo: c *da mihi animas, cætera tolle tibi.* Qui tamen reſpondit excelſo & generoſo animo: *leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ, quod a filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt:* vt ſic oſtenderet, (quemadmodum Sanctus Ambroſius perpendit) ſe non exiuiſſe ad illud bellum ob aliquod ſuum *lucrum*, aut commodum: ſed purè ex zelo *charitatis*. Et quamuis iure potuiſſet ſibi *retinere*, quæ in bello iuſto acquiſiuerat; & præcipuè cùm Rex ipſe ea illi *offerret*: noluit tamen hoc iure vti; ſed ijs ea reddere quorum priùs fuerant, magnas ſibi diuitias reputans, quòd *miſericordiam* cum captiuis feciſſet, dicens, ſe nolle ditari ex rebus hominum adeò indigentium. Quo exemplo Principes docuit zelum, quo debeant neceſſitatibus ſubuenire, iniuſtè op-

Lib. 1. de Abrah. ca. 3.

Miſericordia ſit ſine humano lucro.

preſſ-

professorum : non solùm quando lege institutæ, & ratione officij sui ad id *tenentur*; sed aliquando etiam, quando sola id lex *charitatis* dictat: non quærant *lucrum*, aut commodum ab hominibus, sed ab ipso Deo. copiosam *expensarum* suarum solutionem reputantes: quòd ipsi *misericordia* vti possint.

§. I. *Religionem paupertate Spiritus, Castitate, & Obedientia perfectionem hanc adiuuare.*

VLTIMA prædictorum probatio sumitur ex eo, quòd Sacra *Religionis* virtus receperit etiam in se bellica exercitia: exaltando & consecrando illa, *tribus* suis solemnibus paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ votis, quibus disponuntur homines ad heroicos fortitudinis actus in eo exercendos. Nam Catholica Ecclesia, quæ ab Spiritu sancto regitur, ne in rebus ad bonos mores fidelium spectantibus aberret, eas religiones instituit, quas *Militares* appellamus, militiæ exercitijs dedicatas. Quod (vt Sanctus Thomas probat) est opus perfectionis: quia non fit ob inanem aliquem huius mundi finem, sed ob diuinum cultum, & honorem, ad Fidem dilatandam, aut defendendam: aut tuendum commune Reipublicæ Christianæ bonum. *Religiones Militares. 2.2.q 188. a.3.*

ET quoniam Religio status est *perfectionis*, ad eam procurandam institutus & consecratus; (quemadmodum postea videbimus) ideò Religiosi, huius militiæ professores possunt esse perfecti, implentes sui status obligationes; & trium votorum, in quibus ille fundatur: quæ mirificè respondent ei, quod in bello iusto quæritur. Nam paupertas Spiritus, Castitas, & Obedientia remouent *tria* illa maxima impedimenta, quæ illud exercitium secum adfert: *cupiditatē* scilicet, *sensualitatem*, & *falsam libertatem*: efficiunt verò *tria* bona magni momenti: quia euellunt radices metus ac *timiditatis*, quæ solent hominem inuadere in *mortis* periculis: repellunt quoque nimias curas & *affectiones* quæ ipsum *cor* post se trahunt; nec permittunt suis attendere exercitijs: *intentionem* quoque purificant, vt non tendat in aliquem finem huius mundi; sed in finem Christianum tantum, & perfectum. in eum modum, quo de Machabæis dicitur: a *erat pro vxoribus & filiis, itemque pro fratribus & cognatis minor solicitudo: maximus verò & primus pro sanctitate, timor erat templi*, & pro conseruanda puritate suæ *legis* ac religionis. *Vota iuuant in bellis.* a2. *Mach.* 13. 18.

HOC IPSVM licet animaduertere in ijs, quæ Deus noster in Deuteronomio iubebat: vt qui aliqua re his virtutibus contraria laboraret

b 2. Deu. 20 5.

non proficiscereturad bellum:b *Quis est homo, qui ædificauit* domum *nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo, qui plantauit* vineam, *& necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, quid despondit* vxorem, *& non accepit eam? vadat & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur, in bello, & alius homo accipiat eam. Quis est homo* formidolosus, *& corde pauido? vadat & reuertatur in domum suam ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est*: hoc totum iubebat Deus in exercitu proclamari: designans eos, qui ad bellum apti non erant, eò quòd illis animus, & vera fortitudo deesset: aliqui ob *temporales possessiones*, quarum inordinata cupiditate laborabant, quales esse solent, qui *domum* ædificarunt, & *vineam* plantarunt, nec tamen eius fructus degustarunt: nam cùm multum in ea laborauerint, valdè cupiunt eius fructibus vti. Alij ob inordinatam ad *carnis* voluptates propensionem, quales esse solent sponsi, antequam matrimonium concludant. Alij ob inordinatum *vitæ* suæ desiderium, vnde ingens timor oritur eam amittendi. Constat etiam manifestissimè, his *tribus* vitijs valdè perturbari exercitus, & causam esse, cur succumbant, vitamque amittant, qui se illis dedunt.

Cupiditas.

Voluptas.

Timor.

I.

c *Iosu.* 7. 21.

CVPIDITAS effecit, vt c *Achan* aliquid in expugnatione Iericho *auferret*, ob quam causam in proximo congressu exercitus amisit victoriam: & in exercitu *Machabæorum* occisi sunt aliqui milites, quos cùm vellent tradere sepulturæ, d *inuenerunt, sub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, a quibus lex prohibebat Iudæos*: & addit Scriptura: *omnibus manifestum factum esse, ob hanc causam eos corruisse.* Hæc detrimenta impedit *paupertas Spiritus*, quæ euellit cor ab omni genere cupiditatis, maximè cùm est *voto* confirmata. dico autem paupertatem Spiritus: nam coacta, & *inuita*, potius solet *auaritiam* augere, & militum corda in bello ad furta & rapinas impellere. Qui tamen, si Spiritu sint pauperes, sunt verè fortes ac magnanimi ob contemptum rerum terrenarum: nec pugnant, vt acquirant bona temporalia; nec timent illorum iacturam facere; nec *iniuriam* alicui inferunt, vt talia consequantur: & eò direxit Sanctus Ioannes Baptista documentum datum militibus interrogantibus, quid faciemus & nos, vt salui esse possimus? dixit enim illis: e *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris*: neque specie aut prætextu necessitatis quæratis vobis per

d 2. Macha. 12. 40.

Paupertas Spiritus tollit cupiditatem.

e Luc. 3. 14.

malum

malum aliquod medium vestram sustentationem. Supponit autem Sanctus Præcursor: debere Principes *stipendia* suis militibus soluere, quibus se sustentent: alioquin periculo eos exponunt, alimenta sua quærendi quacunque ratione possint; etiam cum iniuria proximi. Nam (vt optimè dixit Cassiodorus) *famelicus* exercitus non potest esse militari disciplinæ subiectus: semper enim sibi persuadet, quòd possit vi & armis rapere quod sibi deest. Quod quamuis licitum sit ab inimicis accipere, contra quos iustum geritur bellum: non tamen licet ab amicis, & socijs. Ac propterea DEVS præcepit, & filios Israel transeuntes per terminos amicorum, d *emere cibos ab eis pecunia, & aquam emptam bibere.*

Stipendia soluenda. Vide Ribad. lib. 2. c. 43.

d *Deut. 2. 6.*

VITIVM quoque luxuriæ & libidinis valdè nocet exercitibus; quia deserit DEVS carnales huiusmodi homines, punitq; priuans eos victoria, quam præ manibus habebant. Benè hoc nouerat impius ille *Balaam*, cùm aduertens se non posse populo Israel maledicere iuxta votum Balac Regis Moabitarum; e *consuluit* illi, vt mitteret elegantes fœminas ad exercitum Israel, quæ illum ad libidinem & idololatriam prouocarent; sic enim fore, vt certò periret. Et quis inuictum aliàs *Holofernis* exercitum vastauit, & spiritus eius superbos compressit, nisi affectus luxuriosus in Iudith? propter quem statuit DEVS, vt egregia illa & strenua mulier f *abscinderet caput eius*: *casta enim mulier fortior* est *viro inhoneſto.*

2. *Castitas à luxuria liberat.*

c *Num. 24. 14. & c. 25. 1 Apoc. 2. 14.*

f *Iud. 12. 16 & c. 13. 10. Casta mulier fortior impuro viro g 3. Reg. 20. 11.*

CONTRA hoc periculum dirigitur castitatis *votum*, siue firmum eam seruandi *propositum*; quia ostendit animi sui fortitudinem in exercitum passionum suarum, à quibus oppugnatur: vt sic victoriam de externis hostibus referat: *prima* enim victoria disponit ad *secundam* obtinendam.

NEC vacat mysterio, quod in scriptura diuina eadem phrasi & modo loquendi, g *accingi* scilicet & h *præcingendi*, significetur virtus Castitatis, & promptitudo ad pugnam. Vt intelligatur, quòd *gladius*, qui ad *cingulum* appenditur, prius debeat *propria* carnis stimulos & insultus domare, quàm *hostium*, qui exterius nos oppugnant, & hoc ipsum Dauid insinuauit, cùm dixit: i *Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam: qui perfecit pedes meos tanquam cernorum, & super excelsa statuit me: qui docet manus meas ad prælium; & posuit vt arcum æreum brachia mea.* Sint igitur milites *castitate præcincti*; & ambulent per viam puritatis immaculatam: & DEVS illis dabit veloces *cernorum pedes*, non ad fugiendum, sed ad *aggrediendum*, cum *brachijs æreis*, & manibus robustis ad pugnandum, & vincendum.

h *Luc. 12. 35*

i *Psal. 17. 33. Gladius à cingulo cur pendat?*

3. *Obedientia mortem contemnit.*

TERTIVM vitium exercitum valdè perturbans, est nimius *timor mortis*, qui fugere cogit ex pugna, cum defectu & nota fidelitatis, & *obedientiæ*, quam ipsa militia requirit, quæ obligat militem vt vitæ potius iacturam subeat, quàm suam deserat stationem, aut ijs desit, quæ ipsi incume-

incumbunt, magnum sibi reputans *dedecus*, indicia dare *timiditatis*, aut fugæ, vt mortem euadat. quemadmodum protestatus est strenuus ille Dux Iudas *Machabæus*, qui consulentibus militibus fugam, intrepidè respondit: k *absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Sed hæc ipsa obedientia adeò ingenua, excelsior adhuc fit ab *obedientia religiosa*. quæ offert se ad obediendum: quemadmodũ ipsius Dux IESVS CHRISTVS factus fuit obediens vsque ad mortem, & quidem crucis: quando id cedit, & necessarium est in bonum Reipublicæ, & suorum proximorum: adiuuantibus se mutuò *obedientia & fortitudine*, vt victoria obtineatur, de qua obedientia & illud Salomonis intelligitur: l *vir obediens loquetur victoriam.* titur autem verbo *loquendi*, vt intelligatur, quòd opera obedientiæ faciant *verba* esse vera; & cum oblectatione instituit sermonem de victorijs, quas laboribus suis obtinuit.

Timor virum dedecet.

k 1. Mach. 9. 10.

Prou. 21. 28.

CAPVT XIV.

VARIA MEDIA FORTITVDINEM ET FIDVCIAM in Deum conseruandi, in varijs gubernationis & militiæ euentis: & quid sit in Reipublicæ calamitatibus faciendum.

Fortis

Fiducia

Augetur.

IMPONAMVS tandem huic Tractatui finem, varijs *mediis* allatis, ad conseruandam & augendam Fortitudinem, & in DEO confidentiam, tam in gubernatione, quam in militia, & in varijs euentis: quæ interdum sunt valde diuersa. Accipiemus autem exemplar clarissimorum *Machabæorum*, quorum *Fortitudo* & *Fiducia* adiunctas etiam habuit heroicas alias virtutes.

I. *Oratione. Præmissa.* a 1. Mach. 4. 30.

PRIMA fuit ORATIO, & recursus ad DEVM in omnibus aduersis, & periculis: nam ipsamet FIDVCIA requirit orationis exercitium, ad speratum auxilium impetrandum; nam ORATIO & FIDVCIA illud impetrant. Et hæc oratio fuit Machabæis adeò continua, vt semper, antequam a *pugnam inirent*, clamarent feruentibus orationibus in cælum: ad quod *Dux* milites

exhor-

exhortabatur, & *hi* Ducem suum comitabantur, vt multorum simul oratio, quod petebant, impetraret. Nec solum pugnæ *præmittebatur* oratio, sed in progressu etiam *continuabatur*. Cuius rei fidem facit sacer textus hisce admirandis verbis: b *Iudas & qui cum eo erant, invocato Deo per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed ad Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus* triginta quinque *millia*; *præsentia Dei ipsis assistentis magnifice delectati.* Ex quo apparet, victoriã, in *orationibus* potius, quàm in *armis* consistere: arma enim virtutem ac dexteritatem accipiunt ab orationibus; quæ eum habent effectum, vt Dei generalis exercituum Ducis assistentiam obtineant. Ille enim præsentia sua exhilarat pugnantes; animumque & fortitudinem addit, vt vincant. Vt manifestiùs apparuit, cùm Iosue & exercitus Hebræorum, hostes suos vinceret, c *Moyse manus suas* ad Deum *leuante*: *quasi paululum remisisset, superabat Amalec*; quasi Moysis manibus cadentibus, omnis cordium fortitudo illas sequeretur, & caderet.

Coniunnata.

b 2. Mach 15 27.

Oratione arma succedunt.

c Exod. 7. 11

Cvm oratione coniungenda est perfecta voluntatis *resignatio*: cum qua inchoandæ sunt pugnæ, & egregia facinora aggredienda: *Dei prouidentiæ* committendo eorum exitum; faciendo autem ex parte *sua* pugnantes ipsi quod possunt; & confidentes in ipsum Deum quod sit daturus id, quòd magis expediet: quidquid illud fuerit. Ita expresse dixit strenuus ille Dux Machabæus suis militibus: d *accingimini & estote filii potentes, vt pugnetis aduersus nationes, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos & sancta nostra: quoniã melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorũ. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Hanc quærimus & optamus: quæ, si voluerit nos vinci & mori; æquissimo id animo accipiemus: eò quòd factum sit nobis iuxta eius beneplacitum. Sed, quemadmodum ipsi voluntatem suam Dei voluntati subijciebant, cuius gloriam & honorem quærebant: ita Deus, eorum voluntati ac desiderijs annuens, glorioſas dabat victorias.

Resignatio.

d 1. Mach. 3 58.

Deus paret voluntati se resignantium.

Similia dixit Dux *Ioab* suis militibus, aggressuris periculosam pugnam. e *Estote* (inquit) *fortes, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate* Dei *nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo*: idemque apud nos erit optimum. Hæc resignatio, summi est momenti omnibus hominibus; & in quibuscunque negotijs. Sæpe enim euenit, vt *prudentes*, & *sancti* viri in suis officijs; & in rebus, quas quærunt faciant quidquid ipsi sciunt & possunt & tamen voti compotes *non* fiant. Qua *euentus* rerum dependent à diuina *prouidentia*: Et propterea dixit Ecclesiastes: f *nec velocium esse cursus, nec fortium, bellum*, & eius victoriam: *nec sapientium panem* lucrari, *nec Doctorum diuitias* comparare, *nec Artificum gratiam* in operibus suis eleganter perficiendis. Eò quòd homines *industrias*

e 2 Reg. 10. 12.

Euentus Deo.

f Eccl. 9. 11

quidem

quidem suas adhibere possint: Dei tamen est illarum *euentus*: quem euentum prædictis *mediis* impetramus: quibus adhibitis, *Veloces, Fortes, Sapientes, & Artifices*, quod intendunt, obtinebunt quantum ipsis ad salutem suam expediet.

Per media.

3. NECESSE tamen est paratos ipsos esse etiam ad exitus aduersos amplectendos, quos permittit DEVS, ad fortitudinem, resignationem, & *fiduciam* seruorum suorum exercendam, *& probandam*, quæ propter aduersos euentus non debet imminui: quemadmodum monuit Dauid Ducem suum Ioab in simili quodam aduerso euentu, dicens: g *non te frangat ista res: varius enim euentus est belli; nunc hunc, nunc illum consumit gladius: confortа bellatores tuos aduersus vrbem*, vt non deficiant animo, nec cessent à prosecutione belli, donec victoria potiantur. Sæpe enim Deus Dominus noster huiusmodi aduersos euentus permittit ad aliqua *damna* resartienda: post quorum reparationem, optatam concedit victoriam. Quemadmodum permisit exercitum Israel vinci à suis hostibus, ob occultum *Achan* peccatum, qui in expugnatione Iericho aliqua fuerat furatus: & cùm Iosue lamentaretur, quod exercitus esset superatus, respondit illi: h *peccauit Israel, & prænaricatus est pactum meum: nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosq; fugiet: quia pollutus est anathemate. Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Statim verò atque *reum* illum inuenerunt, & lapidarunt, obtinuerunt insignem *victoriam*, quam eius causa prius amiserant. Inuestigent igitur Duces in huiusmodi occasionibus, an sint aliqua *peccata*, quæ infælicium huiusmodi euentuum sint causa; & studeant adhibere remedium, etiam *morte* puniendo reos: ita enim præuenient multorum aliorum mortem, & optatam de suis hostibus victoriam obtinebunt. Similes etiam euentus permittit DEVS aliquando ex occultis suis iudicijs, non indicatis peccatis, ob quæ illos permittit, puniens interim illa; & simul probans, & exercens fidelitatem & perseuerantiam Iustorum. Quemadmodum factum est, cùm totus Israel, ingenti exercitu congregato, oppugnauit Tribum Beniamin, vt enorme quoddam *delictum*, in quadam Tribus illius ciuitate commissum, punirent. Nam quamuis ipse DEVS mentem illam, & voluntatem Israel approbasset, belliq́ue *Ducem* designasset, fuit tamen exercitus ille victus, & cùm *secundo* ad idem certamen mandato ipsius DEI redirent, fuerunt quoque superati *multis* hominum *millibus* amissis; donec perseuerantibus omnibus in sua mente & voluntate atrox illud crimen puniendi, & orationem ad DEVM repetentibus: *tertiò* tandem iussit DEVS ad pugnam exire, deditq́ue eis plenam de sceleſtibus illis victoriam. Vt ex hoc intelligamus non semper, quæ DEVS iubet & approbat, habere eum fælicem exitum,

g 2. *Reg.* 11. 25. *Fiducia probatur aduersis.*

h *Iosu.* 7. 11. *Peccata impediunt victoriam.*

Iudi. 20. 19. *Eandem bona causa triumphat.*

quem

quem optant, qui pro eo orabant. Et benè se compatiuntur simul *opus* ipsum esse valde *bonum*, cum *aduerso* valde *exitu*: præcipuè cùm multi ad opus illud concurrunt, ita vt victi illi remaneant ex *occultis* Dei iudicijs, quæ nos homines non assequimur: eò quòd velit nos Devs valdè *humiles*, sibique & omnibus, quæ ipse constituit ac disponit, subiectos & *resignatos*. Quamobrem vna eademque opera multos fines consequitur; quia peccatores *punit*, aliquos iustos *purificat*, & alios *humiliat*: hac ratione eos disponens, vt suo tempore vtiliorem victoriam accipiant.

Opus boniu nomun quam malum habet exitum. Varijs de causis.

Ad hos omnes euentus habent Fortitvdo & Fidvcia *duas* alias virtutes comites & adiutrices, Patientiam scilicet & Perseverantiam, per *duas* columnas templi (quarum superius fecimus mentionem) significatas; quæ appellabantur k *Iachim* & *Booz*: *firmitas* scilicet & *fortitudo*. Patientia cohibet nimias *tristitias*, ex aduersis euentibus ortas: ita vt earum causa nec in vno puncto desit amori Dei, aut alicui rei obsequij eius. Perseverantia *tædia* reprimit, animique deiectiones, quæ ab eadem radice proueniunt: non enim desistit à nouis medijs adhibendis, vt voti compos euadat; nec imminuit quicquam de *Fiducia*, donec Devs aliud statuat: & quamuis aduersitas diutiùs duret, sæpiusque repetatur: vtraque virtus *longanimiter* tolerat, sperat firmiterq; prosequitur: & tũc ordinarios suos terminos transgreditur Fortivdo cùm nobilem adeò habet comitatum: quemadmodum enim *funicolus triplex difficilè rumpitur*: ita *fortitudo*, *patientia*, & *perseuerantia* vnitæ, & contextæ cum *Fiducia* in Devm, etiamsi *oppugnentur*, non tamen *succumbent*. Quòd si non assequentur quod *homo* intendit; assequentur certè, quòd in eiusdem hominis bonum intendit Devs. Et propterea patientia & perseuerantia *coronam* consequuntur sibi promissam ab eo Domino, qui dixit: *Iqui perseuerauerit vsque in finem hic salus erit*. Constituet enim super eiusmodi *columnas* pulcherrimum præmiorum earum *capitellum*.

Patientia. S. Tho. 2. 2. q. 136. a. 1. Tract. 3 c. 4. k 1. Reg. 7. 22. Vide Riber. lib. 2. de Templo c. 15 Perseuerantia.

Longanimitas.

Nemo tamen tutum se esse existimet, eò quòd *semel* expertus fuerit omnipotentiam Dei ipsi fauentis ob Fiduciam in eo collocatam: si enim non perseueret, sed in Fiducia aliquid remittat: eò erit maior desertio, quò habuit clariora à Deo pignora, ad illam non deponendam. Quemadmodum euenit Regi Asa, cuius Fiduciam Devs remunerauit audiens eius orationem, dansque illi glorioſissimam quandam victoriam contra m *integrum millionem*, quem in suo *exercitu ducebat Rex Æthiopiæ*. Sed paulò post idem Rex Asa in alio bello oblitus huius Fiduciæ in Devm, eam posuit in *fauore Regis Syriæ*, quem ambiuit oblatis multis muneribus, in quæ exposuit thesauros domus Domini. Quamobrem iratus Devs contra eum, dixit illi: *n stulte,*

Hemo proponit Deus disponit. 1 Mat. 24 13

Expertus nõ deficias.

12. Par. 14. v. 11.

n 2. Par. 16. 9. *Ingratus Rex aufert Deo Dona.*

stulte egisti & proter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent, nec habebis quietem in regno tuo. Fuitque hæc iustissima pœna: siquidem plus fidit *idololatræ* cuidam Regi, quàm *vero* suo DEO: & cùm debuisset DEVM nouis additis *donis* placare, *abstulit* ea, quæ eius præcessores liberali manu illi obtulerant.

o *Iudith.* 5. 16. 24.

IMPONAMVS huic puncto tanti momenti finem, illustri illo testimonio, quod in præsentia *Holofernis* Dux quidam gentilis nomine *Achior* protulit, extollens fauorem & auxilia, quæ DEVS populo Hebræo præbebat, quando ille in eius obsequio perseuerabat: o *Vbicunque* (inquit) *ingressi sunt, sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio,* DEVS *eorum pugnauit pro eis, & vicit. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando receßit a cultu Domini* DEI *sui. Quotiescunque autem prater ipsum* DEVM *suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Nunc ergò, mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu* DEI *eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos* DEVS *eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ: si verò non est offensio populi huius coram* DEO *suo, non poterimus resistere illis, quoniam* DEVS *eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* Hoc fuit *verum* & certum Ducis illius testimonium: ex quo constat, Regum & exercituum fortitudinem in *perseuerantia* consistere *obsequii diuini*: tunc enim DEVS bellum, & eius causam, suam reputat, & in se recipit. Et quamuis interdum eos permittat in *horrendas* angustias deuenire, quales erant in ciuitate illa Bethulia, cùm eam Holofernes obsideret: non tamen vult eos animum abijcere, aut confidentiam: nec vt angustum habeant cor, ipsique DEO *tempus* præscribant, in quo auxilium illis mittat: quòd fecerunt *presbyteri* eiusdem ciuitatis, quos iustè reprehendit prudens *Iudith*: quæ, quod maiorem haberet *fiduciam* in diuinam omnipotentiam, fuit electa, vt libertatem populo suo obtineret, verumque fuisse Achior testimonium appareret: nam vbi homines minimè cogitant, habet DEVS aliquos *occultos*, qui sint egregiorum ipsius facinorum instrumenta futuri; & quidem *debiliores* accipit aliquando, vt ipsi gloria detur ob talia gesta.

Expecta Dominum, viriliter age.

(?**?)

§. II. *Quid sit agendum in calamitatibus Reipublicæ.*

PRÆDICTAS virtutes debent maiori studio exercere Principes & Gubernatores, cæteriq́ue ciues tempore *calamitatum*, ac tribulationum, quæ suæ Reipublicæ eueniunt; quales sunt: *pestis*, *fames*, *bella* ciuilia, *terræ motus*, *inundationes*, *incendia*, & similes aliæ miseriæ, quæ vt plurimum veniunt in *pœnam grauium peccatorum* totius *populi*, & multò magis *capitum*, illum gubernantium. Nam vtrisque a *impletur mensura* illa, quam expectat Deus ad similia mala in Rempublicam mittenda, quemadmodum scriptura diuina insinuat, cùm dicit: b *addidit furor Domini irasci contra Israel*; quia id promerebantur illorum peccata: ad quæ punienda, permisit (vt Sanctus Gregorius perpendit) etiam Regem ipsum *Dauid* peccare, *numerando populum*. Vt autem pœna etiam esset communis, sicut peccata communia erant, data est Dauidi *optio trium*, *vt eligeret vnum*, *quod voluisset*, *famem scilicet*, *pestem*, *aut bellum*: quarum calamitatum omnes sunt participes.

Pœna peccati.

a *Mat.* 23. 32

b 2. *Reg.* 24. 1.

Lib. 25. *mor. cap.* 14.

Ex quo apparet: *primùm*, quod omnes magni & parui in Republica dare debeant operam, vt huiusmodi calamitatum causas & *radices* remoueant, faciendo *veram pœnitentiam*, vitamque in melius emendando: vt ipse Dominus mutet, aut moderetur seueritatem suæ iustitiæ: quemadmodum promisit c *regno pœnitentiam agenti*: *agam* (inquit) *& ego pœnitentiam super malo*, *quod cogitaui*, *vt facerem ei*. Expedit autem, hanc pœnitentiam incipere ab ipsis *Gubernatoribus*, vt *bono* suo *exemplo* ad eam inuitent, quos malo prouocarunt ad *peccandum*. Id fecit *Rex Niniue*, cùm in eam ingressus est Ionas, clamans: d *adhuc quadraginta dies*, *& Niniue subuertetur*. Nam cùm primùm *peruenit* hoc *verbum ad Regem Niniue*, non est indignatus in eum *prædicatorem*, quòd talia illis esset minatus; nec iussit abire ex ciuitate, nec conijci in carcerem, quemadmodum e *Rex Achab* iussit *Michæam*, & f *Herodes* magnum *Baptistam*: sed statim *surrexit de solio suo*, *& abiecit vestimentum suum a se*, *& indutus est sacco*, *& sedit in cinere*, *& clamauit*, *& dixit in Niniue ex ore Regis*, *& Principum eius*, vt omnes agerent pœnitentiam, sicut re ipsa egerunt *a maiori vsque ad minorem*: quia vnusquisque existimabat, ob sua peccata talem calamitatem toti ciuitati imminere; quam pœnitentia etiam propria studebat auertere. Hunc igitur in modum oportet in similibus occasionibus, Dei *iram pœnitentia* placare, ieiunijs, flagellationibus, , cilicijs, alijsque operibus, quæ sunt pœnitentiæ *fructus*, in quibus Principes ipsi: & Gubernatores, *primi* esse debent.

Pœnitentiam agant omnes.

c *Iere.* 18 8.

Duces exemplo præeant.

d *Iona.* 3. 4.

e 3. *Reg.* 22. 27.

f *Mar.* 6. 17.

c Ioſ. 7. 12.

Quisque se emendet.

constituentes, vt prædicatores, ad agendam, omnes exhortentur. Et vnusquisque etiam ex *plebe* contendere debet, in eisdem operibus excellere; cogitans se fortè esse e *Achan* illum, ob cuius peccatum totum DEVS puniat populum: & si *sortes* essent mittendæ, quemadmodum Ioſue, ex DEI iussu misit, vt reum deprehenderet, caderet super ipsum, tanquam super maximum peccatorem. Sed ipsi *Principes* & Gubernatores debent potius suis, quàm aliorum peccatis id tribuere, dicentes cum Dauide: f *ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt: vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*, ne totus populus pereat. Quæ pœnitentiæ ratio, si verè & ex corde fiat, dignabitur Deus, calamitatem publicam remouere, quod fecit in Niniue; & in Israel in prædictis occasionibus.

f 2. Reg. 24. 17.

Fasciculus virtutum.

QVOD si ex *occultis* suis iudicijs, DEVS adhuc voluerit, calamitates, & tribulationes *diutius* durare: tunc necesse erit prædictas virtutes, maiori cum feruore coniungere, exstimulando *resignationem*, & *fiduciam*, *orationem*, & *fortitudinem* cum *patientia*, *longanimitate*, & *perseuerantia* ad *fructus* colligendos: quos prouidentia diuina per huiusmodi aduersitates intendit: (vt supra est dictum) persuadentes sibi, certam esse illam veritatem, quam Sanctus Augustinus fusè probauit in libris de Ciuitate DEI: quòd scilicet *felicitas Reipublicæ Christianæ*, quæ *vera* est *ciuitas* DEI viui, non sita sit in

Tract. 2. c. 2. & 3. Tom. 1. tra. 5.

temporalibus prosperitatibus, sed in *spiritualibus*; non in bonis perituris, sed *æternis*. Et quando Rex Regum permittit Rempublicam suam huiusmodi tẽporalibus miserijs affligi: id propterea facit, quòd hac via velit *admirandis virtutibus* eam exornare, ac ditare, & copiosissimis *æternis præmijs* remunerare: amiserunt (inquit Sanctus Augustinus) *omnia*, quæ habebant: Nunquid *fidem*? nunquid *pietatem*? nunquid *interioris hominis* bona, qui est ante DEVM diues? hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus: g *est autem quæstus magnus*; *pietas cum sufficientia*. *Gentilium* Reipublicæ, cui nõ erat DEVS daturus vitã æternã cũ sanctis suis Angelis in ciuitate sua cælesti, hanc *terrenam gloriam* eis concedit: quam tantopere desiderant, & pro qua laborant, quemadmodum remunerauit Romanos, de quibus dicere licet: h *receperunt mercedem suam*: merces autem *sanctorum* longè alia est, etiam hic opprobria sustinentium cum magna patientia & fortitudine: quia expectant *ciuitatem* aliam cœlestem, & sempiternam: vbi est vera & plena fælicitas. Ibi non oritur sol super bonos & malos; sed *sol iustitiæ* solos protegit bonos, veraque ibi *gloria* erit, vbi ore laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus *honor*, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: Sed nec ad eum ambiet

Deus per mala operatur bona. Lib. 1. de ciuit. c. 10.

g 1. Tim. 6. 6.

Lib. 5. c. 15. & 21.

h Matth. 6. *Gentibus terra nobis cælum.*

Lib. 22. c. 1.

vllus

vllus indignus, vbi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera *pax* ibi est, vbi nihil aduersi, neca seipso, nec ab alio quisquam patietur.

PRÆMIVM virtutis erit ipse, qui virtutem dedit; eique se ipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*: nisi, *ego ero vnde saturentur*: *ego* ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax & omnia bona? sic enim & illud recte intelligitur quod ait Apostolus, *vt sit Deus omnia in omnibus*. Ipse *finis* erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hæc omnia Sanctus Augustinus. Vt intelligant Principes, & Reipub. Christianæ Ciues ipsorum diuitias ac thesauros in hac vita esse debere *virtutes*: prosperitatem verò & fœlicitatem *opera bona*. Et si DEVS huiusmodi *calamitates temporales* permittit, id facit, vt *merita* eorum crescant, & *virtutes* perficiantur; vt *fidelitas* probetur & *oratio* magis feruear, & *fiducia* sublimior fiat, *patientia* exerceatur, & *perseuerantia* sit glorioſior, æternæque gloriæ *præmium* copiosius.

Ier. 7. 23.

1. Cor. 15. 28.

Virtus & opera bona, thesaurus noster.

CAPVT XV.

REGVLA QVAEDAM VALDE PERFECTE vincendi in quolibet statu & officio ex præcedentibus Tractatibus collecta.

EX omnibus, quæ in *quatuor* his Tractatibus dicta sunt quasdam *regulas* siue documenta hic colligemus *benè* viuendi, aut vitam cum magna *perfectione* instituendi, quæ *communia* erunt omnibus Christianis, in quocunque statu & officio constitutis. *Particularia* verò ad *coniugatos*, *Ecclesiasticos*, & *Religiosos* spectantia reperiemus in proprios Tractatus. Adnotabimus hic in margine Tractatus & capita, in quibus continentur fusius, quæ in singulis hoc documentis summatim ponuntur.

Documenta communia perfectionis.

PRIMVM igitur præcipuus studiorum ac votorum tuorum *finis* in hac vita debet esse *sanctitas*: quæ procuranda est per ordinaria *media*, à

1. *Finis sanctitas per*

dia, à Deo Domino Nostro in Ecclesia sua ad eam obtinendam nobis proposita: quorum elenchum & seriem posuimus in fine primi Tractatus, præcipuè autem sunt hæc *quatuor*, quæ Dauid a *iustitiæ portas* appellat. *Obedientia* scilicet mandatorum Dei, & Ecclesiæ, & eorum, quæ status & officij cuiusque sunt propria; *Mortificatio* vitiorum & prauarum passionum per opera pœnitentiæ; *Frequentia* Sanctorum Sacramentorum, *Confessionis* & *Communionis* ac Sacri *missæ Officii*: & ordinarius vsus spiritualium *exercitiorum*, lectionis scilicet sanctorum & piorum librorum, orationum vocalium & meditationis mysteriorum diuinorum: accipiendus autem est Cõfessarius aliquis, & Spiritualis Pater, doctus, & sanctus, qui te in omnium horum executione ducat, ac dirigat.

a *Ps.* 117. 19. *Obedientia. Mortificatio.*

S. Sacramenta.

Exercitia spiritualia. Confessarius.

2. *Tract.* 1. c. 3. 4. & 5. *Esto tua sorte contentus.*

CONTENTVS & tranquillus esse debes cum ea *sorte*, quæ à diuina *prouidentia* tibi contigit, quoad *propensiones & talenta* naturalia corporis & animæ, & reliqua etiam *temporalia* bona sanitatis, facultatum, generis, & honoris, huius tuæ quietis, & pacati animi illud iaciens fundamentum, quod DEVS Dominus Noster infinita sua sapientia & charitate hanc tibi sortem dederit, tanquam tuæ salutis & perfectionis *medium* accommodatum: modò ei fidas, & ex parte tua tibi non desis; voluntatem tuam cum eius voluntate omninò conformando.

3. *Electio prudens.*

Non quæras, neque eligas, aut acceptes statum, officium, aut viuendi rationem, nec aggrediaris occupationem, aut arduum aliquod cœptum, quin prius intelligas esse iuxta *Dei voluntatem*, adhibitis *mediis* ad id cognoscendum aptis: & ita prudenter electionem tuam in his omnibus facias: vt neque in *vita*, neque in *morte* contristeris; aut te eam feciſſe pœniteat. Ad quod tamen non est necesse tantam de diuina voluntate certitudinem habere: vt omnem dubitationem prorsus excludat, sicut in rebus fidei, aut quæ euidenter cognoscuntur. esset enim temerarium, nouas à Deo reuelationes petere; aut sola euidentia duci velle. Sufficiet itaque ad tuam securitatem, si ad tuam electionem hæc *quatuor* concurrant: *Inclinatio* scilicet, siue Propensio, cum *Talento* & Dotibus; *Inspiratio* & Motio Dei; Dictamen *rationis*; & boni alicuius Consiliarij iudicium & approbatio: præmissis tamen diligentijs suo loco positis. Nam, his adhibitis mediis, credere poteris, statum & officium, quod eligis, quamuis in se non sit præstantissimum: fore tamen *tibi melius* & vtilius, attentis tui ipsius circumstantijs. Neque iustam habebis causam & rationem, cur in hora mortis te pœniteat, illud elegisse: siquidem in ipsa electione ei parti adhæsisti, quam prudenter cogitasti Deum velle, vt amplecteretis.

4. *Indicia.*

Tract. 1. c. 5. & 6.

ITA

ITA *occupationes* tuas *diurnas* ac *nocturnas* distribues: vt DEO des quod est DEI, *animæ* quod est animæ; & *corpori*, quod est corporis; ac *proximo*, quod est eius. DEO debemus *amorem*, ob immensam eius bonitatem; *reuerentiam*, & *adorationem* ob infinitam ipsius excellentiam, *laudem* & animi *gratitudinem*, ob innumera eius beneficia: subiectionem & *obedientiam* in rebus omnibus, quæ ipse iubet & inspirat. Quotidie autem mane offerre debes diei illius *primitias*: dirigendo omnes tuas actiones ad maiorem eius gloriam; & expendendo aliquam temporis partem in *consideratione* eorum, quæ te ad hos affectus impellant.

4. *Trac. 4. c. 4 Deo debitores.*

ANIMÆ tuæ debes attentionem & *vigilantiam* in ea purificanda, à peccatis præseruanda, virtutibus exornanda, & ordinario sanctorum *operum*, & suis temporibus etiam *Sacramentorum cibo* alenda. CORPORI tuo auxilium & subsidium necessariò debes in *sustentatione*, vestitu, somno, & conuenienti relaxatione: non vt illi indulgeas: sed vt possit spiritui seruire: cuius propterea propensionem nimiam *mortificabis*, vt in officio & subiectione contineatur. PROXIMO dabis quod ei debetur, iuxta personę & status ipsius qualitatem: ita te erga *maiores* tuos, *minores*, & tibi *pares* gerendo, sicut velles ipsos se gerere erga te.

Anima.

Corpori.

Proximo.

Tr. 3. c. 2.

SI ES *subditus*, debes tuis superioribus *reuerentiam* & *obedientiam*: agnoscendo in eis CHRISTVM Dominum Nostrum, à quo potestatem illi acceperunt: & seruando conditiones perfectæ obedientiæ, quam Sanctus Paulus seruis commendat, & nos suo loco posuimus.

5. *Superioribus.*

Tract. 3. c. 3

SI SVPERIOR es, Paterfamilias, Princeps, aut aliquis ex Magnatibus, gubernare debes tuos subditos, famulos, & seruos cum *charitate mansuetudine, zelo, & prudentia*: adiunctis, *simplicitate columbina*, vt euitetur iudicium temerarium de ipsorum dictis & factis; & *prudentia serpentum*, ne ab eis decipiaris: consulendo etiam vtilitati ipsorum *temporali*, & *spirituali*, corrigendo eorum *vitia*, extimulando ad *virtutes*, puniendo *reos*, quando expedit; tuæque gubernationis eum præcipuum finem constituendo: vt omnes *probi* sint, *leges* custodiant, *finemque* vltimum, in quem conditi fuerunt, consequantur: dando operam, vt *rectitudo & iustitia*, cum *clementia & misericordia* benè cohæreant & conueniant, iuxta regulas suo loco positas.

6. *Subditis.*

Tract. 3. c. 4 & sequentib. Tr. 4. c. 6. & sequentibus.

CVM omnibus *paribus* agendam tibi est fraternè, & cum Christiana humanitate & affabilitate: præueniendo eos honore & vrbanitate, atque si tui essent superiores, dando operam, quemadmodum dixit Apostolus vt b *quod ex te est, cum omnibus hominibus pacem habeas*, per ea media, quæ in sequentibus regulis insinuantur.

7. *Tract. 3. c. 2. Aequalibus*

b Ro. 12. 18.

MOR-

8. c 1. Io. 2. 16. Superbia. Luxuria. Auaritia. Tr. 2. c. 6. & sequentibus

MORTIFICANDI sunt tibi strenuè *tres* illi furiosi appetitus, voluptatum sensuũ, diuitiarum, & inanium honorum, quos Sanctus Ioannes c: *concupiscentiam* appellat *carnis*, *concupiscentiam oculorum*, & *superbiam vitæ*. Illi enim sunt *radices* innumerabilium peccatorum tentationum, ac discordiarum. cuius rei causa necesse est, præparata habere arma, & remedia contra vnumquemque talem appetitum superius posita. Quod si in sublimi aliquo statu sis collocatus, magis adhuc oportet te ipsum præmunire: eò quòd pugna sit acrior futura, & victoria difficilior. Quæ mortificatio, licèt *acerba* sit, est tamen *vtilissima*; potiusque *viuificatio*, quàm mortificatio esset nuncupanda, eò quòd talis mors quietissimam & fœliciſſimam adferat vitam.

Tract 4. c. 2. 3. & 4. Viuificatio.

9. Noscete ipsum. Examen particulare. Tract 2. c. 5 & Tr. 3. c. 13

SED nominatim necesse est valdè *notas* habere prauas constitutionis tuæ naturalis *propensiones*. Quare si deprehenderis te nimium esse cholericum, aut *melancholicum*, aut valdè *tardum*, aut valdè *garrulum*, aut in rebus tuis *præcipitantem*, aut denique ad *quoduis* vitium propendere: debes maiori conatu illud mortificare: quia ordinariè illud infert maius detrimentum; & tãquam *Dux* post se trahit reliquum exercitum; estque *radix* grauiorum perturbationum: ideoque præmunies te specialibus illis remedijs, quæ ad passiones superandas indicauimus.

10. Tract. 3. c. 8. In verbis Veritas. Iudicium, Iustitia. Tract. 3. c. 9 & 10.

OMNIA *verba* tua, comites illas *tres* habeant; *veritatem*, *iudicium*, & *iustitiã*, exaltando illas per *charitatem*. Debes esse *verax*, siue affirmes, siue neges fidelis in promissis adimplendis; *prudens*, vt attendas benè, quid loquaris; magnoque iudicio verba tua ponderes; & cum grauitate, & quiete conueniente ea proferas. Debes esse *iustus*, & charitatis cultor in loquendo benè de proximis, sine adulatione tamen, & potiùs absentes quàm presentes laudare, de nullo malè loquendo in eius detrimentum, detestãdo in te ipso *tres* malas linguas, eam scilicet, quæ præsentibus iniuriam infert; & quæ de absentibus murmurat; & quæ discordias disseminat.

11. Tres malæ linguæ. Tract. 3. c. 11 & 12.

QVOD in te erit, studere debes cum omni dexteritate, has tres malas linguas in alijs intercidere, *non ferens*, vt corã te illæ laxentur; aut *vultum tristem* stendens, dum mali quidpiam de proximis dici audis. Quæ, si contra te laxentur, & soluantur: debes *tuam prudenti silentio* continere, ne malum pro malo reddas, sed tui defensionem, diuinæ committas prouidentiæ: quòd si expediet, facti tui *rationem* reddere, id facias *mansuete & prudenter* iuxta regulas hac de re traditas.

12. Tr. 3. c 14. & 15. Iustitia.

CVM ijs, qui tuæ Reipub. sunt membra, *duo* bonorum operum genera exercere debes: alia *iustitiæ*, alia *liberalitatis* & gratiæ. Et primo quidem loco, Iustitiæ: reddens vnicuique quod debes: remouendo omne genus iniuriæ, discordiæ, & litis; quamuis, vt fraternam colas & conserues

cha-

charitatem aliquid *tui iuris* amittere sit opus: nullum dans locum *acceptioni personarum*; nec *punctis honoris*, quæ sunt horum incommodorum seminaria. Promouebis verò iustitiæ administrationem pro ratione obligationis ex officio tuo. Aliqua etiam *gratiæ* opera exercere te oportet erga tuos amicos, vicinos, conciues, & notos ac domesticos: ostendens omnibus eam humanitatem & liberalitatem, quam velles tibi ab eis ostendi; memor sententiæ saluatoris dicentis: d *date & dabitur vobis; eadem mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis.*

Tra. 4. c. 11.

Gratia.

Tra. 3. c. 16.

d Luc. 6. 38.

13.

Ex Qvo intelliges, effusiori manu debere te *misericordiæ* opera in *pauperes* & egenos exercere, non exclusis *peregrinis* & aduenis: sed omnibus ostendens viscera charitatis, quibus *Abraham & Loth* hospitio eos recipiebant, blandeq; tractabant. Quod si valdè sis diues, debes honori tibi tribuere quod sis Dei *eleemosynarius* cogitans, Deum tibi diuitias tradidisse, vt eius nomine pauperibus eas distribueres: sicut faciũt supremi Regum & Principum eleemosynarij: qui profusiores esse debent in faciendis eleemosynis, eò quòd ab æterno Rege maiores acceperint diuitias, ad eas largiendas. Nec tamen obliuisci debes operum *misericordiæ spiritualium*, quæ corporalibus præferuntur: vt corrigas errantem, iniurias feras, & remittas iuxta regulas hac de re superiùs traditas.

Tra. 3. c. 16.

Tract. 2. c. 9 Misericordiæ corporales, spirituales

Tra. 4. c. 3. Tra. 4. c. 17. & Tr. 3. c. 6.

14.

In omnibus status & officij tui operibus & occupationibus, non tam aspicias ad *excellentiam*, quam ex *obiecto* & materia sua habent; quàm ad *modum* excellenter ea faciẽdi: in hoc enim sensu dixit Spiritus sanctus Ecclesiasticis omnibus ac secularibus: e *in omnibus operibus tuis præcellens esto.* Nec vllum erit officium aut occupatio adeò *vilis*, quæ non habeat valdè *sublime meritum*, si eam f *sex* hi sce *alis Seraphim* comiteris, quibus à terra exaltatur in cœlum, quæ sunt: *Memoria* præsentiæ Dei vbique existentis; & quid cogites, loquaris, aut facias, accipientis, pura maioris ipsius gloriæ *intentio*, studendo in omnibus quæ facis, illi placere; eiusque diuinam voluntatem semper exequi: eò quòd sit summè bonus: *oratio*, quæ tuis operibus det initium, eaque comitetur, petendo diuinum auxilium: vt cum ea perfectione, quam ipse præcipit ac consulit, ea exequaris; *fiducia* in Deum, à quo omne bonum tuum dependet, de cuius *omnipotentia* speres, adiuturam tuam imbecillitatem: de eius *misericordia*, quòd compatietur tuæ miseriæ; de *fidelitate*, quòd in tuis tentationibus & periculis te protegat de *prouidentia*, quòd te in omnibus vijs tuis deducet, & hinc *duæ* vltimæ; alæ oriuntur: *fortitudo* scilicet in arduis rebus aggrediendis, abiectio omni difficultatum metu: & *perseuerantia* vsque ad finem operum inchoatorum: tolerando patienter quascunque occurrentes molestias. Nam (vt Isaias dixit) g *qui sperant in Domino*, *mutabunt fortitudinem* recen-

Modus operum sit præcellens.

e Eccl. 33. 23 6. ala Seraphin.

f Isa. 6. 2. Præsentia Dei. Intentio. Oratio.

Fiducia.

Fortitudo.

Perseuerantia.

g Isa. 40. 31.

tem scilicet aliâ præstantiorem induentes: *assument pennas sicut Aquilæ*, vt Spiritu volent, suaq; opera à terra ad cœlum exaltent: *current, & non laborabunt*, propter delectationem, qua Deus illorum *corda delatat in via diuinorum mandatorum: ambulabunt, & non deficient*, sed perseuerabunt in operibus obsequij eius, donec gloriæ coronam obtineant.

Psal. 118. 32.

15. *Speculum.*

HÆ sunt præcipuæ regulæ, ac perfectionis documenta frequenter tibi relegenda, in quibus tanquam in *speculo* quodam te aspicias non vt statim h *obliniscaris*, quid videris, sed vt, quod obliquum ac turpe est, reformes: quod verò bonum & Sanctum, perficias.

h *Iac.* 1. 23.

Examen conscientiæ.

SINGVLIS etiam noctibus, antequam incumbas, *examinandum* esset, an eo die hæc documenta benè obseruaueris; ac Deo gloria reddenda, gratiæque agendæ de omni *bono*, quod feceris; de *malo* verò dolendum ac pœnitendum; & statuenda firmiterque proponenda in sequentem diem emendatio. Et hac ratione exequeris quod dixit Michæas Propheta: i *indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum & quid dominus requirat à te: vtique facere iudicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo*: qui abundè remunerabit curam & solicitudinem, quam in his regulis obseruandis posueris: suspiciens ipse paternam rerum tuarum curam & solicitudinem. Et (vt Apostolus dixit) k *quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei*, quia donis suis te in *hac* vita implebit, pignusque dabit, quod in *altera* sit fœliciſſimam claramque sui visionem daturus in æternum,

i *Mich.* 6. 8.

Deus curat curantes se.

Amen.

k *Gal.* 6. 16.

TRACTA-

TRACTATVS QVINTVS,

DE STATIBVS MATRIMONII ET VIDVITATIS, ET VTRIVSQVE perfectione.

CAPVT I.

MATRIMONII INSTITVTIO, ET LEGES: quod, quà Sacramentum dat coniugibus Christianis gratiam ad propriam sui status perfectionem consequendam.

AGGREDIAMVR nunc tractationem de statu MATRIMONII, adeò proprij Reip. sæcularis, vt eius limites non transgrediatur. Eius author & primus institutor fuit ipsemet DEVS in Paradiso terrestri; & quidem in fœlici illo statu innocentiæ: quod ipse *reuelauit* Adamo in sopore illo, siue *ecstasi*, in qua fuit, cùm ex eius costa DEVS ædificaret mulierem, & postquam fuit excitatus Adam, aperuit quid sibi fuisset reuelatum; dicens: a *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo Patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: significans mysterium illud, quòd ex eius *costa* mulier esset ædificata, indicare summam *coniunctionem*, quam habere deberent inter se coniuges, tam in *spiritu* per amorem & voluntatum conformitatem; quàm in *corpore* per habitationem & coniunctionem ad filios generandos: vt *terra* primùm, & posteà *cœlum* hominibus impleretur.

Matrimonij author Deus.

a Gen. 2. 22.

Coniugium

QVÆ coniunctio & amicitia adeò arcta esse debuit, ac perpetua, vt propter eam *relinquerent Patrem & matrem*, nec à se inuicem separarentur vsque ad ipsam *mortem*. Quemadmodum Christus Dominus

b Mat. 19. 6

Noster declarauit, tribuens DEO prædicta verba Adami, cuius *inspiratione* ille ea protulerat: quibus ipse CHRISTVS adiecit: b *quos Deus coniunxit, homo non separet*: quibus verbis apertè significat, DEVM ipsum fuisse huius coniunctionis authorem; & legum huius status propriarum, & nominatim *quatuor* præcipuarum, quæ in prædictis verbis insinuantur, & iam paulatim explicabuntur.

§. I. *Leges, Officia & Finis matrimonij.*

I. *Indissolubile.*

PRIMA lex MATRIMONII est *indissolubilis* nodi ac vinculi per totam vitam: quemadmodum enim nemo potest à seipso, quam diu viuit, separari: ita duo coniuges, qui per matrimonium fiunt vna caro, non possunt ab inuicem separari, dissoluto vinculo: quo adeò arctè tenentur. neque enim potest homo, quod Deus fecit, dissoluere; nec licet vlli sese ab ea persona separare, cum qua Deus eum hac ratione coniunxit.

Ei 3. de Tr. c. 38. Consensus vxoris requiritur.

ADEO vt (sicut Rupertus Abbas perpendit) quamuis liceat Christiano se à patre suo & matre separare, etiam contra ipsorum voluntatem, vt religiosum statum adeat: à propria tamen vxore se separare, ipsa contradicente, non licet. Quare cum Moyses in Deuteronomio de filijs Leui dixit, c *qui dixit patri suo & matri suæ nescio vos: & fratribus suis: ignoro vos: vt custodirent eloquium Dei, pactumque eius seruarent*, quod cum eo iniuerant: nullam facit *vxoris* mentionem: quia non permittit lex, propter hanc causam, illam dimitti, nisi in talem separationem illa consentiat: vt DEO magis seruire possint.

c Deu. 33. Non parentum.

d Deu. 24. Mat. 2. 6. Repudium ex dispensatione. S. Th. 1. 2. 102. 4. 5 ad 3. Vide Thom. Sanchez l. 10 D. p. 1. Conuersio infidelis soluit vinculum.

ET quamuis antiqua lex Iudæis permitteret, ob duritiem cordis eorum, vt possent d *vxoribus suis dare libellum Repudij*; (quòd multi graues Doctores affirmant, fuisse tunc licitum, eò quòd ipse DEVS, qui eos coniunxerat, *dispensabat*, vt *naturale* vinculum dissolueretur) At CHRISTVS Dominus Noster dispensationem illam, & priuilegium reuocauit, reduxitque illud vinculum ad naturalem suum statum, quem in suis habuit initijs, duobus tantum casibus exceptis. *Primus* est in fauorem Christianæ religionis: quando alter coniugum infidelium ad eam conuertitur: alter verò nec vult conuerti, nec ei cohabitare: aut, si cum eo manere velit, id facit cum *iniuria Creatoris*, aut eum instigat, ad *peccandum*: nam tunc, conuersus manet liber à vinculo *naturali*, quo erat illi coniunctus: vt liceat illi cum altero inire matrimonium, ex *dispensatione* ipsius Christi Domini Nostri quam declarauit Apostolus, cùm dixit: e *quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, ne possit, si velit, nouum cum alio matrimonium contrahere

Et ita definiunt ac declarauit Ecclesia, non faciens nouam constitutionem, sed explicans, quam Apostolus posuit. Quia noluit Christus Dominus noster in his casibus obligare infideles, qui ad Fidem conuertuntur, ad seruandam perpetuam castitatem.

Secvndvs casus est in fauorem status *religiosi*, quando matrimonium non est adhuc carnali *copula* consummatum: nam si alter illorum religionem ingrediatur, & professionem in ea emittat, alter manet liber; vt cuicunque voluerit, per matrimonium se coniungat, quod semper Ecclesia Catholica tenuit, & Concilium Tridentinum declarauit, eò quòd Christus Dominus noster voluerit in hoc casu dispensare, vt Euangelicæ legis perfectionem magis ostenderet, quæ pluris facit vinculum Voti solemnis religiosi, quam *matrimonii* non consummati.

Secvnda lex matrimonij imperabat *duorum* tantum inter se coniunctionem, ita vt nec mulier plures viros; neque vir plures vxores simul habere possent: quam legem indicant illa verba: e *erunt duo in carne vna*, neque enim absque causa *duorum* tantum mentionem fecit Devs; & ex costa Adæ *vnicam* tantum fecit mulierem, quamuis æquè potuisset plures: vt intelligeremus, naturalem huius status legem esse, vt duo tantùm coniungerentur. Sed quamuis nusquam inueniatur dispensasse Devm, vt mulier plures viros habere deberet, (quemadmodum Sanctus Augustinus perpendit) quia hoc fuisset contra principalem matrimonij finem, filiorum scilicet generationem: sed in antiqua lege dispensauit, vt vir posset plures vxores habere, quemadmodum habuit f *Abraham*, g *Iacob*, h *Dauid*, & alij. At in lege Euangelica Christvs Dominus noster matrimonium reduxit ad primum suum statum: cùm dixit: i *quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Lex enim Euangelica est lex pacis, vnionis, & charitatis: vxorum autem multitudo in eadem domo erat huic *paci* contraria: quemadmodum constat ex rixis inter k *Saram*, & *Agar*; l *Liam*, & *Rachaelem*; m *Annam*, & *Phenenam*; quare voluit Christus Dominus hanc rixarum occasionem remouere & vt lex gratiæ haberet huius status perfectionem, quam habuit in statu Innocentiæ.

Tertia lex matrimonij erat, vt coniunctio hæc fieret inter personas, quæ ante illam non essent vna, sed *duæ*: hoc est ne essent sanguine iunctæ: illa enim coniunctio non benè conuenit huic statui. Quod significauit Adam cùm dixit: k *relinquet homo Patrem suum & matrem suam: & adhærebit vxori suæ*, his verbis significans nec *Patrem* cum filia, nec *filium* cum matre posse huius status coniunctionem facere: eò quòd filij censeantur esse *vnum* quid cum Parentibus. Eadem verò prohibitio extenditur ad *fratres & sorores*, & Ecclesia hanc prohibitionem extendit vsque ad *quartum*

Innoc. 3. c. 4. de Diuortijs. Vide Tho. Sanchez l. 7 Disp. 74.

Votum solemne. Sess. 24 de Matrim. can. 6. Sanchez l. 2. Disp. 19.

2.

c Gen. 2. 24. *Bigamia. Poligamia sublata. Lib de Doctr. Christ. c. 12 & li. de bono coniug. c 17.*

f Gen. 16. 3.

g Cap. 29.

h 1. Reg. 18. 28. & c. 25. 42.

& 2. Reg. 11 27. *Trid. sess. 24. de Matrim. can. 2.*

i Mat. 19. 9.

k Gen. 10. 3.

l Cap. 30. 6.

m 1. Reg. 1. 6.

3.

k Gen. 2. 24.

Extra gradum quartum.

gradum consanguinitatis, vt pax, concordia & amicitia, quam efficit natura inter cognatos ratione sanguinis, extenderentur per matrimonium etiam ad *extraneos*. Quod matrimonium, cùm fuerit institutum in remedium concupiscentiæ carnis post primum peccatum, non eam cohibuisset moderatè, si amor *sanguinis* amori *vxoris* coniungeretur: vterque enim amor nimium stimulasset concupiscentiam, & ansam præbuisset, vt ab ea vrerentur.

4. *Consensus liber.*

QVARTA lex est *mutui consensus*, quem vterque *liberè* præbeat: vt vinculum, & solidum, & perpetuum esse possit. Quam legem significant illa verba: *relinquet patrem suum & matrem*, & cum amore *adhærebit vxori suæ*: quod non fieret, nisi libera & spontanea vtriusque voluntate, qua vellet vterque perpetuam hanc coniunctionem, & amicitiam cum altero contrahere. Ac propterea ipsemet DEVS, qui hunc statum instituit, voluit esse primus *paranymphus*, & qui de matrimonio contrahendo ageret, illudque promoueret: nam statim atque Heuam ædificauit (ait scriptura) l *adduxit eam ad Adam*: non quòd ab illo distaret, quam prope ipsum ædificauerat; sed vt significaret, se ex tunc illam ei tradere in vxorem & sociam: matrimonij intuitu, & causa, & vt etiam intelligeremus matrimonia ordinariè debere fieri inter præsentes, vt se mutuò videant, alter alterum agnoscat; & vterque sciat, cui coniungatur; audiatque verbum, quo alter internum suum sensum exprimit: & ita vnio sit firmior absque illis incommodis, quæ euenire solent: quando talis contractus initur inter *absentes*.

Deus paranymphus.
l Gen. 2. 22.

Inter præsentes.

Vxor virum sequatur.

Duplex matrimonij finis.

NON dixit autem scriptura, quòd DEVS Adamum duxerit ad Heuam, sed Heuam ad Adamum: non enim vir vxorem; sed vxor, virum sequi debet; cùm ille *caput* sit mulieris: & admittere debeat in domum suam, esseque eius gubernator.

I.

Ex HIS sequitur, matrimonium habere *duos* fines, & quidem proprios: quorum causa necesse fuit illud institui in ipso mundi exordio. *Primus* est *multiplicatio* ipsius humani generis, quæ non nisi hac via *licitè* fieri potest. Hunc finem expressit DEVS Adamo & Heuæ, post quam illos condidit, cùm dixit: m *crescite & multiplicamini, & implete terram*. Quibus verbis etiam promulgauit *naturale* præceptum hunc statum in eum finem suscipiendi; quod præceptum (teste Sancto Thoma) tum temporis omnes homines *obligabat*, eò quòd ad conseruationem erat necessarium. Sicut obligabantur ad *comedendum*, quia id erat ad vitam conseruandum necessarium. Nunc autē non omnes obligat hoc præceptum: (quemadmodū hæretici ad laxandas suis voluptatibus habenas confingunt) nisi tempore præcisæ alicuius necessitatis; cùm ad hominum propagationem in aliqua prouincia id esset necessarium. Et nec tunc (vt idem Sanctus narrat) omnes in particulari

m *Gen.* 1. 28. & c. 8. 17. & c. 9. 1. *In 4. sent. d. 26. q. 1. a. 2.*

Ob multiplicationē olim matrimonij lex obligabat.

obligaret;

obligaret; sed tantum designatos ab ipsius Reipublicæ capitibus, qui talem habent authoritatem, vt in huiusmodi necessitate aliqui matrimonium contrahant in bonum totius Regni. Sed hoc tempore, aut *nunquam*, aut *rarò* talis occurrit necessitas, sed vniuersim vera est sententia Apostoli dicentis: omnes habere *potestatem suæ voluntatis*, vt eligant liberè statum *continentiæ* aut *matrimonii*: ita tamen, vt in electione seruent leges, quas postea indicabimus. 2.2.q.51.a.12.ad 2. 1.Cor.7.37.39.

Secvndvm officium & finis matrimonij conuenit ei post Adæ peccatum, vt remedium sit & medicina *concupiscentiæ* carnis, quæ post illud peccatum effrænis mansit, & nisi hoc licito remedio illi fuisset subuentum, facilè præceps ruisset in illicita. Quamobrem dixit Apostolus: n *propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.* Quia neuter potestatem habet sui corporis, sed alter. Ne autem aliqui Christiani existimarent his verbis, omnibus imponi præceptum ineundi matrimoniũ, subiunxit: *hoc autẽ dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*, quasi diceret: non est hoc *præceptum*, quòd obliget; sed *permissio* quædã rei minus bonæ; alioquin bonum *est homini mulierem non tangere*, sed ad fugiendam fornicationem, quæ adeò graue peccatum est, licet ijs, qui liberi sunt, vxorem ducere, *ne vrantur*, adhibito hoc medio à Deo instituto ad carnis ardores absque culpa mitigandos. 2. *Permissum in remedium concupiscentiæ.* n 1.Cor.7.2.6. *Versu.9.*

§. II. *Matrimonium, quà est Sacramentum.*

Sed quoniam vterque finis prædictus matrimonij est valde *humanus*; voluit Deus Dominus noster illud in lege Euãgelica honorare. Quamobrem Apostolus illud appellauit a *honorabile connubium*, magno scilicet honore dignum: nec fuit exiguus ille, quod verbum diuinum incarnari voluit & nasci ex muliere *coniugata*, quamuis Virgine. Et initio suæ prædicationis illud *approbauit*; suaque præsentia, & sanctissimæ suæ matris ac Apostolorum honorauit; nuptialique conuiuio magnum splendorem attulit, *primo* miraculo adhibito, quo aquam in vinum conuertit, vt defectum suppleret, quo conuiuæ laborabant: quo facto prodigioso insinuauit id, quòd postea gessit: ad illud adhuc magis honorandum; dum constituit, vt ipsum matrimonium verum esset Ecclesiæ suæ *Sacramentum*, per quod spiritualiter aqua conuerteretur in vinum, tribuens *vinum charitatis* susscipientibus hunc statum, qui ex se est tanquam *aqua* frigidus & humidus, & occasionem præbet vitæ remissiori, & in culpas multas labili. At per gratiam & a *Heb.10.14. Christus honorauit matrimonium.* *Sacramentum.*

charita-

charitatem, quam contrahentes accipiunt, fiunt sancti, fortes, & puro amore & Christiano inflammati, ac robusti ad furiosos carnis impetus reprimendos ; ita vt absque spiritus detrimento proprium suum finem consequantur; *filios* scilicet generare, & educare, ad cœlos ornandos. Hunc totum honorem & matrimonij excellentiam declarauit Apostolus, cùm enim retulisset verba Adami, dicentis: *relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, statim subiecit: b *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, hoc est; magnum est Sacramentum, quia magnus est finis, ad quem Deus illud exaltauit: ad significandum scilicet altissimam illam *coniunctionem*, & supremam *verbi diuini Incarnati* cum *Ecclesia* sua vnionem.

b Ephes. 5. 32

Trid. sess. 24. de matrim. Christi cum Ecclesia vniones duæ.

1. Charitatis.

2. Hypostasis.

Qvod verbum diuinum; cùm descendit è cælo, & venit in mundum, reliquit *Patrem* suum, accipiens per Incarnationem formam hominis: matrem quoque suam *synagogam* reliquit, seque *Ecclesiæ* sponsæ suæ coniunxit, tanta firmitate, vt nulla potestas, nec mundi, neque inferni sufficiat hanc vtriusque coniunctionem dissoluere. Si tamen vnio dicenda, & non potius *vniones*, cùm sint duæ. *Altera* charitatis ob amorem vtriusque mutuum, & hæc est indissolubilis ac perpetua cum tota Ecclesia; in qua nunquam vsque ad finem mundi deerunt *Iusti*: licèt in singulis illorum culpa sua deficere possit. Altera vnio est adhuc perfectior, ob *hypostaticam* cum humana natura vnionem; in qua factus est vnum quid cum sua Ecclesia: Et hæc vnio adeò firma est, & indissolubilis, vt nunquam dissoluenda sit: nam *quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Ex quo fit, vt quemadmodum hoc Sacramentum *signum* est *vtriusque* vnionis, ab eis illis eueniat *firmitas* & *excellentia*: & quoniã hæc signa in lege gratiæ nõ sunt inania aut vacua, sicut erant in antiqua, efficiũt in Sacramento gratiã, quã significant; vt cõiugati in vita sua imitẽtur puritatẽ & sanctitatẽ, quã illa significant. Cuius causa fuit; quod, cùm CHRISTVS Dominus noster matrimonio adiecerit aliqua *onera* grauiora, quam essent in lege antiqua: necesse fuit, nouam eidem *gratiam*, nouaque auxilia addere, quibus portare illa posset. Cùm enim nulla iam sit potestas in terra, quæ dissoluere possit matrimonium *consummatum*; neque *plures* vxores permittere: (vt iam est dictum) sæpè coniuges etiam inuiti cogerentur in aliquibus casibus esse perpetuò conti nentes: qualis esset ille, quo alter eorum graui & incurabili *morbo* perpetuò laboraret; aut ob aliquam grauem culpam; aut etiam sine culpa ab altero *discederet*; aut si fieret *furiosus*, taleue *mores* indueret vt periculum esset illi cohabitare, aut si laberetur in *adulterium*; & alter propterea nollet amplius illi cohabitare. Cùm enim iam non liceat libellum dare Repudij, nec secundam ducere vxorem: necesse

Sacramentum dat gratiam pro nouis oneribus.

Continentia sæpe necessaria Coniugatis.

est ser-

est seruare continentiam, ne *sextum* Legis Dei præceptum transgrediantur: ad hoc igitur valde copiosa gratia fuit necessaria: vt furiosi concupiscentiæ impetus possent cohiberi. Senserunt Apostoli huius *oneris* magnitudinem, cùm audientes Christum, hanc doctrinam proponere, admirati dixerunt ei: c *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Sed Sapientissimus magister cum summa prudentia respondit rectè ad interrogata: ne aut matrimonium, quòd aliàs est licitum, *reprobaret*, aut ad illud accipiendum, quod esset adeò graue *exhortaretur*. Item quia quibusdam *expedit* hoc onus, ob aliquos diuini obsequij fines, suscipere; alijs verò non expedit: vt alia egregia magis & gloriosa suscipiant. Et ita respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: quia donum hoc, & gratia sublimis est valdè, & omnem naturam excellit: Reliqui benè poterunt matrimonium inire diuina enim misericordia, quæ nunquam negligit, subsidium in necessitate adferre: auxilium præbebit alio modo *gratia*, vt matrimonij onera ferre possint, faciens auxilio suo facile iugum, quod sine illo fuisset grauissimum.

c *Mat.19.10*

Dei suauis prouidentia in distribuendo statu.

Præterea cùm matrimonium post peccatum Adæ fuerit institutum in carnalis concupiscentiæ remedium: fuisset valde exiguum, nisi Deus *gratiâ* suâ subueniret, & imbecilli naturæ faueret: quæ in ipsius matrimonij vsu, etiamsi alioqui licito, instar bestiarum sese effundit. Quemadmodum S. Raphaël significat Tobiæ, reddens rationem, cur dæmon septem viros Saræ occidisset *prima nocte nuptiarum, antequam illam attingerent*: d *hi namque qui coniugium ita suscipiunt vt Deum a se & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem, cùm acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea: & tunc accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus.* Hoc consuluit Angelus Tobiæ, & in eo omnibus coniugatis. Sed Christus D. N. qui consilium illud probat, specialem quoque dat *gratiam* ad illud exequendum: eleuans matrimonium ad dignitatem Sacramenti: vt Status huius *sanctitatem* propriam efficiat: ita vt (quemadmodum dixit Apostolus) e *vnusquisque sciat suum vas possidere in sanctificatione & honore*: nec patiatur se ab effræni sua passione trahi, sicut gentes quæ non nouerunt Deum; sed operam det, vt f *honorabile sit connubium in omnibus, & thorus immaculatus*; seruetque conditiones omnes, & circumstantias, quæ actum illum purum & sanctum faciunt. Huc accedit, quod coniugati debeant semper simul habitare, quodam genere *amicitiæ* strictioris, quàm sit vlla amicitia humana: & quoniam opera Dei sunt perfecta, idque multò amplius in lege *Euangelica*, quæ lex est *perfectionis*: voluit, hanc humanam amici-

Tob.7.6.1.

Sanctitas coniugalis.

e1 *Thes.4.4*

f *Heb.13.4.*

Coniugum charitas.

tiam exaltare, & facere etiam supernaturalem & diuinam: quia ipsummet sacramentum matrimonij coniugatis communicat coniunctionem *charitatis*, quæ est amicitia supernaturalis: qua possunt se mutuò diligere: non humano solùm amore, sed etiam diuino: & *natura gratiaque* vnà ambulantibus: quasi vento ad puppim flante, ad viæ terminum fœliciter peruenire. Quod ipsum præstat etiam charitas modo quodam singulari: nam, (vt benè perpendit Cassianus) nulla huius vitæ amicitia potest esse perpetua, nisi in *charitate* funderur: quæ sola ex seipsa est amicitia æterna: ita vt quamuis vir & vxor; parentes & filij; fratres & amici, arctissimam habeant amicitiam toto huius vitæ decursu: si quis tamen illorum sine charitate moriatur, manebit amicitia in æternum dissoluta: quia nec amicitia vera esse potest inter eos, qui sunt in inferno; nec cum eisdem possunt, qui in cælo sunt, amicitiam vllam habere. Cupiens igitur Christus D. N. amorem & vnionem coniugum esse æternam: dedit eis cum sacramento gratiam, & charitatem, cuius virtute eam possint consequi nisi sibiipsis desint.

Coll. 16. ca. 3

Charitas amicitiam perennat.

4. *Perfectio coniugum.*

DENIQVE gratia hæc maximi momenti erat, vt rectè filiorum educationi, alijsque operibus huius status proprijs melius attenderetur. Licèt enim status ipse in se sit imperfectus, oportet tamen in eo Christianam *perfectionem* procurare: quæ medijs, in sequentibus capitibus indicandis, obtineri poterit: in quibus fusiùs explicabuntur, quæ hic summatim sunt tacta.

CAPVT II.

PROVIDENTIA DEI CIRCA VOCATIONEM ET Electionem Status Matrimonij & varia circa illas documenta.

NON solùm DEVS Dominus noster *author* est Status Matrimonij, vt dictum est, sed speciali quoque prouidentia *vocat* & inclinat quos vult, ad illud ineundum, ita respiciens & attendens ad *vniuersale* bonum *humani generis*, ad cuius *conseruationem* (si per *honestum* medium propagandum sit) est *necessarium* vt etiam attendat ad *particulare* bonum ipsorum hominum: eos tantùm ad illud vocando, quos occulta sua prouidentia non vocat ad *altiorem* Statum, qui est *continentiæ*: quamuis vtrumque sit donum Dei: cuius vocatione Status distribuuntur diuersis hominibus, cùm dicat Apostolus: a *vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* hoc est, alius habet à Deo Statum *continentiæ*, alius *matrimonii*: quia ipse prouidentia

Omnis vocatio donum Dei. a 1. Cor. 7. 7

dentia sua illos distribuit, prout sibi placet, & hominibus expedit. Et quamuis matrimonij Status sit imperfectus: non tamen elucet minus prouidentia diuina in vocatione ad eius electionem: quàm in alterius perfectioris per vias & media, initio primi Tractatus indicata. Omitto medium *Reuelationis*, qua solet Deus voluntatem suam aliquando manifestare, quemadmodum reuelauit b *Adamo* matrimonium *cum Heua*, & Prophetæ Oseæ cum c *muliere* nomine *Gomer*: huiusmodi enim reuelationes sunt *raristimæ*: quamuis loco illarum soleat vehementes *impulsus* & instinctus mittere ad id: quod ipse intendit: præcipuè si præcesserint multæ *orationes*, & aliæ humanæ diligeniæ, quæ huiusmodi electiones meritò debent præcedere. Prætereo etiam medium *præcepti*, quod etiam est signum diuinæ voluntatis iubentis & volentis, vt tale matrimonium contrahatur: quia hoc præceptum (vt paulò antè dictum est) iam cessauit, nisi fortè *Princeps* aut Prælatus illud imponeret in commune bonum totius regni: aut per illustris alicuius familiæ: quia tunc etiam esset censenda Dei vocatio. Extra quē casum, matrimonium est semper liberum: & Concilium Tridentinum tulit sententiam *excommunicationis* in Dominos, aut magistratus, qui quocunque modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, minùs liberè matrimonia contrahere: cum maximè, inquit, nefarium sit, matrimonij libertatem violare; cuius onus, eò quòd perpetuum & graue alias sit, esset intolerabile, nisi valdè & liberè & sponte susciperetur.

Hoc ipsum tamen obligat eos, qui matrimonium inire velint, vt rem totam diligentiùs attendant, & perpendant: vt secundùm Dei voluntatem fiat, iuxta illud Apostoli d *Vidua, cui vult, nubat: tantùm in Domino*. Quid autem est (ait Sanctus Basilius) *nubere in Domino*, nisi vt ita nubat, sicut Deus vult? hoc est, non tanquam carnaliuni voluptatum mancipium, aut à suo tantùm palato & corrupto appetitu tractus, aut ob fines sensuales, & terrenos, aut per media illicita, & non satis proportionata: sed præmissa magna consultatione, & prudenti ac tranquilla deliberatione, & in fines ac per media, quæ Deus constituit & approbauit: perpendendo præcipuè *tria*, in quibus dubium aliquod subesse solet.

Primvm est in ipsa Electione accipiendi aut non accipiendi hunc Statum: nam licèt aliqui à iuuentute sentiant se ad eum suscipiendum propendere, ideoque animo deliberato constituerint, illum suscipere: nec de contrario quicquam dubitant: alij tamen valdè *dubitant*, & perplexi sunt: quia varios internos impulsus sentiunt, valdè inter se repugnantes. nam aliqui impellunt ad statum continentiæ, aut religionis, ob statum illius maiorem perfectionem, & ad salutem consequēdam securitatem: Sed alij tamen impellunt ad statum matrimonij, tanquam suæ imbecillita-

à cap. 3. vsq; ad 6. & Tractat 4. cap. vlt.

b *Gen. 2. 22.*

c *Osea. 1. 3.*

Impulsus & Præceptum rara.

Matrimonij libertas.

Sess. 24. de matr. c. 9.

d *1. Cor. 7. 39.*

Ib. de vera virginitate, In Domino nubat.

1. *Qui dubitat debilitat.*

ti magis proportionatum: subuerentes, se non posse statui perfectiori satisfacere: & his cogitationum & sensuum internorum fluctibus agitati hærent, donec certò decernant, sequentes documenta & regulas in loco paulò ante allegato positas.

2. *Vide, cui iungaris.*

SED mox secundum accedit dubium, quod vniuersim omnes torquet, cupientes hunc statum suscipere: quia scilicet non sciunt *quem* eligant coniugem, vt pacem & solatium optatum consequantur, cùm facilè in hoc contingat errare: & semel admissus error sit irreparabilis, eò quòd status sit pertingat errare: & semel admissus error sit irreparabilis, eò quòd status sit perpetuus: estq; talis error valde periculosus & noxius: nam discordia inter cõiuges nimium radicata, est quodãmodo initium *duplicis inferni: alterius* quidẽ in hac vita, cum innumeris *peccatis* & perturbationibus; *alterius* verò in altera, cum horrendis & æternis *cruciatibus*.

3. *Circumstantiæ considerandæ.*

HVIC dubio accedit tertium de ætate, tempore, & loco, alijsque aptis circumstantijs, vt Electio sit plenè recta. Cuius rectitudo dependet præcipuè ex paterna Dei nostri prouidentia, quæ nobis innotuit in memorandis aliquibus casibus, quos refert Scriptura diuina, quorum *tres* referam magis iucundos, eò quòd pleni sint documentis vtilibus, & aptis ad cognoscendam Dei voluntatem, & faciendam rectam Electionem.

§. I. *Matrimonium Patriarchæ Isaac cum Rebecca.*

PONamus *primo* loco matrimonium Isaac cum Rebecca, quemadmodum Scriptura sacra illud refert hisce ferè verbis: erat a *Abraham senex dierumque multorum, dixitq; ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat, petitque ab eo iuramentum per Dominum Deum cæli & terræ, vt non acciperet filio eius Isaac vxorem de filiabus Chananæorum, sed ad terram, inquit, & cognitionem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac. Cui respõdit seruus: si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es? Dixitque Abraham: caue ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo Patris mei, & de terra nationis meæ, & dedaxit in hanc, ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo. Si autem mulier noluerit sequi te, non tenebris iuramento: filium meum tantum ne reducas illuc: iurauit itaque seruus super sermone hoc: tulitque decem camelos de grege domini sui, & abiit; ex omnibus bonis eius portrans secũ, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor, in qua habitabat pater Rebeccæ cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteũ aquæ, vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiã cum Domino meo Abrahã: Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorũ huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam: igitur puella cui ego dixero inclina*

a Genes. 24.

a Genes. 24.

hydriam

hydriam tuam vt bibam: & illa respondent: bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quã praparasti seruo tuo Isaac. Et per hoc intelligã, quod feceris misericordiã cum Domino meo. necdũ intra se verba compleuerat & ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, virgoque pulcherrima, filia Bathuel ex cognatione ipsius Abrahami, descenderat autẽ ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritque ei seruus Abraham, & ait: pauxillũ aquæ mihi ad bibendum prabe de hydria tua. Quæ respondit: bibe Domine mi: celeriterq; deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potũ. Cumq; ille bibisset, adiecit: quin & camelio tuis hauriam aquam, & ita fecit. Ipse autẽ contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non: quod tamen fœliciter hac via illi euenit iuxta desiderium suum. Sed operæ pretium est in lucem proferre admirabilia documenta, quæ in hac historia latent, vt qui hunc statum suscipere auent, fiant digni admirandis eius effectibus, à diuina prouidentia prouenientibus.

1. *Vide Pereriũ c. 24. Genes. Isaac obedientia.*

Primvm: *Isaac* est perfectissimum exemplum eius, quod boni filij, in bonorum Parentum domo manentes, facere debent: nam cùm ætatem haberet iam sufficientem, adeò fuit subiectus & obediens Parenti suo Abraham, eiusque curæ ita se totum commisit: vt de matrimonio ineundo solicitus non esset: in omnibus & per omnia, parentis sui sancti decreto & voluntati se ipsum committens. Et quamuis Parens decreuisset, ne vxorem acciperet ex regione illa, in qua habitabat; sed ex remota adduceretur: nihil contradixit, nec replicauit. Et quemadmodum benè perpendit Rupertus: etsi esset *iuuenis*: satis tamen ostendit modestiam, & castitatem suam; cùm non concupiuerit mulierem, quam oculis suis primùm aspexisset; sed paratum se obtulerit, eam accipere, quam pater eius, & Deus per illum ipsi designarent. Et quamuis potuisset ipsemet in Mesopotamiam ire, vt sibi vxorẽ quæreret, quemadmodum postea, euenit Iacob filio eius: noluit tamen, nec in puncto à parentis voluntate discedere, sed negotium adeò graue Præfecto domus patris sui cõcredidit: didicerat enim confidere diuinæ prouidẽtiæ, quæ solet prospicere filijs, qui se totos parentibus suis, Deum in eis agnoscentes, subijciunt.

lib. 6. in Gen. ca. 38.

2. *Abrahami sollicitudo.*

Sed quid dicemus de sancto sene *Abrahamo*, eiusq; ad filio suo prospiciendum zelo? inprimis enim, cùm ipse non posset de hoc negotio per se ipsum agere; neque expediret, filium ipsum ad illud tractandum proficisci, ne fortè illic remaneret: elegit in hunc finem hominem maximæ virtutis ac prudentiæ, omnium, quos domi habebat, & cui ipse maximè fidebat, famulum scilicet nomine *Eliezer*, hominem senem, cui suarum facultatum & familiæ gubernationem crediderat; & quem, ob eius virtutem sibi notam, cogitabat, si filium non haberet, b *ipsum facere hæredem* suorum bonorum.

b Gen. 15. 2.

Quia huiusmodi negotia non debent iunioribus;& parum expertis; aut cupidis, & laxioris conscientiæ hominibus committi; sed *prudentibus* ac virtuosis,qui nostris rebus ita consulant,atque si propriæ ipsorum essent;& in eis Dei voluntatem quærant. Hac electione facta *duas* Patriarcha cum

3. suo hoc præfecto conditiones, seu capita duo constituit:quæ maximi erant momenti pro ijs,qui cogitant hunc statum suscipere.

PRIMA fuit, ne vxorem filio suo acciperet ex filiabus Chananæorum, inter quos ille degebat, etiamsi nobiles essent, diuites,& forma elegantes: quia erãt *idololatræ*, & prauæ generationis, ac morum, qui potuissent esse filio suo pernicioſi. Quo exemplo (vt Sanctus Ambrosius aduertit, docuit,matrimonium non esse ineundum præcipuè ob *diuitias* & possessiones: sed primum(inquit)in coniugio *religio* quærenda, & gratia bonæ *indolis*: confundendo hac ratione (vt ait Sanctus Chrysostomus) & improbando illorum imprudentiam, qui pluris faciunt amplas *dotes*, quàm magnas *virtutes*: siquidem absque virtutis fundamento, ac natura docili& benè morata,nec concordia esse poterit, nec status hic fœlicem habere exitum. *Secunda* conditio fuit: vt si mulier,quam ibat quæsitum,nollet cum ipso venire,ne propterea filium suum Isaac vnquã eò deduceret:Deum enim iussisse, ipsum exire de terra illa, dicens ei:c *egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo Patris tui*: quod mandatum ipse vellet exactè seruare; nec permittere, vt filius suus aliquando ad eam reuertetur: Item ne contradicere videretur promissioni Dei, qua dixerat: d *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ: omnem terram Chanaan in possessionem æternam*:quod non haberet speratum euentum,si eius filius ab ea recederet.ne verò Præfectus ille conscientiam suam ob iuramentum præstitum grauaret,adiecit ipse:in eo euentu nolle, illum teneri ad explendum iuramentum.Quid autem hoc aliud fuit, quàm docere eos, qui statum aliquem accipiunt,non debere in vllo casu conditionem aliquam admittere, vel inserere, quæ *diuinis præceptis* repugnet: etiamsi aliquam *speciem religionis*, aut pietatis habere videretur. Non enim fœlicem euentum habere quod contra diuina mandata militat; nec Deus prætermittet eorum conatibus fauere, qui certò statuũt,quamcunque propriam commoditatem relinquere potiùs,quàm diuinæ ipsius voluntati contradicere.

4. HINC *quartum* oritur documentum, quod elucet in hoc Abrahami facto,totam suam fiduciam in Deo collocãtis,vt voti sui compos fieret: quod illa verba indicant: *Dominus Deus cæli ipse mittet Angelum suũ coram te, & accipies inde vxorẽ filio meo*:Hoc etiam significans, *Angelos* ad quos spectat in huiusmodi occasionib. exequi diuinæ prouidẽtiæ media. (vt mox videbimus) ad futuros,rẽq; totam ad optatũ finẽ directuros.Benè conscius erat sanctus

ille

lib.1. de Abraham.c.9 n n Virtus post nũmos Homi 48. in Genes.

c Gene. 12.1

d *cap. 17.8. Diuina præcepta nulla specie boni violanda.*

ille Patriarcha viriſſimæ illius ſententiæ, quam poſtea Salomon ſcriptã reliquit: *e domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens*: cuius hic ſenſus; quòd quamuis carnales parentes filijs ſuis diuitias largiantur, & vxores illis procurent; ſed quòd rectè, quã cuperent, attingant, hoc nõ ab ipſis patẽtibus prouenit, ſed à cœleſti *Patre*. ſic.n. idẽ Sapiens ait: *f datũ Dei eſſe mulierem ſenſatã, & tacitã*. Idem verò erit de viro. Cùm igitur optatus hic euentus à Deo proueniat: in eo eſt collocanda fiducia: vt induſtriæ ac diligentiæ noſtræ efficacitatem præbeat.

Viducia in Deum.
e Pro.19.14.
Eccl.26.17

Ad idẽ cõfert V. documentũ, quod ſuo exẽplo dat nobis *Eliezer*, domus Abrahami præfectus: qui ex parte ſua *duo* adhibuit aptiſſima media. I. fuit *orationis*, qua Deum ſupplex orauit, ſuis vt votis, & Abrahami Domini ſui faueret: ſolẽne eſt enim apud viros iuſtos, credere, orationẽ (vt S Gregorius ait) eſſe medium aptiſſimũ ad hoc, vt quod Deus futurum conſtituit, executioni mandetur. II. medium fuit, velle examinare, eoque modo quo poſſet experiri *virtutem* ac dotes virginis, quã eſſet accepturus in vxorem Iſaac Domini ſui. Et ob hãc inter alias cauſam, (ait S. Chryſoſt.) conſtituit pro ſigno eius, quã eligere deberet, ſi petenti bibere libẽter illa daret, ſeq; offerret, ad camelis etiã potũ dandũ: ſic.n. oſtendiſſet, ſe eſſe benè moratã, manſuetam, *liberalem*, ad peregrinos propensã, & ad ſubueniẽdũ indigentib. quæ omnia valde erant conformia moribus eius, qui *ſocer* ipſius eſſet futurus, ac viri futuri: adeoq; fuerunt hæc *duo* media apta, vt propter illa Deus illum plenè faceret voti compotem. Sed ne quis circa hoc factum impingat, & alicuius detrimẽti ex eo occaſionem accipiat, aduertendũ eſt: in eo aliquid eſſe imitandum; & aliquid tantùm venerandum. Nam primo aſpectu videtur genus quoddam augurij & *ſuperſtitionis*, quod dixerit: puella quæ mihi tale verbum dixerit: illa eſt, quam Dominus elegit. Sed hoc & alia ſimilia ſigna *duobus* modis poſſunt proponi: alter eſt per ſpecialem *inſpirationem*, & inſtinctum Dei: quia ad id valde efficaciter impellit: vt hac via manifeſtet voluntatem ſuam circa id, quod ab eo petitur: & tunc nec auguria ſunt, nec ſuperſtitiones; ſed genus quoddam *prophetiæ* ab eo inſpiratæ, qui omnia nouit: quemadmodum euenit g *Gedeoni*, & h Ionathæ filio Saulis in verbis quæ à ſuis hoſtibus audiuerunt quæ tanquam certa ſigna ipſi acceperunt, victoriæ obtinendæ. Hoc igitur ſpiritu proceſſit Eliezer, quẽadmodum SS. Patres aſſerunt; nam ipſemet Deus illi inſpirauit, vt ea verba diceret, & tanquam ſignum acciperet; & ſimiliter ipſi Rebeccæ, vt eadem reſponderet: quia ſtatuerat, hac via matrimonium illud ad exitum perducere. Et vt eſſet indicium & teſtimonium, quòd Deus illi inſpiraret, præceſſit humilis *deprecatio*, & in finem bonum ac circumſpectum abſque leuitatis alicuius admixtione, ex vna, aut ex altera parte. Signa

§.

Oratio.

l.1.Dial.c.8
S.Thom.2.
2.q.83.a.2.

Homil.45.
in Geneſim.
Probatio
virtutis.

Prophetia à
Deo.

g Iudic.7.
10.15.
h 1.Reg.14.9
S.Chryſ.ſu-
pra Theodo.
q.73.in Gen.
S.Tho.2.2.
q.93.art.7.
ad 3.
Oratio.

aurem

autem, quæ ordinariè viri & fœminæ huius sæculi petunt, aut desiderant, persuadens sibi, tale verbum, aut tale opus in tali opportunitate, signum fore eius, quod facere debeant. hæc inquam (vt S. Thomas ait) auguria sunt, & *superstitiones* à dæmone iuuentæ per suos veneficos & magos: aut à leui, inani, ac fraudulento spiritu proprio excogitatæ. Et qui fiduciam suam in eis collocat, non solùm grauiter *peccat*: sed dignus quoque est, qui *decipiatur*, & contra mentem & votum illi eueniat. Neque licet ad excusationem trahere, quod Deus speciali priuilegio inspirat: nisi fortè in aliquo raro casu, in quo diuina eius maiestas similibus inspirationibus vtatur, præcedentibus etiam similibus *præparationibus*: & in rebus grauissimis: cùm vix vlla remedia humana occurrant, ad rectam in eis directionem.

2.2.95.a.7 *Superstitio à Dæmone.*

6. *Eliezer diligentia.*

SED vlteriùs adhuc progressa est prudentia & pietas Eliezer: qui non satis sibi esse existimauit, quòd ad votum signa vidisset, quæ petierat: sed *duas* adhuc diligentias adhibuit, vt certior de veritate fieret, cum magno enim silentio affectus & motus virginis perpendebat, vt exploraret, an ex animo sincero, intentione recta, & ad hospitalitatem ac virtutem propensione prouenirent: & præterea eam interrogauit cuius esset filia. vt sciret, an & hoc cum prognostico ipsius signo responderet: qui videns, omnia votis ac desiderijs suis esse conformia, *procidens in terram adorauit Deum*; & pro felici euentu gratias ei egit; eius prouidentiæ omnia tribuens, eumque glorificans: affectus enim hic *gratitudinis* optima est dispositio, vt Deus bonum perficiat, quod cœpit. Statim verò dedit virgini inaures aureas, & armillas aureas: vt gratum se ostenderet, pro accepto ab ea beneficio; & quia virgo etiam hospitium in paterna domo illi offerebat: ac denique vt eam ad sanctum finem, quam intendebat, hac ratione alliceret. Honestum enim est & licitum, cognita in eiusmodi casibus Dei voluntate, talia *munera* offerre, ad allicienda corda, ad executionem eius, quod Deus vult.

Gratitudo.

Munera.

7. *Dei voluntas adimplenda.* Gen. 14. 50

DENIQVE vir hic prudentiam suam in eo adhuc ostendit: quòd hoc negotium non cum ipsa Rebecca, sed cum eius *parentibus* & fratribus tractauerit: referens illis verè ac syncerè quæ sibi erant à Domino suo Abrahamo commissa; & *medium* aperiens, quod ad voluntatem Dei cognoscendã adhibuisset. Quod cùm audiuissent, beneque perpendissent parentes, & fratres virginis, eiusque voluntatem cognouissent: responderunt tanquã prudentes & iusti viri: *a Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum.* Nã statim atq; cognoscitur quod magis Deo placet, decet ac par est, nos illud acceptare; nec contrà aliquid adferre, aut agere: cùm illud sit quod maximè expedit. Et matrimonium; quod per hanc viam dirigetur, prosperum habebit exitum, quemadmodum hoc habuit.

8. SED ne prætereamus silentio diligentiam, & celeritatem, qua vsus est fi-

delis

delis hic seruus, vt sine mora, ad suum dominum rediret: nec pallus est, detineri se per *decem* dies, quos parentes Rebeccæ habere cupiebant, vt breui illo tempore filia sua cum lætitia frueretur: præferebat enim Domini sui Abraham, filijque eius Isaac solatium iucundæ illi tractationi & studio ac fauori quem ibi experiebatur. Et quemadmodum in deliberando prudentiæ est, *paulatim* pergere: ne festinatio aliquam adferat causam erroris: ita, deliberatione magno consilio facta, eiusdem prudentiæ est, illam *executioni* mandare, ne ex incuria aut negligentia contingat impediri.

Delibera paulatim, exequere statim.

§. II. *De matrimonio Tobiæ & Saræ.*

VBI maximè paterna Dei nostri prouidentia erga eos, quos ad hunc statum vocat præluxit, fuit matrimonium sancti iunioris *Tobiæ* cum *Sara* Raguelis filia: quod est visibile quoddam exemplar eorum, quæ *Deus* D. N. & *Angelus custos* agunt inuisibiliter cum electis, quibus statum hunc quasi propria manu ac rectissimè conferre volunt.

ERAT igitur Tobias valdè solicitus, vt a *pecuniam* quandam sibi debitam *recuperaret*, nullam interim curam habens ducendi vxorem: Sara verò anxia valde, & afflicta erat, quòd cùm septem viros accepisset, *Asmodæus* dæmõ omnes occidisset prima nuptiarum nocte, antequã illam tangerent: recordatus ergo Deus vtriusque, misit de cælo Angelum b *Raphaelem*, qui erat *vnus ex septem, qui astant ante Dominum*, vt illos in statu matrimonij collocaret. Sed quis explicare poterit amorem & solicitudinem, qua *Angelus* perfecit, quæ Deus illi commiserat? alloquitur ipsum Tobiam, *suadet*, vt Saram petat à parentibus sibi dari in coniugem: quia ita expediebat: aufert illi *timorem*, quo verebatur, ne, sicut alij septem, ipse quoque à dæmonio occideretur: dat illi optima *monita* & remedia: vt hæ nuptiæ felicem haberent exitum: quæ supra commemorauimus: alloquitur postea ipse Angelus virginis *parentem*, ac persuadet, vt non dubitet, filiam suam Tobiæ in coniugem tradere, quã Deus illi reseruasset; ac propterea non permisisset à quoquam alio viro tangi: concluditur ergo matrimonium, sicut Deus constituerat, ac direxerat. Tobias cum sua sponsa Angeli monita diligenter seruat; qui dæmonem alligauit, ne illis noceret. Et hac via ita prosperè res successit, sicut ambo optauerant. Quò ergo potuit vlterius paterna Dei prouidentia erga hos iustos peruenire, vt conuenientem eis statum daret, ita vt in quiete, diuites, & benè fortunati vitam ducerent? Multa alia media potuisset ipse adhibere, vt matrimonium illud perficeretur; sed noluit alio domus præfecto aut famulo homine vti; sed charissimo suo Angelo: vt *visibili* hoc exemplo, *inuisibilem* suam prouidentiam erga suos manifestaret, opera suorum *Angelorum*, qui illorum sunt *custodes* & solent interius

b *Tob.* 12. 15.

Raphaelis Archangeli beneficia.

Angelus custos.

terius exhortari ac persuadere quidquid necessarium est, vt rectam huius status electionem faciant. Nam *primum* inspirationibus & impulsibus suis ita omnia mouent; vt vnumquemque faciant propendere, & affici ad eam *personam*; quæ magis sit illi vsui futura, ad salutem consequendam: & ipsius *parentes* inducunt, vt annuant, efficacem illam rationem adhibentes *huic timenti Deum debetur coniunx filia tua: propterea alius non potuit habere illam*: sic enim Deus constituit, vt hic, & non alij, illam haberent.

1. *Amorem conciliat.*

c *Tob.* 7. 12.

2. *Illuminat.*

MEDIA quoque diuina & humana suggerunt, per quæ fœlix exitus obtineatur: docent, quem in finem matrimonium sit contrahendum. non ad *carnis* voluptates, quas bestiæ quærunt; sed ad benedictionem *Dei* in successione *filiorum*: impellunt ad exercitia orationis, & mortificationis, quæ præmitti debent: vt & *oratione* quidem apud eum insistant: mortificatione verò & continentia disponant se, vt exaudiantur.

3. *Dæmonem arcet.*

ALLIGANT præterea dæmones, vt nec minimum ipsos tentent; nec pios ipsorum conatus impediant.

4. d *Tob.* 9. 2. *Omnia bona largitur.*

DENIQVE tot *bona* per eosdem Angelos ipsis eueniunt, qui eorum inspirationibus ac directionibus obediunt: vt cum Tobia dicere possint: Angelo suo: d *Si me ipsum tradam tibi in seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*, qua vsus es erga me.

Ex quibus omnibus illud deducitur, quòd, qui desiderat bonam in hac re facere electionem, debeat cum *oratione & fiducia* ad *custodes Angelos* recurrere: illi enim sunt quasi inuisibiles paranymphi, Deique instrumenta ad matrimonia dirigenda, & ad finem felicem perducenda. Quare amplectenda sunt eorum consilia, quæ suggerunt: quæ ijs similia esse solent, quæ iam retulimus, per quæ felicem habebunt exitum.

§. III. *Ruth cum Booz coniugium.*

NON MINVS stupendam se ostendit prouidentia diuina in coniugio & matrimonio venerandæ *Ruth* & insignis viri *Booz*, quamuis media fuerint magis ordinaria & communia, quemadmodum constabit ex ipso sacro textu, in duobus vltimis eius historiæ capitibus. a *Post quam reuersa est ad socrum suam, audiuit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem & prouidebo vt benè sit tibi. Booz iste, cuius puellis in agro iunctæ es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat. Lauare igitur & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream. non te videat homo, donec esum, potumque finierit. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat, veniesque & discooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proiicies te, & ibi iacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas. Quæ respondit: quidquid præceperis faciã. Descen-*

a *Ruth.* c. 3.

ditq; in aream, & fecit omnia, quæ sibi imperauerat socrus. Cumq; comedisset Booz & bibisset & factus esset hilarior, isset que ad dormiendum iuxta acerum manipulorum venit abscondite, & discooperto pallio, a pedibus eius se proiecit. Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos: aut illi: quæ es? illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuã, quia propinquus es: (quasi distinctius illi diceret, vt in *coniugem* ipsam acciperet, siquidem lex illum ad id impellebat, eò quòd esset mariti sui primi iam defuncti cognatus propinquus) Et ille: Benedicta, inquit, es a Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. Quiesce hac nocte: & facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque vlla dubitatione suscipiam, viuit Dominus, dormi vsque mane. Dormiuit itaque ad pedes eius vsque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, & dixit Booz: Caue ne quis nouerit, quod huc veneris. Et rursum expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene vtraque manu. Quæ extendente, & tenete, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Quæ portans ingressa est ciuitatem, & venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narrauitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo. Et ait, ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait Nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam: dixitque Noemi, expecta filia donec videamus, quem res exitum habeat. neque enim cessabit homo nisi compleuerit quod locutus est. Ruth. c. 4.

Ascendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hic: vocans eum nomine suo. Qui diuertit & sedit: Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hic. Quibus sedentibus locutus est ad propinquum. Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quæ reuersa est de regione Moabitide, quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis eme & posside. sin autem displicet tibi hoc ipsum, indica mihi, vt sciam quid facere debeam: nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es: & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. Qui respondit, cedo iuri propinquitatis neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.

Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat: vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum

mentum suum, & dabat proximo suo; hoc erat testimonium cessionis in Israel. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim soluit de pede suo. At ille maioribus natu, & vniuerso populo, testes vos, inquit, estis hodie, quòd possederim omnia quæ fuerant Elimelech & Chelion, & Mahalon, tradente Noëmi: & Ruth Moabitidem, vxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis: respondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum suam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel: vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem: fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ de semine, quod tibi dederit Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth & accepit vxorem, ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus vt conciperet, & pareret filium. Dixerunt que mulieres ad Noemi. Benedictus Dominus, qui non est passus, vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Israël: Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem de nuru enim tua natus est, quæ te diligit & multò tibi melior est, quam si septem haberes filios: susceptumq; Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis & gerulæ fungebatur officio. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: natus est filius Noëmi, vocauerunt nomen eius Obed: hic est pater Isai, Patris Dauid. Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esron: Esron genuit Aram: Aram genuit Aminadab: Aminadab genuit Nahasson: Nahasson genuit Salmon; Salmon genuit Booz: Booz genuit Obed: Obed genuit Isai: Isai genuit Dauid.

Hæc est historia matrimonij Ruth, admirandis documentis ad nostrum institutum plena, vt in proximo capite explicabitur.

CAPVT III.

CONDITIONES AD MATRIMONIVM CELEBRANDVM, & Sacramentum hoc dignè suscipiendum, necessariæ.

CONDITIONES, quibus ita matrimonium celelebretur, vt Deo D.N. placeat, mirificè sunt in prædicta Ruth historia depictæ. Quod si cursum nostrũ paulò remotius inchoemus, inueniemus, diuinæ prouidẽtiæ consiliũ fuisse, quod Ruth *bis* nupserit: primùm in regione sua Moabitide, filio Elimelech & Noëmi: qui etsi per *decem* annos manserit in

mat ri-

matrimonio, inuenis tamen, & in flore, vt dicitur, ætatis, nullo q; filio relicto, mortuus, Ruth viduam & solam reliquit: & hinc principum sumpsit *secundum* matrimonium cum Booz homine prædiuite, nobili, primique mariti consanguineo: qui etiamsi senex esset, cùm eum accepit: multis tamen annis superuixit, & filiũ ex eo habuit. Quòd si varios hos euentus aspiciamus, quos diuina prouidentia iustissimè & sapientissimè decreuit: licet dicere: *primum* matrimonium *infœlix* fuisse, eò quòd offensio aliqua Dei fuerit in eo contrahendo: nam videtur prior ille vir contempsisse legem prohibentem Hebræos ducere Moabitidas & idololatras: *Secundum* verò fuisse *fœlix*: quia in eo contrahendo lex fuit obseruata, quæ iubebat virum accipere viduam cognati sui proximi, si is absque filijs obijsset. Vt ex hoc omnes intelligant, primam infelicium in matrimonijs euentuum radicem solere esse *transgressionem legum* Dei eiusque *Ecclesiæ*: præcipuè circa *gradus* illos prohibitos, qui matrimonium reddunt illicitum, ac proinde efficiunt contractum non valere: quia diuina iustitia punit tales contrahentes aut per ipsius matrimonij dissolutionem; aut per mortem alterius coniugum, aut sterilitatem aut, si filios genuerint etiam per eorum mortem, aut per alias similes aduersitates. Et in hoc sensu licet accipere, quod Sanctus Gregorius dixit: *experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere*: quia scilicet non fruuntur vita, vtpote malè geniti: contrà verò radix bonorum in matrimonio euentuum, est *legum custodia*, quas Deus seruandas constituit, vt sic ipse legislator benedictionem suam coniugibus impertiatur, detque illis & vitam longam, & prolium abundantiam.

Matrimonium. sit legitimum.

Gradus prohibiti.

35. q. 3. cap. Quadam Lex.

Legum custodia felix.

Deus nihilominus *permisit*, filium Noëmi accipere Ruth coniugem: vt illa occasionem acciperet conuersionis ad veram religionem, & comitaretur socrum suam Noëmi in Bethlehem: ibique *secundò* nuberet ipsi Booz: nam nisi primum matrimonium præcessisset, cessasset causa & occasio secundum ineundi: vt agnoscamus diuinam prouidentiam permittere sæpè aliquos errores & peccata, ex quibus magna aliqua bona proueniant: & ex matrimonio minus recto occasionem accipit alterius valde glorioſi, & ex euentu aliquo aduerso alium eruit prosperum & fœlicem: & hac ratione nos consolatur, additque animum, ne ob nostros errores abijciamur: aut desperemus, si eorum nos pœniteat: quia ipse & nouerit & poterit eos in bonum conuertere.

Prouidentia Dei è malis bona elicit.

Hoc idem magis adhuc elucet in consilio ac directione, qua vsa est Noëmi, ad hoc matrimonium perficiendum: cuius *consilium*, quamuis primo aspectu videatur fuisse temerarium ac periculosum: quia misit iuuenem mulierem, vt maneret per noctem in Area apud Booz: quæ quidem occasio erat & periculum amittendæ castitatis, matrimonio non secuto. Sed credi-

Consilium in speciem temerariũ. q. 13. in c. 3.

credibile potiùs est, Deum D.N. consilium illud suggessisse, cui optimè nota erat excellens modestia, & castitas, & grauitas venerandi senis Booz; & illum fideliter in hac occasione se habiturum; quæ etiam omnia ipsa Noëmi nouerat, quare ex Dei inspiratione, cuius diuinæ prouidentiæ plurimùm cõfidebat, suasit Ruth, vt faceret, quod fecit. Ac propterea (vt perpendit Abulensis) solùm ei dixit: *proiicies te & iacebis ante pedes eius, ipse autem dicet tibi quid facere debeas.* Atque si illi dixisset: potes benè fidere, ipsum nihil mali iussurum. Qua fiducia concepta, securè Ruth executa est socrus suæ consilium: mouente etiam Deo ipsam, ad illud amplectendum, ob exitum fœlicem quem intendebat. Nec res est noua, quòd Deus Patribus antiqui Testamenti aliqua inspirauerit; quæ in specie, & primo aspectu peccata & errores videbantur: & reuera talia fuissent, nisi ad fines adeò sanctos dirigerentur: adeoque pura intentione & vehementi impulsu, qui non permittebat, eos tunc aliud cogitare, aut attendere, quàm vt exequerentur, quod Deus illis inspirabat: vt apparet in facto a *Iudith*, quæ magno studio sese exornauit, & ad Holofernis conspectum peruenit, cum periculo admittendi aliquid contra honestatem: nisi Deus, qui, vt ea faceret, inspirauit, eam à tali periculo liberaret. Sed quoniam huiusmodi exempla in scriptura sacra narrantur, vt diuinam sapientiam & omnipotentiam *inspiciamus*, non verò, vt ea *imitemur*: hinc est, quòd nullo modo liceat, propter huiusmodi exempla, media aliqua adhibere, quæ sint ex se *periculosa*, ad agendum de ineundis matrimonijs. Nunquam enim sunt facienda mala, ad aliqua bona ex ijs elicienda & prouidentia diuina, quæ solet *iustis* rectam habentibus intentionem, & in suis deliberationibus prudenter se gerentibus fauere, & ex eorum *erroribus* bona aliqua elicere, damnaque auertere, quæ ex eis oriri potuissent: nunquam hac ratione iuuat *temerarios*, qui sine vlla causa, pro suo libitu, & vt palato suo deseruiant, in talia pericula sese conijciunt. Propterea enim sapiens dixit: b *qui amat periculum* (quia temerè se in illud conijcit) *in illo peribit*. Nec iusta erit excusatio, quòd *parentes* aut amici talia consilia suggerant: quia non oportet illis obedire, quando aperte constat, talia media esse periculosa.

Securum quia à Deo inspiratum.

Miranda non imitanda.

Iustis, non temerarijs connuet Deus.

b *Eccl.* 3. 27

Parentum est cura matrimonij.

Hoc documento tanti momenti iacto, accipiamus alia non minus vtilia ex prudentia & solicitudine Noëmi, quæ veræ matris Ruth officio fungens, ei dixit: *filia mea quæram tibi requiem, & prouidebo, vt benè sit tibi.* Ad *parentes* enim bonos propriè spectat prouidentiam gerere de filijs suis, & statum eis procurare, in quo requiem habeant, & benè sit illis ad vitam ducendam: quandiu enim *statum* non habent, nec plenum tolatiũ habere possunt: sicut lapis qui non peruenit ad suum centrum: & ipsa suspensio, & cogitatio de suscipiendo statu, anxios illos ac solicitos tenet:

pertinet

pertinet verò ad ipsos parentes ab illa anxietate illos liberare, quando status ille est matrimonij, de quo iam loquimur. Nec solùm ob solatium filiorum, sed ob quietem etiam *propriam*, & vt tales curas deponant, expedit illos in statu collocare, quando tempus peruenit. id enim significauit Ecclesiasticus dicens: c *trade filiam tuam, & grande opus feceris, sed homini sensato da illam*: grande opus appellat hoc, quia se ipsum liberat Pater à cura & *solicitudine* illius custodiendæ; & illam, à *periculo*, in quo versatur: estque vltima hæc Parentum ad filias obligatio, quam transferunt à se in viros, quibus illas tradunt. Et propterea monet Sapiens, vt *sensato det illam*: parum enim ad rem facit, quòd ille sit diues aut nobilis, si est fatuus, aut malè moratus: quia tunc non curas deponunt parentes, sed augent ob timorem malorum euentuum.

c Eccl. 7. 26.

Quare interrogatus Themistocles Philosophus cui libentius filiam suam dare vellet, diuitine improbo, & insipienti: an pauperi, probo & sensato? respondit: malo habere *hominem*, qui pecunia indigeat, quàm pecuniam, quæ viro opus habeat. Sed felicior ac prudentior fuit Noëmi, quæ nurui suæ Ruth talem virum quæsiuit, in quo simul concurrebant diuitiæ cum virtutibus; & bona fortunæ cum prudentia, & rara sanctitate, quam in memorabili hoc facto patefecit.

Vide Iansen. in Eccl. 7. Virtus quærenda coniugi.

§. *I. Coniugem probatæ virtutis esse quærendam.* 1.

Primvm. Ipse Booz, cùm esset vir grauis, & prouectæ iam ætatis, ducturus vxorem, voluit eam esse probatæ virtutis, & quæ talis in tota ciuitate haberetur: ideoque illi dixit: *scit omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis*, cuius indicium etiam hoc est, quòd vt nuberes, non quæsieris *iuuenes* pauperes aut diuites secundùm ætatem tuam; sed propinquum prioris tui mariti, qui iuxta legem, eius qui sine filijs decessit, nomen suscitaret. Ex quo apparet *vtrumque sanctam intentionem* in hoc matrimonio ineundo habuisse: & ita Deus eorum desideriis benignè annuit, dans illis filium masculum, qui familiam suam cum magna eius gloria, in futurum propagaret.

Sancta intentio.

2.

Sed in eodem facto adhuc multò amplius manifestauit Booz rariam castitatem, diuinæque legis amorem; cùm matrimonium *clandestinum* horruit, quod nocte fit, & sine testibus: volens illud ita publicè & solenniter inire, sicut lex iubebat. Et quamuis *occasio* esset *vehemens*, cùm videret se habere prope mulierem iuuenem & comptam, petentem ab ipso, vt in vxorem eam acciperet, ipse tamen valde strenuè sese cohibuit, vt puritatem suam conseruaret. Et quamuis occasio illi occurrerit repente, cùm esset à somno excitatus, quo tempore pugna solet esse vehementior: nihil tamen passus est integritati suæ decedere:

Non clandestinum.

sed

Occasio peccati superanda.

sed hosti & carni suæ strenue resistit, nec voluit diuinam legem conculcare, nec aliter matrimonium inire, quàm lex ipsa constituerit in præsentia testium, & totius populi, qui mille bona illi iunt precati, dicentes: *faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuum, sicut Rachel, & Liam, quæ ædificarunt domum Israel: vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem, fiatque domus tua sicut domus Phares, de semine quod tibi dederit ex hac puella.* Hæ omnes benedictiones euenerunt illi: vt ex hoc intelligamus, etiam nunc esse dignum, cui Deus Ecclesiæ benedictiones concedat, qui matrimonium cum ea *solennitate* celebrat: quam ipsa describit: quæ semper detestata est clandestina matrimonia tanquam valde periculosa, & multis peccatis, ac perturbationibus exposita, donec tandem sacrum *Tridentinum* Concilium illa *irrtaut*, ac statuit, si clam fierent, nullius esse valoris: vt sic ab ipsa radice tot malorum sementem euelleret.

Clandestina irrita. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.

Iniuriam proximi cane.

ETIAM eluxit sanctitas & iustitia Booz in eo, quòd noluerit, ipsum matrimonium inire cum *iniuria* alterius, qui titulo maioris propinquitatis, plus iuris ad illud habebat, iuxta legem antiquam, & ita noluit promittere ipsi Ruth, se illam in coniugem ducturum, nisi sub conditione, quòd alter monitus cederet iuri suo. nam iustorum est, nolle iniuriam alijs facere: nec eis velle, quod non vellent sibi fieri Et qui cupit fœliciter sibi euenire statum, quem desiderat: caueat inprimis, ne illum adire contendat cum aliqua *iniuria* proximi: non enim dabit Deus fœlicem exitum in rebus proprijs ei, qui eas per media contra iustitiam, & cum alicuius damno quærit. Et quamuis nouerat Booz, cum Ruth se accepturum in dotem agrum Elimelech: non propterea fuit cupiditate excæcatus, nec agere voluit vt illum haberet, nisi alter, qui potius quàm ipse ius habebat, ei renunciaret. In quo etiam dedit exemplum cohibendi *cupiditatem* ei, qui de assumendo statu in bonum animæ suæ agit: nam electiones ab huiusmodi radice deprauata ortæ solent cedere in animæ detrimentum.

Et Cupiditatem

4.

Fidelitas.

Veritas.

In EODEM Booz facto apparet eius *fidelitas* ac *veritas*: dum promissionem, ipsi Ruth, licèt in occulto & sine testibus factam, magna celeritate adimpleuit: quia sufficit, Deum esse testem, qui omnibus, quæ dicuntur, & fiunt in toto mundo, etiam in angulis, præsens adest quòd si promissio *iuramento* firmetur; est peculiaris ratio, cur sit implenda: eò quòd aduocatus sit ipse Dominus in testem promissionis, & quasi eius fide iussor. Et quamuis in huiusmodi casibus attentiùs sit considerandum, quid iuretur & promittatur: promissionem tamen factam necesse est exequi. Nam ad prouidentiam diuinam spectat, fouere, & promouere causam prudentum iuramentorum, eisque fœlices exitus dare: siquidem accipit illa, tanquam media ad electionem horum statuum.

Religio iurisiurandi.

AD

Ad Eandem fidelitatem pertinet, omnia *impedimenta* prudenter remouere, quæ occurrere possunt, quo minus promissio impleatur. Ac propterea Booz dixit Ruth: *caue, ne quis nouerit, quod huc veneris*: vt scilicet, & suum eò aduentum; & id, de quo conuenerant, apud se retineret: id enim plurimum referre solet ad fælicem negotiorum expeditionem: sicut, non seruato *secreto*, solet exitus esse minus fælix, & exurgere mille impedimenta, quæ bona consilia, & dispositiones disturbent. Et fortè, si alter ille ipsius Booz propinquus, qui repentè ad portam ciuitatis venerat, vbi actum & conclusum est de iure matrimonij, conscius fuisset, quid inter Booz & Ruth fuisset actum, præcogitasset quid sibi esset respondendum, & aliud consilium inuenisset, ne agrum relinqueret, quem alias habere cupiebat.

5. *Secretum seruandum.*

Sed ne silentio prætereamus prudentem Booz ipsius cautelam, qua monuit Ruth, vt suum ad aream, tali noctis tempore, accessum occultaret: cupiebat enim ipse etiam *suspicionum*, & murmurationũ occasiones remouere. honorati enim & prudentes homines non satis existimare debent, quòd culpas coram Deo euitent; sed etiam mali nominis occasiones apud homines. Hoc est enim quod monet Apostolus, vt d *prouideamus semper bona, non tantùm coram* Deo, *sed etiam coram omnibus hominibus.* Et Sapiens hortatur, vt e *curam habeamus de bono nomine: hoc enim, ait, magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Vt igitur *bonum nomen* conseruaret Booz, voluit aduentum Ruth occultum teneri: præcipuècùm ipse illum non procurasset. Et simul ipsi Ruth consulebat: ad cuius honestatis bonum nomen & opinionem, quam in ciuitate habebat, omninò spectabat, eundem aduentum occultari.

Boni nominis cura.
d *Rom.* 12. 17.
e *Eccl.* 41. 15

Sed ipsa quoque Ruth suam prudentiam ostendit; quia ita tacuit & secretum apud se seruauit, quod Booz illi commendauerat vt, soli *socrui* suæ, quod gestum erat, aperuerit. non enim intelligebatur secretum, etiam apud Noëmi seruandum. vt hinc discant mulieres esse circumspectæ in huiusmodi pactis. Nam sicut prudentiæ est alijs illa non *prodere*; ita esset insignis imprudentiæ à Satana (vt superius est dictum) suggestæ, eadem parentibus & bonis consiliarijs *occultare*: quia exponunt se periculo, vt facilè decipiantur. Satis verò constat, Booz non voluisse pactum illud occultari Noëmi, siquidem, cùm dedit illi sex modios hordei, dixit: *nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam*, coniecit enim vir prudens, ab ipsa Noëmi consilium illud prodijsse: ac proinde omnium eorum conscium futuram, quæ gesta essent. Eadem verò opera exhibuit suam liberalitatem, & misericordiam, subueniendo indigentibus. Sed ipsis verbis insinuare voluit Booz, illam eleemosynam non tam à se fieri in gratiam ipsius Ruth, quàm senioris Noemi, vt hac ratione ipsius puritas

6. *Mulieres taceant.*

Parentes consulant.

Liberalitas sit prudens.

magis innoteſceret: quia ad eam potius reſpexit, de qua minor poterat eſſe ſuſpicio.

7. *Iuſtitia.* DENIQVE voluit Booz, totum hoc negotium in publico *Iuſtitiæ* tribunali, (quod olim eſſe ſolebat ad portas ciuitatis expediri conuocatis grauioribus, & ſenioribus iudicibus: quibus cauſam ſuam cum veritate & ſinceritate proponeret: libenter ſecuturus quod illi ex iuſtitia decernerent: liberam etiam faciens competitori ſuo poteſtatem eligendi, quod magis vellet, ſibique vtilius exiſtimaret. Poſtquam autem ille ſuo iuri ceſſit, quoniam ſignum talis ceſſionis erat ſecundùm legem illam, vt *calceum* exueret, eique daret, cui ius cedebat: ſtatim hoc petijt BOOZ, vt ſic conſtaret de iure, quòd in ipſum tranſibat. In quibus omnibus elucet rectitudo *iuſtitiæ*, qua agendum ſit de rebus ad matrimonium ſpectantibus: non contentionibus & diſputationibus importunis; ſed rationibus verbisque modeſtis: locum dando rebus apertis & indubitatis; & abſque importuna aliqua extorſione, liberum alteri parti relinquendo, vt iure ſuo vti poſſit: nec Iudices eos eligendo, qui ipſius votis annuant: ſed qui ſtatuant, quod iuſtum eſt: quia quod hac ratione & via ſtatuetur, vtilitatem & commodum adferet.

POSTQVAM verò de veritate & iuſtitia conſtitutum fuerit, expedit, id *omnibus innoteſcere*: cùm enim matrimonium ſit ſtatus perpetuus: neceſſe eſt *firmum* ac ſtabile eſſe, quod illud comitatur, & ad eius onera portanda iuuat.

§. II. *De aliis quibuſdam matrimonii conditionibus.*

Matrimonium. Contractus & Sacramentum.

QVÆCVNQVE hactenus dicta ſunt, ſpectant ad matrimonium, quatenus eſt *contractus* quidam humanus, & dirigitur ad fines primæ ſuæ inſtitutionis; ſupereſt, breuiter oſtendere conditiones, dignè illud celebrandi, quatenus eſt *Sacramentum*: quæ ad noſtrum inſtitutum potiſſimum ſunt *duæ*. *Prima* conditio eſt, vt recta adſit *intentio* proprij finis huius ſtatus & Sacramenti: ſicut in primo capite eſt dictum. Et quò hi fines excellentiores erunt, & abſque mixtura finium terrenorum & ſenſualium, eò erit diſpoſitio ex hac parte ſublimior.

1. *Intentio.*

2. *Confeſſio.*

SECVNDA conditio eſt, vt bona adſit *conſcientia*, à grauibus peccatis pura & munda. Eſſet enim graue ſacrilegium contra debitam diuino huic Sacramento reuerentiam, illud cũ conſcientia peccati mortalis ſuſcipere: quia per hoc ponitur obex *gratiæ*, quam conferret; &, quod eſt ex parte talis ſuſcipientis, Sacramentum eſſet ſignum inane: quia non efficeret, quod ſignificat. Et quomodo dignè referet, ac ſignificabit coniunctionem CHRISTI Domini noſtri cum ſponſa ſua Eccleſia: qui coniunctionem amoris cum i-

plo

ipso Christo non habet, sed eius potius est hostis ? nec desunt Doctores qui asserant, *duo* hic admitti peccata lethalia: alterum, eò quòd sit *minister* Sacramenti; alterum, quòd illud *accipias*: vtrumque autem facit indignè, quemadmodum improbus *sacerdos*, cùm celebrat, duplici nomine peccat: tum quòd *consecret*, tum quòd *communicet*: ipse enim Sacramentum conficit, & suscipit Sacramentum indignè: siquidem Apostolus dixit: a *qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini* ab ordinario & communi pane, ita qui hoc Sacramentum suscipit cum conscientia peccati mortalis, meritò iudicabitur ac damnabitur: quia nullum ponit discrimen inter hoc Sacramentum, & reliquos humanos contractus. Siquidem nulla alia præparatione illud suscipit, quàm si rem non sacram susciperet, & more Gentilium. Debet igitur diligenter se prius examinare, & attendere: an eius anima sit aliqua lethali culpa defœdata: &, si quid tale inueniat, priùs quàm matrimonium coram Parocho & testibus contrahat, det operam, vt per *contritionem* saltem illam abluat, faciens quod in se erit, vt illam verè cõcipiat; aut (quod melius & securius est) per sacramentalem *confessionem*: vt sic in gratia & amicitia Dei accedat: ita vt per hoc Sacramentum gratia illi augeatur. Eoque gratiæ augmentum erit, maius, quò melior erit dispositio ob maiorem animæ, & intentionis, qua accedit, puritatem.

Vide Thom. Sanch. 10 . . disp. 6 sect 2. tom 2. disp. 16. sect. 4.

21. *Cor.* 11. 29.

Benedictio.

Etiam est valdè expediens, similem dispositionem adferre, cùm acceditur ad *benedictiones* suscipiendas, quas Ecclesia ipsis contrahentibus in tali solennitate precatur: ne per lethalem aliquam culpam, obicem illis ponat. Quas benedictiones libenter Deus impertit benè præparatis, ac dispositis ad eas suscipiendas. Deinde bona hac *dispositione* efficiunt, ne huiusmodi *ceremoniæ* quas Ecclesia adhibet, inania sint, sed plena signa, quæ Deus copiosa sua misericordia replet, simulque præbet Spiritus sancti *Arrhas*, *Annulum* Fidei ac Fidelitatis; & *velum* puritatis ac honestatis; *Torquem* charitatis, vnionis, qui contrahentium corda coniungat;

Dispositio.

Arrhæ S. Spiritus.

vt sint *duo* in spiritu vno, vt proximo capite dicetur.

CAPVT IV.

PERFECTVS AMOR ET CONCORDIA CONIVGVM ET media quibus illa conseruatur.

PROPRIA coniugum in statu suo perfectio ad *duplicem* virtutum ordinem præcipuè reducitur, quædam ad *vnionem* mutuam inter se ipsos, & cum suis cognatis conseruandam: aliæ ad bonam *filiorum* educationem; familiæ, & temporalium bonorum gubernationem pertinent. Harum autem virtutum *prima*, eaque maximè necessaria est, perfectus, & mutuus inter seipsos *amor*, hic enim reddit suaue iugum perpetuum, quod portant: sed amor hic nõ ille esse debet, qui dicitur *concupiscentiæ*; qui in amando, propriu aliquod lucrum, aut commodum respicit: hic enim tum est valdè *imperfectus*, tum non *diuturnus*: nam lucro deficiente, amor etiam ipse euanesceret, oportet igitur amorem esse *amicitiæ*, quo se mutuò ament, propter ipsummet *amatum*; & propter talis coniunctionis bonum: ita vt neque bonis fortunæ, neque honori aut pulchritudini, aut corporis elegantiæ, aut alteri alicui temporali commodo innitatur.

Amor amicitia.

NEC tamen, vt amor hic sit perfectus, sufficit, quod sit amicitiæ humanæ, quæ coniunctioni carnis & sanguinis innititur, qualis etiam inter gentiles & infideles inuenitur: sed esse debet amor *Christianus*, ortus à virtute a *charitatis, quæ finis est præcepti, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Quare diligere se debent coniuges in DEO, & propter DEVM: nullas culpas inferendo, nec affectiones ad personas, aut res alias quæ huius amoris puritati aduersentur, & *bona conscientia*, ita alter alteri benè faciat, & complaceat: quia DEVS ita vult, & ipsius status bonus progressus id exigit; & *fide non ficta*, ita vt mutuam fidelitatem, quam sibi promiserunt, re ipsa seruent: nihil admittentes fictionis & fraudis, nec opere, nec verbis, nec vel cogitatione, aut desiderio: nam licèt homines corda non videant, Deus tamen videt, qui est amoris & charitatis huius zelator: & infidelitas aut charitatis remissio, quæ latet in corde, solet exteriùs erumpere per aliqua signa, & opera, quibus qui amari se existimabat, perturbatur. *Ad* amorem huncadeò perfectum exhortatur idem Apostolus *tribus* adductis efficacissimis rationibus.

Christianus.

a 1. *Tim.* 1. 5. *Corde puro.*

Conscientia bona.

Fide non ficta.

PRIMA est, deducta ex Christi D. exemplo: b *viri* (inquit) *diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam san-*

I.

b *Eph.* 5. 25.

ctifica-

Amor Christi exemplar coniugum.

Eſficeret. Quaſi dixerit: amorem, quem *Chriſtus* D. habuit ad Eccleſiam ſponſam ſuam, qui fuit purus ab omni intentione alicuius lucri, liberalis, fidelis, & conſtans vſque ad vitam propriam exponendam, vt eam faceret ſanctam, & ſine macula: eum inquam amorem tanquam exemplar accipite amoris erga vxores veſtras, vt conemini illum imitari.

2.

Amor proprius ſyncerus.

Secvnda ratio eſt deducta à ſimilitudine amoris erga *ſe* ipſos: *viri* (inquit (*debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua; qui ſuam vxorem diligit, ſe ipſum diligit: nemo autem vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Non itaque debet vllus vxorem ſuam odio habere cum qua eſt vna caro: ſed nutrire & fouere illam amore illo puro & perfecto, quo noſter Saluator nutrit & fouet Eccleſiam ſuam, & animas quæ in ea ſunt.

3.

Præceptum Chriſti de diligendo.

Tertia ratio eſt ob *præceptum* Dei in huius ſtatus inſtitutione latum, cùm dixit: *propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Hoc ipſum autem lex noua magis extulit, cùm fecit, vt matrimonium eſſet *Sacramentum*, ſignumque vnionis & amoris, quem habet Chriſtus ad ſuam Eccleſiam: ac proindè coniuges ipſos etiam obligat, vt ſignum ipſum *verum* faciant iuxta rem ſignificatam: vt mutuam ſcil. habeant inter ſe *charitatis* coniunctionem, quemadmodum habet Chriſtus & eius Eccleſia. Hæ *tres* rationes æquè obligant *vxores* ad viros ſuos amandos, quemadmodum Eccleſia Chriſtum amat puro, fideli, & cõſtanti amore: quia & ipſæ ſunt vnum cum viris: ideoque tenentur illos, ſicut ſe ipſas diligere, & relinquere Patrem & matrem, vt adhæreant viris ſuis: tam ob Dei *præceptum*, quàm ob *Sacramentum* Chriſti: nam in hoc ſunt pares.

Vxorum reciproca obligatio.

§. I. *Extrema huius amoris vitioſa.*

Vxor diligenda poſt Deum.

Sed quemadmodum virtutes ſemper tenent *medium* inter duo extrema vitioſa: alterum ad dextram per *exceſſum*; alterum ad ſiniſtram per *defectum*: ita amor coniugum ex vtroque extremo poteſt vitium contrahere: alterum eſt, ſi adeò nimius eſſet amor: vt, quo inuicem ſibi complacerent, non curarent *Dei legem* conculcare. Quemadmodum a *Adam*, ne Heuam contriſtaret, *comedit fructum*, à Deo ſibi *prohibitum*, potiùs volens Devm offendere, cùm tanto totius orbis detrimento, quam ſuam vxorem contriſtare: Et Salomon, quia b *copulatus eſt ardentiſsimo amore alienigenis mulieribus, ædificauit eis templa, in quibus Deos ſuos adorarent: quæ cor eius auerterunt, vt & ipſe illos adoraret.* Et de quodam alio narrat Euangelium, quod c *inuitatus ad nuptias* regias *noluerit venire, ne vxorem*, quam recens duxerat, vel ad breue tempus relinqueret. Et, vt habet liber

a Gen. 3. 6. 17.

b 3. Reg. 11. 1. &c.

c Luc. 14. 20

Esdræ: *multi dementes facti sunt propter vxores suas, & seruifacti sunt propter illas: & multi perierunt, & iugulati sunt, & peccauerunt propter mulieres.* Et ipsamet coniugalis *castitas* ex hoc excessu amoris plurimùm læditur, quemadmodum paulò pòst videbimus. Contra hoc extremum tendit præclara illa Saluatoris admonitio, iubentis discipulos suos, e *odisse vxores suas*: nam (vt Sanctus Thomas aduertit) solennis est diuinæ scripturæ stylus, *odium* appellare amorem minorem cum maiori collatum: quemadmodum dicit, quòd f *Deus Iacob dilexit, & Esau odio habuit*; eò quòd Esau minus dilexerit, multoque parciùs ei fauerit, quàm Iacob. Ita igitur vir vxorem & vxor virum odisse debet, quatenus minus debent se mutuò diligere, quàm Deum dirigendo amorem suum iuxta rationis & legis diuinæ regulas: ita vt nunquam amor vt mutuus in causa sit, cur eam transgrediantur. Nec debent, quemadmodum Adamus, de manu vxoris pomum accipere, quod illa contra Dei mandatum obtulerit: etiamsi illud dulcissimum esset; nec eius voci aut persuasioni, quantumuis importunæ acquiescere. Quod si conqueratur propterea, se odio haberi; respondeat: hoc esse odium, quod Deus commendat: nec tamen odium hoc esse malum, sed *perfectum*, & verus alias amor, licèt inferioris gradus, quàm amor ipse Dei. Et si vxor contenderit, vt vir idola adoret, quæ adorat ipsa; & vt templa illis ædificet: vt sic ostendat se fauere ipsius vanitatibus, & mundanis recreationibus; & vt terrena & inordinata ipsius desideria sequatur: nullo modo ei est acquiescendum, sicut Salomon acquieuit: sed operam potiùs det, vt illa, vxor non adoret, sed à se abijciat, quemadmodum g *Iacob* effecit, vt *Rachel* ea abijceret: vt ita saluari possit. Et hic erit vere perfectior amor; qui plus vxoris animam, quàm corpus amat. Quòd si amor erga illam instiget, vt negligat conuiuia Dei, Sacrum Missæ, concionem, & Sacramentorum frequentiam: mortificet hunc amoris excessum, induatque robustius pectus, ad vxoris societatem interdum dimittendam, quò Dei familiaritatem, quando id illi placet, obtineat. Quod diximus de viris, intelligendum etiam est de vxoribus: quæ sancto quodam odio debent illos prosequi in eo sensu: quòd amor erga illos multò sit minor, quàm erga Deum ita vt nullum in eorum gratiam peccatum admittant. In idem extremum incidunt, qui ob nimium amorem, facilem dant susçipionibus, & *zelotypiæ* locum; alijsque multis defectibus, de quibus inferiùs agetur.

c *Luc.14.26*

f *Malac.1.3. Rom.9.13.*

Odium vxorum sanctum.

g *Gen. 35.2.*

Tract.3 c.5.

Deus marito præponendus.

Zelotypia.

2. *Odium malum vitandum.*

NON tamen propterea inclinare debent in extremum alterum vitiosum, amoris scilicet adeò exigui parcique, vt verè declinet in *odium malum*. Ex quo graues offensiones contra Deum Dominum nostrum oriuntur; & contra vnionem & concordiam charitatis, fidelitatem, & iustitiam, ad quæ matrimonij contractus obligat, & Sacramenti significatio: sic enim

transi-

transgrederentur & turpiter macularent vnionem vnius cum vna, quæ per vnionem Christi cum Ecclesia significatur: & contra hoc extremum diriguntur omnes rationes Apostoli, quibus viros exhortatur, vt *vxores suas diligant, & sicut Christus Ecclesiam*: cuius amor non sequitur extrema; sed regiam tenet perfectionis viam: non declinans ad dextram, neque ad sinistram, vt sit omnibus coniugatis exemplar amoris, quo se mutuò prosequantur.

§. II. *In quibus rebus Coniugum amor debeat prælucere.*

EX Hac Apostoli doctrina deducere possumus particulares aliquas res & proprietates, in quibus amor vtriusque coniugis debeat elucere, ad imitationem eius, qui est inter Christum D.N. & eius Ecclesiam: vt pulchrè ostenditur in *octo* capitibus libri Cantici Canticorum ex quibus, quæ ad hoc propositum maioris erunt momenti, colligemus.

I. *Amor vnicus.*

PRIMA sit, quod vtriusque amor, quà sunt coniuges, debet esse singularis & vnicus: ita vt vterque sibi in altero ita complaceat, atque si *solus* esset in mundo: quemadmodum ipse Christus de sua Ecclesia dixit, a *sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias*: ipse verò sponsa respondit: *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*: quare viro ipsi, totius mundi mulieres esse debent tanquam *spinæ*; vxor verò tanquam *lilium*: & quemadmodum homo refugit contingere spinas, ne ab eis pungatur; gaudet verò tangere, & odorem lilij percipere, quia suauis est: ita vir fugere debet tactum & familiaritatem cum vxore aliena: quia si valdè propè accedat facilè pungetur, & cruentabitur. Cum propria tamen familiarissimè agere debet: quia ex eo, & consolationem & confortationem hauriet. Hoc ipsum tamen præsupponit, *vxorem* erga suum virum non debere spinatum sed *lilii* proprietates habere: non enim aspera & insipida; sed lenis, blanda, & beneuola esse debet: sicut Ecclesia est erga Christum: & quæ sibi persuadeat, omnes totius mundi viros sibi esse tanquam ligna *syluestria*, & inutilia: sed propium virum esse *pomum* pulchris & odoriferis fructibus plenum: & à reliquis omnibus decet se subtrahere, atque si essent planè syluèstres, & intractabiles: nolens ab eis vllos fructus, aut munera, quæ puritatem & cordis ipsius amorem maculent: quia talia à solo suo marito expectare, & accipere debet. qui etiam erga ipsam coniugem non se debet habere tanquam *Syluestre* lignum, parum beneuolum, & inutilem, sed tanquam *pomum* quæ illam *vmbra* sua protegat, & *fructu* recreet, suauiq; *odore* confortet. Et hoc modo alterius amor conseruabit & fouebit amorem alterius.

a *Can. 2. 1.*

Coniugum amor mutuus.

HINC

2. *Velle vnum vtrique.*

HINC prouenire debet *secunda* proprietas, quæ est *voluntatum* vtriusque conformitas, ita vt vterque vnum idemque velle habeat in bono: & vxor debitam marito *subiectionem* seruet, vt paulò pòst dicemus. In rebus autem obsequij diuini maximè debent hanc conformitatem tenere; & alter alterum exemplo & verbo extimulare, quemadmodum duo Seraphini, qui versantur in præsentia Dei, mutuò se inuitantes ad illum benedicendum, & laudandum. Et sicut in libro Canticorum nunc Christus D. sponsam inuitat ad exercenda bona opera; nunc verò sponsa inuitat dilectum, vt secum veniat ad eadem exercenda: ita vir exhortari debet vxorem ad opera virtutum, & religionis: & vxor inuitare debet virum ad ipsam in eisdem comitandam: & vterque debet in omnibus iustis & honestis rebus ita esse conformis vt neuter alterum impediat: si enim vterque fuerit conformis in amore Dei, ac diuino eius seruitio: ita etiam erunt tales in amore mutuo; & in omnibus, quæ ad ipsorum bonum & vtilitatem pertinent.

Cant. 2. 10. c. 7. 11.

3. *Defectibus amor non violetur.*

SED quoniam necesse est, inter coniuges aliquos esse *defectus*: etiam in hoc debet mutuus amor ita elucere, vt tales defectus non valeant, mutuã charitatem remittere; sed fouere potiùs, ad culpam reparandam, ac euitandam. Nam perfectus amor non potest in malo cum altero conuenire; sed potiùs horrere illud debet, &, qua poterit meliori via, operam dare, vt illud impediatur, exhortatione, admonitione, & reprehensione. Quamuis in hoc aliam rationem seruare debeat vir, qui *caput* est: quàm vxor, quæ est *subdita*: vir enim maiorem habet authoritatem ad vxoris defectus reprehendendos & corrigendos: non quidem cum ea *asperitate*, qua famulas & ancillas; sed cum *suauitate*, quæ proficiscatur ex amore: ita tamen *efficaciter*, vt ipsum malum, ac damnum impediat. Eum in modum quo Christus, D. N, sponsam reprehendit, dicens: b *si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* in quibus verbis leuitatem seueritati coniunxit: quia appellauit eam *pulcherrimam* inter mulieres: ne existimaret, se ab ipso non amari: *minatur* tamen, se nollle illam in domo habere: vt ita defectum emendaret, ob quem talia minaretur. Sed quemadmodum sponsa erubuit ea reprehensione, humiliter eam acceptans, vt statim emendare se studeret: ita prudens mulier, quando propter culpam aliquam corrigitur, non debet multa cholera inflammari, & instar tigridis in virũ suum se conuertere: sed roseo quodam rubore ac verecundia agnoscere suam culpam, & statim curare emendationem: & quando vir vniuersim totam familiam ob defectum aliquem admonet, si ipsa est rea: debet quoque culpam suam reparare, quemadmodum fecit Rachel, quando Iacob, conuocata omni domo sua, dixit: c *abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt*, quemadmodum superiùs dictum. Sed si vir in defectum aliquem

b *Can.* 1. 7. *Vir vxorem corrigat.*

Vxor benigne accipiat.

c *Gen.* 35. *Trac.* 3. *c.* 5.

laba-

labatur : debet quoque vxor cum charitate illū reparare, & impedire : nam (vt S. Thomas ostendit) etiam Inferior potest Superiorem suum corrigere, non quidem morosè, sed blandè ac demissè, quemadmodum Apostolus dixit discipulo suo Timotheo: d *senior ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem* Ita, inquam, vxor maritum obsecrare debet : demissè rogans, vt se emendet, ob *damnum* ipsi imminens ; & *exemplum* malum; quod alijs præbet ; & ob alias rationes, quas charitas & prudentia humana ad id adferre solet.

2.2.q.33.a.4 *Vxor virum moneat.*

d *Tim.* 5. 1.

Amplivs hoc confirmatur *quarto* perfecti huius amoris signo quo vterque coniugum, alterius res accipit tanquam proprias: cùm enim vterq; sit vna caro, & vnus Spiritus ob contractum, & Sacramentum: æquum omnino est, vt se ipsos tanquam vnum gerant, ita vt vterque idem omnino alteri velit, quod sibi ipsi vult. quoad salutem, honorem, fortunas, quietem & vitam, tam corporis, quàm animæ cuicunque periculo se exponendo, vt alterum liberet: quemadmodum Christus Dominus Noster fecit, vt Ecclesiæ suæ benefaceret; & Ecclesia ipsa idem facit, vt sui sponsi Christi D. honorem defendat. Nec fuit exiguum indicium insignis amoris *Michol*, filiæ Regis Saul, erga suum virum Dauidem : cùm enim *Saul misisset satellites suos* in domum Dauid, vt *custodirent eum, & interficerent* ; statim illa id viro suo indicauit, dicens: *nisi Saluaueris te nocte hac: cras morieris. Deposuitque eum per fenestram & ita ille saluatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit super lectum*, & ita cooperuit, vt posset dicere, quòd Dauid ægrotaret. quamuis enim non dubitabat, patrem suum, cùm id cognosceret, ægerrimè laturum, ipsamque grauiter reprehensurum, quemadmodum postea fecit: illa tamen virum suum in amore prætulit Patri, pluris que fecit, quòd eum à periculo liberaret: quàm quòd se ipsam periculo suo subtraheret. Sed multò adhuc magis deberet vir fortitudinem suam ostendere, exponendo se cuicunque periculo pro omnibus, quæ ad bonum vxoris pertinent : propterea enim dicitur : f *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* : vt ita possit vxoris, quam tantopore diligit, bonum conseruare ; nec parcere facultatibus, sanitati, aut vitæ vt vxor hæc ipsa habeat.

4. *Animam dent pro se inuicem.*

e 1. *Re.* 19. 11

Maxime vir.

f *Can.* 8. 7. 3. *AEs.* 4. 25

Hinc oritur *quinta* proprietas puri huius amoris, quæ in eo consistit vt vterque alteri *placere* & solatium dare studeat in ijs quæ petit ac desiderat ; & in remouendis ijs, quæ possent illi *displicere*, aut pœnam & molestiam adferre hoc tamen iacto fundamento, vt materia sit *licita*, & *expediens* : talis enim est amor mutuus inter Christum Dominum Nostrum & suam Ecclesiam, quamobrem illa dixit: g *dilectus meus mihi & ego illi*, & iterum inuersis verbis ait: h *ego* tota *dilecto meo, & dilectus meus* totus *mihi*: quia

5. *Placere studeant in licitis.*

g *Can.* 2. 16

h *c.* 6. 2.

ille totus occupatur in prospiciendo bono meo; & *ego* tota sum in rebus obsequij eius; ille attendit meo honori; & ego studeo honori eius: ille in remouendis, quæ mihi nocent; & ego reijciendis, quæ illi displicent. Idem igitur præstare sibi debent mutuò coniunges; ita vt huius amoris indicia nunc à coniuge incipiant, nunc ab ipso viro: ita tamen, vt vterque in altero inueniat similia officia, quæ amori suo correspondeant: *illa* studere debet, totam domum adeò pacificam & onratam habere: vt ipse sibi complaceat, in eam intrare; eique tanta cura indulgere: vt gaudeat in eius societate manere; & ex ijs, quæ suis manibus comparauerat, offerat munera illi grata, dicens cum sponsa: i *omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*, quæ scilicet industria sua comparauerat. *Vir* interim huic vxoris amori correspondens, debet liberaliter de omnibus ei prospicere, quæ illa desiderat ad bonum domus ordinem: ac directionem; ac eijcere ab ea quidquid illam perturbare, & alterare possit, coniurans, &, si opus erit, etiam minans, dicens: k *adiuro vos Filiæ Ierusalem, ne suscitetis; neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* cupiens scilicet, illam somno & quieti suæ etiam vacare.

i *Cant.* 7.13

k *Can.* 3. 5.

6. *Laudent se inuicem.*

HVIC amoris signo affine est *sextum*, quo vterque studet alterum *laudare*; de illo, ac de rebus eius, quoties decens & expediens aliqua occasio occurrit, bene loqui; eiusque defectus, si quos habet, ita occultare: vt alij illos non nouerint; & eum propugnando, si alij illos aperirent. Quemadmodum Christus Dominus Noster in libro Canticorum non satiatur, referendis laudibus sponsæ suæ Ecclesiæ: & quamuis defectus aliquos habeat: (quia nemo potest venialia omnia peccata euadere) nouit tamen ipse in his laudibus nullam eorum facere mentionem: sed dicere: l *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: charitas enim omnes tales maculas operit, facitque earum obliuisci. Ipsa verò Ecclesia sine vllo limite, & velis (vt dicitur) expansis, bene de suo dilecto loquitur: licèt id mirum non sit: quia ipse infinitis laudibus dignus est, & nec minimam vmbram habet alicuius maculæ: nec solum talia de illo loquitur, cùm illam fouet, eique indulget; sed etiam cum aliquod ostendit indicium *auersionis*. nam interrogata, qualis est dilectus tuus? respondit: m *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*: & pergit, plurimas eius laudes referendo. Hunc in modum debent coniuges bene semper de se mutuò loqui; & operire defectus: si qui in ipsis inueniantur. Et licèt vir sit tetricus & morosus: vxor tamen tacere debet, quæ in domo geruntur, & bene de illo in publico loqui: quemadmodum faciebat *S. Monica*, quæ virum habuit difficilem; sed illa tamen, quod molestũ & graue erat in illo, occultabat; &, quæ laude digna erãt, proferebat. Quãuis si vtriusq; charitas esset vere perfecta, nõ deesset vtriq; argumentum, ad multa bona de altero dicẽda.

Defectus dissimulent.

l *Can.* 4. 7.

m *Can.* 5.10

S. Monicæ virtus.

DENIQVE

Deniqve magnum amoris signum esset, quod vterque alterius palato & moribus, in omnibus, quæ licita essent, & expedirent, mutuò se *conformarent*: quasi in eadem matrice fusi. quamuis *vxor*, vtpotè inferior, magis debeat sese viri voluntati & palato accommodare; flectendo & mortificando voluntatem propriam, vt ei se conformet: cogitans quod quemadmodum Christus Dominus, sponsæ suæ dicit: o *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*, vt sit similis in vita, quemadmodum impressum signaculum simile est ipsi sigillo: ita vxor tanquam cera mollis debet in se recipere signaculum viri, iuxta mores & voluntatem eius. Qui tamen *vir* adeò cautus & iustus esse debet, vt non Antichristi, sed ipsius Christi signaculum sit: ita vt vxori suæ dicere possit illud Apostoli: o *imitare me, sicut & ego Christum imitor*: quod quidem adeò difficilè non est, verè se amantibus: propterea enim sponsus statim subiecit: p *quia fortis* (inquit) *est, vt mors dilectio*, ad mortificandum & iugulandum in se quicquid dilecto suo displicet: vt se illi in omnibus conformet.

7. *Conformare se inuicem.*

n *Can. 8. 6.*

Maxime vxor.

o 1. *Cor. 11. 1*

p *Can. 8. 6. Vir sit iustus.*

§. III. *Alia media concordiæ inter coniuges seruandæ.*

Ex Hoc amore omnibus, quas posuimus, conditionibus stipato, nascitur pax & concordia; de qua Ecclesiasticus ait: a *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* In cuius rei probationem varias adfert sententias: alias quidem, quæ referri possunt ad *damna*, quæ mulier mala & vitiosa adferre solet, alias verò, quas referas ad *bona*, quæ ab eadē bona & benigna proueniunt. quorum adeò diuersorum & contrariorum euentuum radices insinuat. b *Commorari* (inquit) *leoni & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. in medio proximorum eius ingemuit vir eius: sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, grauis illi est: sic mulier linguata homini quieto, mulieris ira, & irreuerentia, confusio est magna. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo*, quem vehementer cruciabit, & animo quasi deficere faciet. *Non des aquæ tuæ*, quam seruatam cupis, *exitum, nec modicum* quidem; alioquin tota sensim effluet. Ita *nec mulieri nequam veniam prodeundi*, & pro libitu agendi: quia non poteris illam postea continere: c *mulier zelotypa* dolorem adfert, gemitum, & *flagellum linguæ* eius *omnibus communicans*, & omnes verberans, *sicut Bouis* dissidentium & inuicem repugnantium *iugum*, *quod* tam diu *mouetur*, & agitatur,

a *Eccl. 25. 1.*

Damna malæ mulieris.

b *vers. 23.*

c. *Ca. 26. 4.*

donec vel frangatur ipsum, vel ipsos boues lędat, & torqueat: ita est iugum coniugum, quando *mulier* est nequam, *qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem*, cuius venenum diu torquet ipsum percussum; & tandem emori cogit. Hæc verè omnia Ecclesiasticus: in quibus radices discordiarum ex parte mulieris tangit, quæ sunt in generali, illius mali mores, *loquacitas*, *iracundia*, *feruor*, *superbia*, & arrogans exeundi & prodeundi *libertas*, *zelolytia*, & *iugi* sibi impositi, vt alteri subiecta sit, *excussio*. Hæ sunt conditiones mulieris, quam Salomon d *odiosam* vocat: ob quam domus, & ipsa simul terra turbatur. Eadem etiam sequi solent damna, si eædem conditiones in *viro* locum habent, qui e *sicut leo in domo euertit domesticos suos*, & turbat non modò rugitu, & verbis turbulentis ac furiosis; verum etiam manibus, & terribilium operum vnguibus. Sed quid mirum est, si, vtroque *gratiam* à se abijciente & *charitatem*, quæ matrimonij iugum suaue reddere poterat, *ferreum* illis sit onus, & quædam *inferni* ipsius effigies; in quo damnati, quamuis alioqui immortales inter se gerant inimicitias simul tamen coguntur viuere.

Odiosæ mu mulieris proprietates.

d *Pro.* 30. 13

e *Eccl.* 4. 35. *& Viri.*

Iugum intolerabile sine gratia.

VERVM è contra magna felicitas est, insignem *comparem* nanciscicum qua pacificè & quietè viuas; sicut idem Ecclesiasticus hisce verbis declarat: f *mulieris bonæ beatus vir*; *numerus enim annorum illius duplex*, *mulier fortis oblectat virum suum*, *& annos vitæ illius in pace implebit. Pars & sors bona mulier in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis*, *gratia mulieris sedulæ delectabit virũ suum*, *& ossa illius impinguabit*, *disciplina illius datum Dei est mulier sensata & tacita*, *non est immutatio eruditæ. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*, *sicut sol oriens in altissimis Dei*, *sic mulieris bonæ species & pulchritudo animæ illius ornamentum domus eius. Lucerna splendes super candelabrum sanctum*, *columnæ aureæ super bases argenteas*, *& pedes firmi super plantas stabilis mulieris* quam domi manere delectat; foras verò prodire, graue est. Hæc Ecclesiasticus, in quibus concordiæ à parte mulieris radices describit, quæ sunt *vitæ sanctitas*, illius *prudentia & diligentia*, *taciturnitas & pudor*, & quietis mansionisque *domesticæ* amor: vt nihil spectet aliud, quàm bono illi *exemplo*, discretaque *gubernatione* prælucere. Eisdem bonis fruitur etiam vxor, si bonum nanciscì & prudentem *virum* potuerit. nam & hic donum DEI est, & bona pars ac sors timentium eum.

f *Eccl.* 26. 1 *& 16.*

Mulier bona.

Eius virtutes.

Vir bonus.

VERVM, quoniam aliqua inter naturales, vtriusque coniugis, conditiones, varietas est & indifferentia, è qua discordiæ nasci queant excitanda & fouenda inter eos est CHARITAS, quæ *benigna est*, *& omnia suffert*, ad excessus mortificandos, vt eædem conditiones in vnam coalescant vtrique communem, vt benè hisce verbis S. Gregorius

pon-

ponderat. Admonendi sunt coniuges, vt si quid occurrat, in quo alter alteri displiceat, illud ipsum *patienter* sustineant & magna cum *discretione* excusent, memores sententiæ illius Apostolicæ: g *Alter Alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Lex autem Christi *charitas* est, propter quam ipse *bona* sua libenter nobis contulit, & *mala* nostra æquanimiter sustinuit. Tum verò legem adimplemus, cùm bona nostra liberaliter elargimur; & mala alterius piè toleramus. Ad hoc etiam non parum proderit, si vnusquisque consideret, non tam id quod ab altero patitur, quàm quod ab ipso alter pati cogitur. Hæc quidem S. Gregorius. Cui ipse adiungo, lege charitatis, illos etiam inuitari, vt *iram* tunc cum silentio refrenent, cùm alter eandem inordinatè & liberè laxat, ne oleum igni infundant. Si verò *loqui* eos oporteat, tanta id modestia & lenitate fiat, vt iracundiæ furorem & feruorem extinguat. Verùm si pax hæc haberi ob intolerabiles & præfractos alterius tantum mores nequeat, si tamen alter, h *quod ex se est* (vt Apostolus ait) eandem habere satagat, mercedem suam, & coronam non amittet. Imò solet Deus hanc conditionum repugnantiam permittere ad suos electos exercēdos, ac perficiendos, & ad insignes sanctitatis gradus perducendos; vtens *viri* asperitate tanquam instrumento ad vxoris sanctitatem perficiendam, aut importunis *vxoris* moribus, quò vir eius ad eminentem sanctimoniam exurgat. Et in hoc (vt Salomon ait) i *stultus qui turbat domum suam, seruiet sapienti.* Ex ea enim occasione prudentior euadit ac sanctior. Et ita S. Gregorius ait, *Dominorum* & Prælatorum duritiem & rigorem seruos & subditos sanctos reddere: *seruorum* verò & subditorum duritiem Dominis & Prælatis vicissim esse meritorum occasionem: k nam *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum* & salutem animarum. Ambo tamen (ait S. Basilius) cōditiones & mores suos mortificare & flectere nonnihil deberent; memores instinctus illius naturalis, quem *viperæ*, serpentum crudelissimæ Deus indidit; hæc enim dum murænæ maritimæ se coniungere vult, oram maris petit, & sibilo, aduentus sui dat indicium: quo audito adnatat muræna, & intrepidè viperæ coniungitur: sed hæc ante congressum, omne, quod continet, virus abijcit, ne quod compari damnum adferat. Discant hoc exemplo coniugati, feritatem & duritiem moderari ac mortificare? vxor virum sequi, eique se subijcere, quamuis vipereus sit & virulentus; maritus verò suā flectere conditionem, & animum mitigare, quò vxor illum sustinere queat. Alia huc spectantia media, nec minus efficacia, sequentibus capitibus proponentur.

g *Gal. 6. 2.*

Ira extinguenda.

h *Rom. 12. 18.*

Alter alterum exercet

i *Prou. 11. 29 Lib. 20. mor. c. 21.*

k *Rom. 8. 28.*

Refert Ludouic. Legionensis.

Viperæ cautio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPVT V.

CONIVGALIS CASTITAS, ADVLTERII GRAVITAS, & nimia Zelotypia.

AMOR & concordia inter coniuges valde conseruatur & crescit per *castitatem* quæ in gradu suo supremo, quem *virginitatem* dicimus, non modò in *mulieribus*, quarum præcipua ac primaria *dos* est illa integritas, sed etiam in *viris*, præcedere sponsalia deberet. Talis fuit Iacob Patriarcha, quamuis satis prouectus cum prima vxore Lia contraxerit. Nam propterea primogenitum suum Ruben vocauit *principium doloris sui*, insinuans (vt docet Abulensis) tunc patres cum dolore, quamuis sine omni culpa, amittere, quod nulla pœnitentia reparari ac recuperari potest. Tunc verò castitas illa incipit, quam *coniugalem* dicimus: quæ in *fidelitate*, quam in opere coniugali alter alteri præstare tenetur, sita est. Vtramque castitatem senior Tobias filio suo commendauit, antequã ad matrimonium animum applicaret: b *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione; & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* quasi diceret; antequã connubium ineas, *virginitatem* serua: inito autem iam connubio, status *coniugalis* castitatem cole: quæ per duo extrema vitiosa, *nimium* scilicet amorem, & *odium*, ac tædium periclitatur. *Primus* frequentior est, & consistit in immoderato & effræni vsu *voluptatum* coniugalium: iuxta illa D. Hieronymi verba, quæ in Decretalia relata sunt; origo, inquit, amoris, honesta erat; sed eiusdem magnitudo turpis: parum autem refert, honestã esse causam, si propter hanc ipsam insanias. Propterea nõ inscitè Philosophus olim dixit: adulterum illum esse, qui nimio & inordinato amore vxorem suam diligeret, quam vir sapiens non turpi & inordinato: sed ita honesto discretoq; affectu diligere debet, vt non voluptatis impetus, Regis instar, prædominetur; sed rationis sequatur dictamen. Nihil enim turpius ac fœdius, quã vxorem propriam tanquam adulteram, nec nisi ob solam voluptatem amare. Quocirca qui hoc modo illã amaret: etiamsi vxor propria non esset, post illam tamen abiret; & vt mentis impos, leges transgrederetur, quas Deus, ad status huius iustificationẽ constituit. Euidens peccati huius grauitatis indicium est horrenda & funesta mors *septem* virorum Saræ, quos dæmoniũ, ob indomitã carnis concupiscentiam, qua ad illam, instar equi & muli, nonnisi turpẽ voluptatem spectantium, ingredi volebant, enecauit. Recordentur proinde coniuges: quemadmodum *vinum* moderatum salubre est, & sanitati conducit: nimiũ verò & immodicũ eidem nocet; ita nimio delecta-

a *Gen. 49. 3. Ibi ex Plinio li. 10. c. 63. Castitas virginalis & cõiugalis.*

b *Tob. 4. 13.*

Lib. 1. Con. Iouin. 32. q. 4. 1. origo. Amoris turpis fœditas & pœna.

S. Tho. Additio ad 3. p. q. 49. a. 6. dicit esse p. mortale.

tio num

tionum coniugalium vino, castitatem amitti & euerti. Ita S. Ægidius, S. Franciſci ſocius ſæculari cuidam, de caſtitate coniugali glorianti, & ab adulterio immuni, reſpondit; ne propterea, inquit, glorieris; poteſt enim quis non minus è proprio vaſe, quàm alieno inebriari: ſic oſtendere volens etiã in hoc, ebrietatem aliquam contineri poſſe, quæ perfectæ caſtitati aduerſetur: ac proinde nimietatem hanc & immoderationem mortificandam. Dolendum enim eſt (ait S. Gregorius) immaculatum matrimonij thorum maculare; & in vitium conuertere, quod cum virtute fieri poſſet multi Sodoma inſtar Loth, egrediuntur, luxuriæ flammas fugientes: non tamen ad altum perfectæ continentiæ montem ſe recipere conati ſunt; ſed in d *Segor ciuitatem paruam*, id eſt ſtatum coniugalem (in quo virtutum nulla ſublimitas) peruenisſe contenti ſunt, hic tamen ab incendio carnalis delectationis immunes agere poſſunt, & animas *ſaluare*: (niſi exceſſuum ſcintillæ, quos ob immoderatam concupiſcentiam faciunt, eoſdem vſtulent) quod fieri tum poterit, cum amorem ſuum ad regulas præſcriptas moderati fuerint; & matrimonio eos duntaxat ob fines vtantur, ob quos id inſtituit Deus: ad procreandam ſcilicet *ſobolem*, & *concupiſcentiæ* ardorem extinguendum; tantum è pharmaco ſumendo, quantum ad dolorem leniendum, non verò magis *augendum* ſpectet. Vnde ſequitur, Coniuges in quibus ob ætatem *ſenilem* duo illi fines iam finem accepêre, ſi perfecti eſſe velint, *continentia* effulgere debere, Abrahæ & Saræ exemplo, qui dum in ſenium deuenientes de prole habenda deſperarent, ſeſe ab vſu matrimonij continuerunt: Quemadmodum Doctores nonnulli ex verbis illis Saræ, cùm Angeli, ſobolem Abrahæ ex ipſa promitterent, colligunt, e *poſtquam conſenui*, inquit, *& Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo*? oſtendens ſcilicet, ſe iam omnem à carnali voluptate animum auertiſſe.

Coniugij honeſtus vſus.

3. *p. paſt. ad mon.* 28.

d *Gen.* 19. 20

Turpe ſenilis amor.

e *Gen.* 18. 12. *Vide Perer.*

§. I. *Adulterii grauitas in Viris.*

IAm ad *alterum* extremum tranſeamus, odij ſcilicet, & contemptus, quo vehementius coniugalis caſtitas oppugnatur, & ſumma cum iniquitate & iniuſtitia in *adulterii* peccatum præcipitatur. Tanta ſiquidem eſt carnis in delectationes ſuas conſectandas pronæ miſeria, vt licitarum voluptatum experientia & delectatio, quæ teſte Apoſtolo, ad *fornicationem* fugiendam, & concupiſcentiæ ignem ſopiendum inſtituta eſt: eaſdem magis magisque extimulet; & ſimul etiam illicitarum experiendarum deſiderium inijciat: in quibus *Dæmon* & deprauata *imaginatio* maiorem guſtum ac ſaporem ſitum eſſe fingit, cum quodam aliarum faſtidio ac nauſea. Ita ſentiebat nequam illa mulier, quam Salomon ait dixiſſe, b *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* non quod reuera ita ſit, ſed quod maiori cum auiditate

a 1. *Cor.* 7. 2

b *Prouv.* 9. 17

guſtari

Aliena magis placent. Hom. 3. de verbis Isa.

gustari soleant; & proprius panis, quamuis melior, nauseam plerumque adferat. Veruntamen quicunque infelix eiusdem cum illa opinionis est, nullã propterea excusationẽ habebit, teste S. Chrysostomo, quamuis millies carnis suæ inclinationem ad sui purgationem adferat: dedit enim iã Deus propriam illi vxorem, quę concupiscentiæ illius æstus sedet: ideoq; instar *nautæ* est naufragium in portu faciẽtis. Nec aduertit miser, vt ait Sapiens: *in adulterio latere gigantes*, id est dæmones, illiusque conuiuas, qui ex alieno comedũt, & bibunt, in abysso infernali sepeliẽdos. Nam teste Iob, adulteriũ c *nefas est, & iniquitas maxima, ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*: nam honorem, famam, amicos, & patronos, coniugum concordiam, familiæ quietem, & domus fælicitatem corripit ac deuastat, aduisque radices euellens & destruens propagines: efficiendo scilicet, vt filij ac successores perpetuò, tanquam incerto patre, & illegitimè nati, habeantur

c *Iob.* 31. 12. *Adulterij mala.*

2. 2. q. 154. *art.* 8.

AT quoniam adulterium (vt S. Thomas docet) vtrique coniugum commune est, de vtroque peccato proferamus ea, quæ per Ecclesiasticum Spiritus S. depromit: præsupponendo, *duplici* ratione *virum* adulterium committere posse; vel quòd ipse coniugatus sit, tametsi mulier, cùm qua peccat, sit soluta; vel quod illa coniugata, ipse verò solutus. Primum *fidelitati* status sui aduersatur; alterum *iustitiæ* alterius vxore abutendo. De vtroque verò casu ita loquitur Ecclesiasticus: d *duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem: id est, omnis homo qui transgreditur lectum suũ, contemnens in animam suam & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; quem vereor? delictorum meorum nõ memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniã omnia videt oculus illius, quoniã expellit à se timorẽ Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominũ timẽtes illũ. Et non cognouit, quoniã oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solẽ, circumspicientes omnes vias hominũ, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur, & vbi non sperauit, apprehẽdetur, & erit dedecus omnibus: eò quòd nõ intellexit timorẽ Domini*: hæc sunt Ecclesiastici verba, quibus confirmatur id, quod Iob ait: e *oculus adulteri obseruat caliginẽ, dicens: non me videbit oculus, & operiet vultum suũ, perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerũt lucem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant, maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum, ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatũ illius: obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermes; non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum: pauit enim sterilem, quæ non parit; & viduæ benè non fecit*, id est, eò quòd facultates suas dilapidauit in fruenda muliere nequam, è qua nullos suscipere sperat liberos, & ob quam propriæ vxoris

c *Iob.* 24. 15.

d *Eccl.* 23. 21.

obliui-

obliuiscitur: cum qua ita agit, atque si vidua aliqua esset: aliud verò non spectat, quàm vt carnem suam delitijs impleat; quæ ita sterilis est, vt nullos sanctorum operum fructos producere possit; animæ propriæ oblitus, quæ eadem proferre posset: in perpetua illam viduitate agere sinens, à Deo suo in perpetuum orbatam. Has aliasque maledictiones & miserias Iob vir integerrimus adulteris interminatur: qui etiam in hac vita plurimas illarum incurrunt. Et quamuis iustitia sæcularis ac terrena, quia illorum delicta ignorat, eadem castigare non potest: *cœlestem* tamen non effugient. Nam, cùm se maximè securos credent, tum terribilia illius flagella experientur. Quemadmodum illa sensit Dauid Rex, dum vxorem Vriæ adulterio polluit, cui per Nathan Prophetam Deus interminatus est, dicens: f *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cũ vxoribus tuis in oculis solis huius. Tu enim fecisti absconditè, ego autẽ faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Minis verò, rei successus respondit, *Absalon* enim filius aduersus patrem insurgens, cum *decem* illius vxoribus adulterino concubitu copulatus est; & parum etiam abfuit, quin regnum illi & vitam auferret, vt g *aquæ furtiuæ*, saporem *& panis absconditi dulcedinem septemplici* dolore lueret. Nec ipse etiam Absalon adulter impunè habuit: Deo quippe permittẽte, h *Ioab tribus illum lanceis* ex arbore pendulum *transfixit*: & propter *decem* mulieres, quas violauit, *decem armigeri Ioab accurrentes eum interfecerunt*, ne tale delictum debita castigatione priuaretur. Quambrem mariti hoc sapientis consilium, quod metaphoricè significatum proposuit, sequantur: i *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*, nec ad alienum accesseris. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas*, id est filios tuos ita *diuide* vt tanquàm proprij possint absq; pudore comparere: & ita *habeto eas solus; ne sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capient impium & funibus peccatorum suorum constringetur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam: & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

Adulteros punit Deus.

f 2. Reg. 12. 11.

Dauid.

g Prou. 9. 17.

h 2. Reg. 18. 14.

Absolon.

i Prou. 5. 15. ex Iansenio.

§. II. *Eiusdem delicti in vxoribus explicatio.*

Transeamvs ad adulterij grauitatem in *vxoribus*, quod maiora secum damna trahit, quæ graphicè idem Ecclesiasticus depingit in *tertio* eas peccantium genere recensens, qui grauissima flagella & caigationem amarissimam promerentur: *sic est mulier omnis relinquens virum suũ, & statuens hæreditatẽ ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit: Secundo in virum suum deliquit; tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi, qui legitimos sua hæreditate priuabunt. Hæc in Ecclesiã adducetur*

Ecclꝛ. 23, 32.

& in filios eius respicietur: hoc est, ea nota illis inuretur. Nō tradent filii eius profundas radices, & rami eius non dabunt fructū: Deo id permittente, vt citò pereant. derelinquet in maledictum memoriā eius, & dedecus illius non delebitur, & agnoscent, qui derelicti sunt, quoniā nihil melius, quam timor Dei, & nihil dulcius, quā respicere in mandatis Domini. Hæc Ecclesiasticus, culpæ ac pœnæ miserias referēs, quas vxor adulterans incurrit: eò quòd iniuriā Deo, marito, filijs legitimis, & ipsis illegitimis, cognatis, affinibus, & notis omnibus irroget, omniumq; in se iram prouocet, vt propterea omnibus odio & contemptui sit; filios viri sui dubios reddat, & ipsi illegitimi tam in Ecclesia, quàm in Rep. infames sunt, & detestandi, idque non modò in odium ac detestationem delicti parentum, sed etiam quod prauos illorum mores imbibere & sequi soleant; ac propterea (vt Sapiens dixit) b *filii adulterorum in inconsummatione erunt*, nec crescent, *& ab iniquo thoro semen exterminabitur, & c spuria vitulamina non dabunt radices altas, neque stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, animietate ventorum eradicabuntur, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum.* Aptum eius rei exemplum fuit Bersabee proles ex adulterio concepta, pro cuius salute quamuis Pater d *deprecaretur Dominū, & ieiunaret, & ingressus seorsum iaceret super terram*, non tamen est exauditus ab eo, ne (vt ait S. Ambrosius) superstes filius, tam fœdi adulterij memoriam integram in mundo conseruaret.

b *Sap. 3. 16.*
c *Cap. 4. 3.*
Adulterij memoria odiosa.
d *2. Reg. 12. 16.*
Serm. 5.

Lex Zelotypia.
e *Num. 5. 14*

SED maiorem adhuc metum incutit; ac delicti huius grauitatem ostendit horrenda *zelotypiæ lex*, ab ipso DEO in Republica Hebræorum lata. Cùm enim sciret, quàm esset furiosa zelotypiæ virorum passio, & quàm detestandum adulterij crimen in vxoribus: hanc zelotypiæ legem tulit; e *si spiritus zelotypiæ concitauerit virū contra vxorem suā, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est; & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino, assumetq; aquam sanctam in vasefictili; & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumq; steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit, adiurabitq; eam, & dicet: si non dormiuit vir alienus tecum; & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessit; sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro: his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. & respondebit mulier: Amen, Amen.* & aperto capite aquas illas hauriet: *quas cùm*

biberit:

biberit, si pollutа non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Si autem polluta fuerit, & adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur, & ita recipiet iniquitatem suam, & maritus absque culpa erit: quia decretum illud Dei erat, cuius lex iusta, & ceremoniæ sanctæ, ac mysterium spirantes. Nam, quòd illa oblatio non triticeam, sed *hordeaceam* farinam, quæ bestiarum est cibus, requireret; significabat, (vt Lyranus exponit) eam dirigi ad cognoscendum, & statuendum, an mulier, bestiæ instar, vitam duxisset, carnis tantum propensionem & voluptatem sequens. nec miscebatur *oleum*, quod est lucis fomentum, & vulnera curat: adulterium enim in tenebris peragitur; & ipsa adultera non misericordiæ remedium, sed iustitiæ supplicium recipiebat: nec eius oratio exaudiebatur: ac propterea non adhibebatur in ea *thus*. Manebat *capite aperto* coram sacerdote: eò quòd pudorem coram Deo amisisset, & coram hominibus ignominia plena esset remansura. In *fictili poculo* haurienda aqua præbebatur: vt fragilitatem suam, & exiguam fidelitatem agnosceret. miscebatur quoq; *aqua* sancta, *& pauxillũ terræ de pauimento tabernaculi*, & *charta* maledictionũ in eandẽ mittebatur, vt intelligeret: res sacras alijs ob suam puritatẽ vtiles: fore ipsi, ob malitiam propriã, noxias. Infelix itaq; adultera nõ poterat *morte* euadere: nam, si peccatũ fateri, ne haustũ illũ acciperet, statuebat: debebat iuxta legẽ lapidari: si autẽ haustũ sumere volebat, quem aquã amarissimã appellabãt, in eas miserias & calamitates incidebat, quas ipsa lex minabatur. Et quãuis adeò lex illa horrenda, erat, tamen plena *misericordia*, totiq; Reip. fauebat: quia scil. timor in horrẽdæ illius pœnę experimentũ incidendi, plurima adulteria impediebat. Ex quo fit, vt tanquã grauissimã pœnã minetur Deus illi populo suo, quòd vellet hãc legẽ reuocare, permittẽs eos effrenatè sequi sua adulteria. *Non visitabo* (ait) *super filias vestras, cũ fuerint fornicatæ; & super sponsas vestras, cũ adulterauerint.* Quã S. Hier. vult non esse misericordiã, sed horrendã *irã*: nã nec vllũ malũ culpa maius est, nec maior pœna, quã ipsã culpã in hac vita sinere impunitã: vt sic crescat illa magis; ac proinde æterna ei⁹ pœna magis etiã augeatur.

Hordeum. Inetum locũ vide Rebera in Ose. 3.

Oleum.

Thus.

Caput apertum.

Res sacra.

Mors adulterij pœna.

Ose. 4. 14. Impunitas pœnarum maxima.

Verum quidem est, quòd in lege Euangelica, quæ gratiæ est in vsu hæ ceremoniæ, & legis veteris rigor esse desierunt. Nam & Christus D. adductam ad se à Iudæis mulierẽ adulterã, vt illam ex legis decreto iuberet g *lapidari*, condemnare noluit; sed qua erat benignitate, peccatũ ei dimisit, admonens, *ne vellet amplius peccare*; cui gratia sua & auxilio, ne relaberetur, est *cooperatus*. Sed hoc ipsum tamẽ magis adulterij grauitatem patefacit, quòd scil. legi aduersetur, quæ tanta cũ *misericordia* procedit; & *gratiæ*, quã per Sacramẽtũ confert. Nouerit igitur mulier Christiana, eo ipso tẽpore, quo tam grauiter delinquit, reã se fieri omniũ pœnarũ & suppliciorũ, quæ lex vetus zelotypiæ reis intẽtabat; nã si in hac vita corporaliter nõ infligentur, *spiritualiter*

g Ioan. 8. 5.

Quo lex benignior, eo maior reatus.

Fidelitas corona coniugij.

tamẽ in anima eadẽ ſubiturã; & poſtea perpetuò inferno, niſi pœnitentiam egerit de peccato ſuo, vitamque in melius commutarit, luituram. Maximus tamen ad hoc ipſum ſtimulus eſſe deberet, amor ipſe caſtitatis, & *fidelitatis*, quæ ſtatus huius *corona* eſt: vt mori potiùs eligat, quàm in Deum & maritum perfidiam exercere, idque caſtiſſimæ h *Suſannæ* exemplo: quæ, ne adulterij rea coram Deo conſtitueretur, maluit coram hominibus adulterij inſimulari, & pœnis à lege adulteris præſcriptis ſe exponere. pluris enim caſtitatem cum aliqua infamia & morte ipſa, quàm vitam & honorem ſine caſtitate faciebat. Sed diuina prouidentia fidem hanc coniugem protexit; & quòd ipſa caſtitatem ſeruaſſet: eam Deus in vita conſeruauit, illiusq; *nomen* illuſtrius reddidit; cùm & hodierno die deprædicetur; & ad finem vſq; ſæculi fidelitatis illius gloria permanſura ſit, vt taceam interim præmium *æternum*, quo propterea in cælo perfruitur. Ex omnibus hiſce argumentis & tremendis rationibus, quas hoc capite ſumus proſecuti, validum timoris diuini *frænum* coniuges conficiant oportet, quo indomitas carnis paſſiones refrænent; ne extra rationis limites abripiantur.

h *Dan.* 13. 22.

Suſanna fidelis merces.

§. III. *Nimia Zelotypia.*

Zelotypia Vxorum.

VERVM ſilentio inuoluenda non ſunt damna, quæ ènimia proficiſcuntur *zelotypia*, circa quam lex prædicta verſabatur. Eſt enim crudeliſſimus carnifex, qui ſine vlla clementia & pietate exagitat, ac torquet zelotypum; & illum ipſum, de quo talis ſuſpicio habetur. Si enim *vxorem* zelotypia occupet, parumq; ie à marito diligi vel aliorſum illum amorem ſuum diuertere ſuſpicetur; intolerabili ſe ipſam cruciatu afficit; vitamq; ſibi reddit amariſſimam. Vnde benè Eccleſiaſticus: *dolor cordis & luctus, mulier zelotypia: in muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*: id eſt, ita maritum infinitis cordis afflictionibus exagitans: vt ſub intolerabili hoc onere gemere eum faciat. lingua illius flagellum eſt: quòd illum verbis calumnioſis, & grauibus, in omnibus, quæ agit, quodammodo flagellet; omnia enim illi materia & fomes ſunt zelotypiæ ſuſpicionis. Nunquam nõ conqueritur, & expoſtulat: & omnes querelis ſuis affligit, nam (vt Plinius iunior ait) *nihil tam pronum ad ſimultates, quàm æmulatio in fœminis.* Si verò petita, quamuis iniqua, mariti non conceſſerint, conqueruntur: & exiguo illorum in ſe amori illud aſcribũt: neque prius ab inſtando quieſcunt quàm illorum compotes reddãtur. Expertus eſt hoc ipſũ Sambſon in duabus, quas è Philiſthijm duxit vxoribus: quę tam pertinaciter & importunè duo illius ſecreta inquiſiere, vt tandem ea illis aperire coactus ſit, quarum vna ait: b *odiſti me, & non diligis, ideirco problema quod propoſuiſti, nõ vis mihi exponere.* Altera verò: *Quomodo dicis, quod amas me: per tres vices mẽtitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua?* Tam verò moleſta & importuna fuit, nullam vt illi

Ecclſ. 26 8.

In Panegyrico ad Traianũ imper.

b *Iud.* 14. 10 & 16. 18.

quietem

quitem concedere, donec, quod petebat, reciſſet. Verùm eò grauior & damnoſior zelotypia hæc eſt in *viro*: quò maior illius ad affligendas vxores poteſtas, illas domi continendo, & coarctando, parumque illis fidendo: vnde grauia ſequi ſolent infortunia. Propterea ſuaſit Eccleſiaſticus, c *non zeles mulierem ſinus tui: ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.* Id eſt: ne illi occaſionem hoc pacto des, peruerſa doctrina quæ incantationes & *magiam* edocet, vtendi: vt tuis ſe moleſtijs eximat. Alia lectio dicit: Ne *doceas in te ipſum doctrinam malã*: nam nimia tua zelotypia illam etiam zelotypam reddet; & tuo illam exemplo prouocabis, ad te affligendum, ſicut tu illam; & ita tecum ſe geret, vt experitur, te gerere erga ſe. Si verò honeſtè aliàs viuebat: efficies, vt amorem, pro te proſequebatur, immutet, & oculos aperiat, vt, quę forſan nunquam facere cogitaſſet, ſi illi confidiſſes, facere audeat. Quid tibi profuerit, inquit S. Hieronymus, zelus & nimia diligẽtia in ſeruanda vxore tua: ſi enim *inhoneſta* fuerit, vix illam cuſtodire poteris; ſi *caſta* & honeſta, cuſtodia opus non habet. Infida enim cuſtos caſtitatis eſt *neceſſitas*. Illa verè caſta eſt, quæ peccare poſſet, ſi vellet: tamen non vult, quòd caſtitatis amore retineatur, Deíque præſentia illi, ſicut Suſannæ inſtar fræni ſit. Non verò zelum conuenientem, & æquum; ſed nimium, & imprudentem vetamus. Iuſtum enim eſt, vt in libro Canticorum ſcribitur, mulierem ſignatam eſſe vnico mariti ſui d *ſiguaculo*, ne aliud admittat; & ſibi perſuadere, *duram eſſe, ſicut infernum, æmulationem*, ad puniendum irremiſibiliter admiſſum aduerſus hæc errorem. Et, vt ait Salomon, e *zelum & furorem viri non parcituros, in die vindictæ, nec cuiuſquam precibus acquieturum, nec pro redemptione dona plurima ſuſcepturum*: Nam iuxta legis antiquæ conſuetudinem, non erat ſacrificium vllũ pro adulterij propitiatione inſtitutum, ſed certiſſima mortis pœna erat in adulteras decreta: quam Dominus mulieres etiam ſcire cupiebat: vt ſupplicij huius metu à peccando auocarentur. Neque legis Euangelicæ perfectioni repugnat, quòd viri, iuſtitiæ leges ſeruantes, hunc animũ præferant, vt vxores ſuas hoc pacto ab adulterij crimine deterreãt. Tametſi, commiſſo iam delicto, Salomonis ſententiæ non repugnet, quòd precibus placetur, & vxori reconcilietur. quãdo ſcilicet prudentia & Chriſtiana charitas id poſtularint, memor benignè illius ſententiæ, quam per Ieremiam Dominus olim protulit: f *vulgo dicitur, ſi demiſerit vir vxorem ſuam, & recedẽs ab eo duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te dicit Dominus.*

Virorum grauior.

c Eccl. 9. 1.

Ita Ianſen Hinc Magis.

Nimia cuſtodia noxia Lib. 1. cõtra Iouinian.

Zelus ſit moderatus.

d *Can.* 8. 6.

e *Pro.* 6. 34.

Miſericordia ſoror Iuſtitiæ.

f Ier. 3. 1.

§. IV. *Zelus Dei aduersus adulteros.*

QVID QVID hactenus hoc capite dictum est, confirmemus egregia illa historia de Abraham & Sara, quando, fame inualescente, coacti sunt in Ægyptum, ac deinde in Palæstinam transire. metuens quippe Abraham, ne, si *Pharao* Ægyptiorum Rex, & *Abimelech* Geratæ regulus, *Saram esse ipsius vxorem* cognouissent, necem ipsi machinarentur, quò sibi eam copularent; *erat enim pulchritudine eximia*, suadebat coniugi, vt a *sororem se* duntaxat *esse diceret*. Reges verò Saram in aulam admittentes, quo illam sibi in vxorem adoptarent, egregias pœnas Deo dedere, donec illam legitimo coniugi restituerent. Qua in re (aduertente Sancto Ambrosio) documenta præclara, & proposito nostro conuenientia delitescunt.

a Gen. 12. 12. c. 20. 4.

Li. 1. de Abr. c. 2.

1. *Deus adulterij vindex.*

Primum: Deum zelosum esse castitatis coniugalis protectorem, & terribilem adulterij, etiam occultissimi, vindicem. Nemo (inquit) vxorem alterius tangere præsumat, sperans delictum suum occultum, aut impune futurum: neque dicat: Maritus absens est, nihil de hoc resciscet. Adest enim Præsul couiugij DEVS, quem nihil latet, cuiusque manus nemo effugiet: qui mariti etiam absentis partes agit, & super familiam excubat; & reum, antequam, quod voluerit, efficiat, comprehendit: nouit enim quodlibet peccatum, & etiam adhuc in corde latens. Dic mihi adulter, putasne, te Deum posse fallere, quamuis forsitan maritum fallas? & mariti manus effugiendo, æternum te posse iudicem euadere, qui iniuriam mariti infirmi, & ignorantis horrendo supplicio vindicabit?

2. *Deus pœnis præuenit adulteria.*

PRÆCLARVM huiusce rei testimonium fuerunt plagæ & flagella, quibus DEVS in Pharaonem & Abimelech, Abrahæ vxorem sibi vindicantes animaduertit: quod tamen maximè mirandum est, cùm duo illi Reges ignorantia hac in re laborantes, credidissent, Saram, non vxorem, sed sororem Abrahæ esse: quam propterea in vxorem habere volebant. Sed DEVS tamen matrimonij honoris est æmulator, vt adeò etiam cùm ignoranter aliquid aduersus illud intentetur, præmissis supplicio & plagis, illud amoliri conetur: ne res effectum consequatur. Mox enim, atque Sara aulam subijt (vt benè aduertit Theodoretus) vtrumque Regem graui morbo percussit DEVS, ne ad illam accederent. Pharaonem verò *seueriori* percussit flagello, eò quòd maiori arderet concupiscentia; *mitiori* verò Abimelech, eò quod vir esset iustus, & sincera mente procederet. Nec verò mysterio caret ipsius Abimelech, omniumque domesticorum eius castigatio: efficit enim DEVS vt nulla vxorum, & ancillarum eius parere potuerit, quamuis vehementissimos cruciatus & tormenta experirentur: iusta enim & conueniens adultero pœna est; vt, cùm alienam sibi

In catena in Genesim.

Ex Amb. li. 1. de Abrah. c. 7.

Pœna adulterij iusta.

vendi-

vendicare mulierem conatur, è propria fructus nullos suscipiat: vel illa cruciatum illi & dolorem adferat.

Tertivm hinc sequitur documentum, quòd maritis *iustis*, & verè Deum colentibus insignis est consolationis. si enim illi fidant, remque suam totam ei committant, ipse vxorem familiamque illorum tuebitur, proque illorum honore & fama decertabit. Hac fide nixus Abraham, intrepidè, & prudenter in prædictum periculum, quod euadere non poterat, se coniecit: Et ecce, Devs illius causam in se suscepit, quod verbis illis insinuauit, quibus Abimelech de nocte est allocutus: *Nunc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te, & vives, quia Propheta est.* Quasi diceret, vide & considera, virum hunc insigni *sanctitate* præditum esse: & propterea causam illius me suscipere. quam primum ergò illi vxorem intactam redde: quia sua te oratione plagis & cruciatibus tibi alias destinatis eripiet. Vnde infert Ambrosius, *eum, qui Deum sequitur, semper securum esse*, & idcirco Devm omnibus donis præferendum, vt qui ea det dataque conseruet. Hac fiducia nixi coniuges zelum suum indiscretum moderentur oportet, memores sententiæ illius Apostoli: b *omnem solicitudinem vestram proiicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis.* perinde ac si diceret: soliciti duntaxat sitis, quantum rebus vestris conueniat, ne Deum tentetis, nimiam solicitudinem seponite, eamque in Deum proiicite? cuius erit prospicere & videre, quo vestra pertingere nequibit. Quoniam autem vos pericula omnia occurrentia tollere & impedire non potestis: Deo confidite, qui eadem auferet, vosque seruabit immunes.

Deus pugnat pro iustis.

b 1. *Pet. 5. 7.*

Deo curam committe.

Sed finem faciamus, attendentes, quanto odio Abimelech Rex quamuis gentilis, & sola lege *naturali* vtens, adulterium prosequeretur. primo namque cum *Abraham* expostulauit, quod huic adulterij periculo ipsum exposuisset, dicens: *Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super regnum meum peccatum grande?* In quo, quid de adulterij grauitate sentiret, aperte demonstrauit, dum illud peccatum *grande* nuncupauit, & totius regni *detrimentum*: cùm ob adulterium Regis vniuersum soleat regnum castigari; vt exemplo esse potest regnum Israel, quod ob Dauidis adulterium durissima flagella subijt. *Saram* quoque reprehendit, quòd non aperuisset, Abrahamum suum coniugem esse, sed fratrem finxisset; melius, inquit, est, vt coniugem tuum, voces. *Et hoc erit tibi in velamentum oculorum*, ne quis eorum venustate deceptus, in tui concupiscentiam ardeat. nemo siquidem, vbi coniugatam te esse compererit, tuam pulchritudinem concupiscet. Et quocunque perrexeris, memento. te iam secundò deprehensam: in posterum verò idé ne feceris. Quo facto Rex euidenter demonstrauit, quam per vniuersum regnum suum honesta conuersatio vigeret; quamque infame, &

Adulterij grauitas in lege natura nota.

Ita Caietan interpretatur.

execran-

execrandum esset omnibus adulterium. credebat enim sufficere, ne quis Saram vel contingere auderet, si duntaxat, coniugio se copulatam diceret. Denique insignia in Abraham munera & Saram contulit, quæ in testimonium forent & indicium (vt narrat Chrysostomus) intactam illam ab se dimitti; simul etiam præcepit, vt hoc per vniuersum regnum promulgaretur, ne aliquam sinistrè suspicandi occasionem suis daret; sed vt omnibus de rei veritate constaret: tum, quò *Saræ honor* integer maneret: tum, ne quid detrimenti *suum* inde *nomen* acciperet (Nam sinistra de Rege fama in vniuerso regno sparsa, facilè illius nomen macularet. Dona item hæc, inquit, tibi profuerint ad velamina oculorum tuorum, & ancillarum tuarum comparanda, ne viri pulchritudine vestra capiantur, & tanquam laqueis siue pedicis irretiantur.

Ham. 45. in Gen.

Bonum nomen.

Velamen oculorum. Vide Perer.

Hæc sunt documenta, quæ bonus ille Rex Christianis Regibus reliquit vt coniugalem castitatem non in se ipsis duntaxat sed in vniuerso regno zelent; cuius virtutem Deus calculo suo probauit dicens c *Ego scio, quod simplici corde feceris; & ideò custodiui te, ne peccares in me; & non dimisi, vt tangeres eam.* Quibus in verbis, vt Theodoretus ait, ostendit Dominus, *bonam* iustorum *intentionem* in causa esse, cur à peccatis præseruentur, nec vllam proximo iniuriam inferant, cùm bonam Abimelechi intentionem videns, qua Saram sibi in coniugem accipere cogitabat, illi reuelauit, ne hoc faceret; quòd iam matrimonio iuncta esset. At quoniam in rebus carnalibus semper aliqua *culpa* committitur, voluit Abraham pro illo orare, cuius precibus permotus, delictum remisit, & à puniendo manum continuit.

c *Gen. 20. 6*

Bona intentio seruat iustos.

Carnalia non sine culpa.

CAPVT VI.

CASTITATEM CONIVGALEM A PVLCHRITVdine & ornamento corporis impugnari, ab animæ verò pulchritudine conseruari.

TAMETSI coniugum castitas à fortissimis validissimisque hostibus oppugnetur, aduersus quos in sequenti Tractatu de continentia omnibus communi, varia tum ad *oppugnandum*, tum ad *propugnandum* arma producemus, *duos* tamen aduersarios habet secretos admodum & occultos, qui eodem ipso, quod ad statum suum spectat; illam impetere & impugnare solent. *Primus* est puchritudo exterior, ob quam non exiguum matrimonio onus, & molestia accedit: si enim

vxor *deformis* sit, metuendum est, ne à viro contemnatur; si autem *formosa*, nisi huiusmodi illa sit, quæ se ipsam custodiat, difficilè custodiétur, imò & tunc in *alio* periculo miser maritus versatur; quod insinuauit a *Abraham*, cùm sciens vxoris *Saræ* pulchritudinem, bis timuit sibi, (vt præcedenti capite retulimus:) ne alij eius pulchritudine capti, sibi necem afferrent. Et postea b *Isaac* eius filius in idem periculum incidere timuit, occasione *Rebeccæ* vxoris suæ eximiæ venustatis: sed vtrumque Deus liberauit, vti iam diximus: eò quòd sanctè his in rebus procederent. Quæ *sanctitas*, si defuerit nihil omninò securum est. cùm c *Dauid Bersabee* pulchritudine captus; vt adulterium admissum occultaret: *Uriæ* optimi eius viri necem procurauerit. vnde infert Ambrosius, non esse quærendam vxorem, quæ *venustate* alijs emineat; cùm illa necis mariti inferendæ occasio esse soleat. Qui huiusmodi vxorem quærit, dulce domi venenum, cancellos, & carcerem aureum, & splendidam seruitutem fouet, difficulter quippe seruatur & possidetur, cui plurimi inhiant. At his periculis, vtpote *rarioribus*, omissis: *frequentia*, & quotidie occurrentia quæ directè castitati aduersantur, prosequamur: quando scilicet venustas corporalis *spirituali* destituitur, quæ in puritate & sanctitate animæ, timoréque diuino sita est. de illa enim locutus est Salomon, cùm dixit: *fallax est gratia & vana pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur*: aptè porrò gratiam exteriorem *fallacem* nuncupat, quæ sancto hoc timore, à quo coerceatur, caruerit: sine quo retinaculo & fræno mulier eadem dotata, & inaniter pascitur, & decipitur: & ipsa vicissim inescat ac decipit alios: cuius finis est illa miseria, quam idem Sapiens describit: e *sicut c rculus aureus in naribus suis, ita mulier pulchra & fatua*. Nam, vt *sus* tam preciosum annulum nihil facit, & cum illo se luto & cæno inuolutat, & fimeta fœtidissima eisdem naribus inuertit: ita mulier nefaria & improba abutitur collata sibi ad ornamentum à Deo *venustate*, cùm se carnalium voluptatum cæno inquinat. At f *mulier sancta & pudorata*, pulchritudine sua (vt suprà iam ex Ecclesiastico retulimus) *solis* instar *in* hoc *mundo* collucet: & velut *lucerna splendens super candelabrum sanctum*: nam corporis pulchritudini internam *animæ* coniungit; & vitæ puritate & sanctitate sine vlla culpæ macula resplendet, seque ab omni re, quæ eandem obscurare posset, quàm maximè continet. Non sine causa tamen omnes pœnè sanctas legis veteris mulieres, pulchras & formosas fuisse, Scriptura refert: vt hinc manifestum fiat, *pulchritudinem* hanc *donum Dei* esse, quæ non aliam ob causam confertur, quàm vt interiori venustati respondeat, & interior ex externa colligatur.

Nimia formæ pericula.

a *Gen* 12.1.2 *cap.* 20.4.

b *Gen.* 26.

c 2. *Reg.* 12. 5. *li. de Abra. cap.* 7.

d *Pro.* 31.30.

Fallax pulchritudo.

e *Po.* 11.22.

f *Eccl.* 26.14 *Timor Domini.*

Forma donum Dei.

§. I. *Pulchritudo non profligare, sed conseruare debet Castitatem.*

EX ijs, quæ dicta sunt, colligi possunt media, quibus castitas nullum ob venustatem & pulchritudinem detrimentum aut periculum adeat nefas enim est, vt donum, quod Deus contulit, & in suum honorem cultumque destinauit, hoc in arma transeat, quibus idem oppugnetur & offendatur. Atque vt illi, qui preciosioribus induti sunt *vestibus*, maiori cura & studio easdem conseruant: ita quæ *pulchritudine* illa corporali dotatæ sunt, diligentiam maiorem adhibeant oportet, vt eam rara quadam *modestia*, & insigni *vigilantia* custodiant: eò quòd maiori studio dæmon eandem impetat & oppugnet, vt apparet in Sancta a *Susanna*, quæ ob insignem venustatem à perfidis senibus adamata, ita castitatis conseruandæ solicita fuit, vt ob eisdem defensionem mortem parata fuerit subire, vt paulo antè diximus. Nec viri quidem ipsi ab hoc onere immunes sunt, cùm non sine causa Scriptura prodat: b; *Iosephum fuisse facie pulchra, & decorum aspectu*, & mox addat: *dominam suam oculos suos in eum iniecisse*, & concupiisse. Nam (vt ponderat Sanctus Chrysostomus) ex illius pulchritudine laqueum dæmon parauit, quo illum comprehenderet; nisi Deus illi euitandi periculi, & resistendi gratiam concessisset. At quamuis ipse generosi athletæ instar, victor euaserit; domina tamen, quæ coniugata erat, tanquam debilis, aliena pulchritudine capta, & illaqueata fuit. Notant hoc & ponderant egregiè duo illa Ecclesiæ lumina Ambrosius & Augustinus, ijsdem pœnè verbis: Ioseph cum formosus & decorus esset, pulchritudinem suam ad aliorum iniuriam non conuertit, sed ad gratiam conseruandam: sibi persuadens in hoc se pulchriorem fore, si sine castitatis iactura, & puritate conseruata pulcher esse posset. Illam enim *veram* credebat pulchritudinem: quæ aliorum oculos non inescaret, nec infirmorum animas vulneraret. Magnus profectò vir ille fuit, qui diuenditus, non fuit seruus; amatus, non redamauit; prouocatus, non consensit: & impetitus, fugit: ne in peccatum prolaberetur: famulus à Domina solicitatur: & quæ alijs in rebus illi imperabat, hic blandis illum verbis orabat: verùm ille videre didicit, quòd illa non videbat: Erat pulchrior interne, quàm externè: magis decorus in splendore cordis, quàm in exteriori corporis: & quò mulieris oculus non penetrabat, ibi ille pulchritudine sua fruebatur. Videns verò interiorem castitatis decorem in speculo conscientiæ: quomodo illum tentatione luxuriæ inquinaret? Hæc S. Augustinus.

1. *Cum Forma crescat vigilantia.*

a *Dan.* 13.

b *Gen.* 39. c.

Hom. 62. *in Genes.*

" *lib. de Ioseph cap.* 3. "

" *serm.* 82. *de temp.* "

" "

" "

S. Ioseph casta forma.

" "

" "

" "

" "

2.

VERVM videamus quomodo generosus hic adolescens grauem hunc conflictum superauit, inordinatum dominæ suæ affectum reprimens, ac reprehendens: c *Ecce* (inquit) *Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat*

c *Gen.* 39. 8.

quid

quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Quid verò hoc aliud fuit, quàm apertè illi dicere: quæ mihi erga *maritum* tuum & *Deum* incumbit *obligatio*, impedit, quo minus agam, quod scio illis displicere: quòd si ego *seruus*, obligatum me agnoscam, ad fidelitatem marito tuo seruandam: quantò magis tu illius *coniunx* eam seruare teneris? Respice quæ tibi bona contulerit, & datori noli esse ingrata: equidem te tangere nolo, cùm non sis mea: neque tu ergo me tange, cùm sis alterius. Cùm verò rationibus hisce procax libido non flecteretur, castissimus adolescens *mori* potiùs decreuit, quàm huiusmodi crimen admittere. Quapropter cùm data opportunitate solum eum quadam die haberet, & illa pallium eius apprehenderet: maluit in dominæ illud manibus relinquere, quò illa nequitiam suam ac nefarium ausum tegeret; quàm huiusmodi perfidiam committere.

Obligatio Dei & proximi consideranda.

Malo mori quam peccare.

Ex quo apparet manifestè ad hasce tentationes superandas, non esse medium efficacius, generoso quodam animo, diuina gratia adiuto, ad vitæ famæque detrimentum potiùs subeundum, quàm in huiusmodi crimen assensum dandum.

VERVNTAMEN è miseræ huius mulieris lapsu aliud documentum eliciamus. nam vt ait S. Ambrosius, non sine causa dicit Scriptura in Iosephum illam *oculos iniecisse*: vt hinc discamus, prima luxuriæ iacula per *oculos* intrare & castitate illum excidere, qui alienam pulchritudinem attentius intuetur: non dicitur autem Iosephus in dominam oculos coniecisse: quia *modestia* sua seruabat, quod illa sua *libertate* perdere desiderabat.

3. vbi suprà.

Mors intrauit per fenestras.

Nec tranſeamus sub silentio aliud documentum non minoris momenti, quòd ex hac historia coniuges, & omnes patresfamilias elicere queunt: quàm videlicet prudentes esse debeant, in admittendis in familiam famulis, & virginibus *pulchritudine exteriori* excellentibus; præsertim, si *modestiam & honestatem* comites non habuerint: illa quippe ad nihil prodest, quàm, vt instar sit *laquei*, quo alios dæmon irretire & illaqueare conatur: & interdum viro, interdum vxori lapsus occasio est. Tametsi verò serui non ideò sint deteriores, quòd bonam externam speciem habeant, quando internæ probitatis illa signum est: si tamen pulchritudo hæc cum naturali immodestia & leuitate, magnaque libertate coniuncta sit, periculosa est; ac multò tutius laqueum declinare, quàm tam propè illam adire.

Forma sine virtute periculosa.

Ex his omnibus appareret veritas illorum, quæ capite septimo Tractatus primi, dicta sunt; omnes scilicet, tam viros: quàm fœminas pulchritudine illa, quæ sibi contigit, contentos viuere debere: sibi persuadentes: si *maior* defuerit, id forsan esse quòd laqueus illa foret Satanæ, & causa damna

Forma mediocri contentus sis.

Eximia bene vtere aut piè cela.

tionis: in verò *insigni vetustate* donati fuerint, datam eam sibi; vt quasi stimulus ipsis sit ad animam, quam tali in corpore Deus collocauit, condecorandam. propterea illi, qui connubio iuncti non fuerint, nec iungi volunt; si viderint pulchritudinem suam alijs laqueum esse; meritò illam tegere, & abscondere contendent: quin etiam, si licito ac decenti aliquo medio fieri posset, eandem destruent, ac deturpabunt: quemadmodum multas virgines, cælitus illustratas, fecisse legimus: turpes potiùs coram hominibus videri volentes, quàm occasio esse, vt aliorum animæ aliquam sui causa apud Deum turpitudinem contraherent. Nec mirum id in virginibus Christianis: cùm & Spurinam formosum adolescentem, qui plurimarum matronarum oculos rapuerat, atque idcirco maritis, & patribus illarum suspectus erat, referat Valerius Maximus, ad suscipionem illam tollendam, oris sui venustatem læsisse ac deturpasse: *deformitatemque* ipsam, sanctitatis suæ fidem quàm *pulchritudinem* formæ, irritamentum alienæ libidinis esse maluisse.

lib. 4. Vide Perer. in præfat. in cap. 39. Gen.

§. II. *Modestia in cultu & ornatu externo.*

Luxus vestium. lib. 3. de doctrina Christian. c. 12. 2. 2. q. 169. ar. 1. ad 2. art. 2. l. de habitu Virginum.

ALTER castitatis coniugalis inimicus ipse est *ornatus externus corporis*, quando scilicet is in subiectio parum cauto, minusque prudenti apparuerit; vel dum nimius & superfluus est; & vltra quàm status & cõmunis patriæ fert consuetudo: tunc enim (vt docet Augustinus, quem Sanctus Thomas etiam sequitur) vitium redolet; atque vt bonum habere finem non potest, ita animum vanum, sensualem ac delicatum arguit: qui non nisi vanam sui ostentationem & delicias ambit, vt laudetur, & inordinatè diligatur. Hoc sensu dixit Sanctus Cyprianus: illas, quæ se byssо & purpura induunt, sincerè *Christum* induere non posse: quæque auro & gemmis se exornant, *animæ* decorem & ornatum amisisse. Eandem ob causam excessus & superfluus externus cultus, etiam in viris culpandus est: quòd à superbia, leuitate, & sensualitate carnali originem trahat. Nisi enim vitium spiraret, & peccatum includeret, inquit Sanctus Gregorius, Scriptura tam particulariter & studiosè non declarasset: a *diuitem*, qui inferni cruciatus & flammam postea sustiunit, *purpura & byssо indui* solitum: Christus item Ioannem dilaudans, non diceret, illos, b *qui mollibus vestiuntur in* aulis & *domibus Regum* mundanorum reperiri. Verum tunc maior hæc est culpa, quando & in ipsa veste, fucata quædam, & adulterina forma, & adscititius decor quæritur, quò maior sit elegantia: adulterando (vt idem Cyprianus ait) opus Dei, & reformare cupiendo, quod semel ille formauit, non secus ac si pictor quidam tyro imaginem restaurare satageret, quam insignis alius artifex depinxisset. Nam teste Sancto Augustino fictionis & fraudis,

Etiam in viris. Hom. 40. in Euang.

a Luc. 16, 19

b Mat. 11, 8. vbi supra.

Epist. 73. ad Cossidium.

adul-

adulterinæ quædam ſpecies eſt, colorem & pulchritudinem, quam non habent, mentiri: vt ficta quadam apparentia moueant ad id, quod naturali forma efficere nequeunt, vel velle eandem augere, quò maior ſit fraus, & damnum maius. Vt illæ, quas Dauid ait, c *compoſitas, & circumornatas, vt ſimilitudinem*, & ſimulacra *templorum*; quorum pulchritudo picta eſt, ſicut etiam ſe d *pinxit ſtibio* ſceleſta *Iezebel*, vt Regi *Iehu* gratior appareret: qui leuitatem illius digna pœna mulctauit: vidua quippe, cùm eſſet, dedecebat illam fucus & ornatus adulterinus. Similia enim, vt ait Auguſtinus, vix excuſationem merentur in mulieribus innuptis, nec matrimonium ambientibus, quarum ſtatus eas obligat, (vt Apoſtolus ait) e *cogitare ea quæ Dei ſunt*. Cùm igitur hic ornatus non referatur ad magis Deo placendum: ſummo cum diſcrimine adſciſcetur ad maiorem in virorum oculis gratiam inueniendam: quòd ſi è vana naſcatur *ſuperbia*, miſerabilem in *luxuriam* lapſum præparat. Et qui ad exteriorem hanc inſolentiam & luxum mortificandum, quod tamen facillimum eſt, virtutem non habet: interiorem paſſionem quomodo continebit, quòd grauiùs multò eſt ac difficiliùs? At mulieres coniugatæ, licitè (vt S. Thomas ait) ſe adornare poterunt, intra moderationis tamen limites: quò maritis gratiores exiſtant, illorumque amorem conſeruent, ne aliò illum conuertant: propterea Apoſtolus, illas ait *cogitare quæ mundi ſunt, vt placeant viris*. At hoc, inquit Sanctus Auguſtinus, non præceptum, ſed *indulgentia* duntaxat, & permiſſio eſt ratione maritorum, ad quorum voluntatem ipſas ſe confirmare par eſt; ornando ſe non ex propria complacentia, ſed ipſorum intuitu & cauſa.

c *Pſ.* 143. 12.

d 4. *Reg.* 9. 30.

Epiſt. 73. *ad Poſſidium.*

e 1. *Cor.* 7. 34. *Luxus gignit luxuriam.*

art. 2. *cit. & S. Auguſt.*

e 1. *Cor.* 7. 34 *Nuptus ob maritos ornatus permittitur.*

In ipſum, aiunt ijdem Doctores, extendi poſſe ad illas, quæ matrimonio iungi volunt: quas ſe ornare fas eſt, quo placeant illi, quem in coniugem accipere prætendunt. At in hoc non proprium illas, ſed illorum, quorum ſublunt poteſtati, ductum ſequi oportet: ſicut Ruth noſtra, Noemi iuſſu ſe *lauit, vnxit, & cultioribus induit veſtimentis*, quò Booz ipſi quem maritum ambiebat, gratior appareret. Eſther etiam coram Aſſuero rege comparitura, quemadmodum cæteræ puellæ comparebant, vt ille ſibi ex vniuerſo illarum numero aliam vxorem in locum Vaſthi adſciſceret, noluit ſicut cæteræ ornatum, quem Scriptura g *mundum* & cultum *mulhebrem* nuncupat, *petere*; ſed præfecto ſuo omnem rei huiuſce curam concredidit, vt faceret, quoad ſibi videretur. Vtrumque porrò matrimonium proſperum habuit exitum eò quòd ornatus hic non à leuitate, nec à proprio inſtinctu naſceretur. Illud ipſum Scriptura etiam in caſta h *Iudith* annotauit: quæ in viduali ſtatu, cum ſe diuino inſtinctu comeret, & adornaret; quo in Holofernis oculis gratiam ad finem illum glorioſum, quem intendebat aſſequendum, inueniret, noua etiam tunc pulchritudine

Etiam nupturis, ſed ſine lenitate.

f *Ruth.* 3. 3.

g *Heſter* 2. 15.

h *Iudith*, 10. 34.

adaucta fuit: *quia omnis ista compositio non ex libidine, sed ex* VIRTVTE *pendebat.* Atque vbi hæc moderatio accesserit, etiam ab Apostolis ipsis probatur: dum scilicet resecatur superfluitas, quæ ipsam vitiosam reddit. Vnde Apostolus: i *mulieres* (ait) *veniant in locum sanctum, in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & nō in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona*: Adeò vt ornatus exterior pietati interiori respondeat. Quod & Apostolus Petrus hisce verbis præcipit: k *mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subiectæ proprijs viris.* quasi diceret: si contentæ sint ornatu, qui statum suum deceat, confidant diuinæ prouidentiæ, quæ quidquid illis ad ornatum defuerit, tam naturalem quàm artificialem, supplebit: nam in illius manu est talem animum amoremque viro tribuere, vt quod deforme est, illi pulchrum appareat; vel, vt magis illi placeat deformitas, quàm alijs pulchritudo.

i 1. *Tim.* 2. 9.

k 1. *Pet.* 3. 2.

Deus dat gratiam & amorem.

Pythagoras apud S. Tho. in 1. Petri. 4

Virtus dat formam.

Nam vt olim dixit Philosophus quidam: omnis mulierum pulchritudo & ornatus, non in vestitu, sed in *honestate* & virtutibus consistit: Et Ambrosius: *non tam pulchritudo mulieris, quàm virtus & grauitas delectat virum prudentem*, atque hæc ipsa pulchritudinem magnopere adauget, eamque in mulieribus conseruat: nam Saram nonagenariam etiam Scriptura tam pulchram fuisse scribit, vt metueret Abraham, ne l *Rex Abimelech* eam sibi concupiscceret: nam morum grauitas, modestia, & castitas, quam ad annos aliquot seruârat: faciei pulchritudinem & conseruabant, & augebant.

l *Gen* 20. 1.

Vide Pereirium.

MYSTERIO denique non vacat, quòd prima mulier, quam *mortuam, & sepultam* fuisse Scriptura commemorat, fuerit *Sara*, cuius pulchritudo adeò in mundo fuit expetita. Ita etiam refert n *mortem Rachelis*, quæ pulchra erat, nulla mortis Liæ sororis eius, quæ lippientes habebat oculos, mentione facta. Cuius rei causa inter alias hæc est præcipua, vt hinc formosæ discant, se tandem morituras, & sepulchro inferendas: vt hæc memoria & cogitatio eas contineat, ne ob suam venustatem euanescant, aut eadem abutantur. Vultus enim ille, quem iam nemo non suspicit, adeò deformis & luridus futurus est, vt nemo eum tunc sine horrore inspicere possit: & corpus, quod abysso induebatur, vili, & semilacero velabitur panniculo: quæque omnium in se oculos venustate rapiebat à vermibus fœtidissimis deuorabitur. Vnde igitur *superbis puluis & cinis*? cur te iactas lutum & cœnum? Quamuis enim carnem bysso & serico cooperias, manet tamen caro. Quid autem, ait Isaias, o *omnis caro* est quàm *fœnum*: quod

m *Gen.* 13. 1.
n *Gen* 35. 19

Mors formam deformat.

hodie

hodie quidem vireſcit; ſed cras areſcit: & aridum nulli rei prodeſt, niſi vt ignem foueat? Noli reſpicere, quod modò es; ſed quid mox futurus ſis. noli te paſcere & delectari bono exteriori, quod habes: ſed oculos ad corruptionem, quam internè tegis, conuerte. Noli monilia & gemmas, quibus corpus adornatur, ſed gratias & virtutes, quæ animam adornant, curare: nam omnis corporis pulchritudo, aut deformitas; veſtis aut nuditas temporalis eſt, & vnà cùm vita terminatur: at *anima decor* futurus eſt *æternus*; & quem ipſa ſibi in hac vita comparauerit, eam in alia ſequetur, in eius virtute beata erit; & Deus illam pulcherrima & pretioſiſſima gloriæ veſte adornabit.

Anima decor æternus.

CAPVT VII.

QVOMODO VIR PERFECTE CAPVT VXORIS eſſe, eamq; perfectè regere; hæc verò illi ſubeſſe & obedire debeat.

INSIGNIS profectò Dei prouidentia eluxit in omnibus, quæ, dum Adamum & Euam condidit, fecit ac dixit: vt illos doceret, quæ ad proprium ſtatum pertinebant: a *virum vxoris*, vt Apoſtolus ait, *caput* conſtituens, qui eandē regeret & gubernaret; b *vxorem* verò, vt *viro ſubeſſet*, eiq; obediret. In viri namque formatione ait; c *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatili cæli, beſtiis vniuerſæ terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Tametſi verò excellentia hæc tam viro quàm mulieri communis ſit: in *viro* tamen amplior eſt, vt qui etiam ipſi mulieri præſideat; ipſa verò illi obedire, illiusque poteſtati & gubernationi eo, quo iam dicemus modo, ſubeſſe debet.

a 1. *Cor.* 11. 3

b *Epheſ.* 5. 22

c *Gen.* 1. 26. *Viri excellentia.*

D. *Thom.* 1. *p. q.* 93. *art.* 4. *ad* 4.

PRIMVM itaque videns Deus illos, qui caput & gubernatores aliorum eſſe debent, multa ad gubernandum *ſcientia* opus habere, omnes ſcientias (vt docet S. Thomas) Adamo valde eminenter communicauit; Euæ verò non niſi tenuiter & moderatè: ne forſan ſuperbiret: ſed dependentiam ſuam à viro, à quo & doceri & regi debet, agnoſceret. Propterea etiam Apoſtolus ait. d *docere autem mulieri non permitto in Eccleſia, neque dominari in virum.* Vtrumque enim ſtatui illius repugnat: dedecet enim, illam in publico docere, vt *magiſtram*; ſed vt diſcipulam audire, par eſt; neque viro vt *dominam* præeſſe, ſed ſubditæ inſtar ſubeſſe.

Scientia. 1. *p. q.* 94. *a.* 3

d 1. *Tim.* 2. 12.

HINC eſt etiam quòd Deus per ſeipſum ſoli Adamo præceptum e *ex ligno ſcientiæ boni & mali non comedendi*, intimauerit. Adamus verò ipſe Dei

e *Gen.* 2. 16. 2. *Doctrina.*

nomine

li.3.de Gen. ad lite.c.17.

nomine (vt Augustinus obseruat) illud Euæ significauit: ne & ipsa illud transgrederetur: significare hic volens, viri esse, vxorem docere mediaque suggerere, quibus ea, ad quæ obligata est, complere queat; vxoris verò partes esse, ad illum recurrere, vt eadem ab eo discat. Vnde Apostolus: f *mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui: sed subditas esse, sicut & lex dicit: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* si enim ita humiles fuerint, Deus à dubijs suis illas per viros eripiet, cuius rei rationem idem Apostolus alio loco ait: g *Adam enim non est seductus: mulier autem seducta in præcepti prænaricatione fuit.* quasi diceret: misella Eua à serpente decepta fuit, quòd Adamum non consuluisset super ijs, quæ ille proponebat: ipse enim, vt potè sapiens, illam à fraude liberasset, quemadmodum supra dictum est.

f 1.Cor.14. 34.

g Tim.2.14

Tract 2.c.8

h Gen. 5. 2.

3. Notitia. i cap. 2. 19.

VERVM iam ad tertiam Adami excellentiam, quà caput est, transeamus: qui hoc sibi ipse *nomen* non arrogauit, sed Deus illi imposuit, ostendens neminem benè seipsum nosse, nisi singulari Dei fauore & gratia id ei concedatur: cùm tamen ipse ea, quam habebat, scientia, i *cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli*, & vxori suæ *Euæ*, iuxta vniuscuiusque proprietates, & officia cuique propria, *nomina imposuit*: ad ostendendum scilicet, Gubernatoris esse, omnium quos sub se habet, nomina nosse, & vnicuique officia & munia, iuxta talentum & dotem cuiusque distribuere.

k Pro.27.23

Quocirca benè Salomon ait: k *diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*: Vix quippe eos regere poterit, qui eosdem non nouerit.

l Gen.2 23. Eua & Virago.

m Gen.3.20.

VERVM enim verò *duo* Adamus inprimis vxori nomina imposuit: primum mox vt è latere illius formata prodijt, dicens: l *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Nam ludens in vocabulo Hebræo, quod virum denotat, ex eo mulieris nomen deriuauit: quasi diceret; cùm è viro formata hæc sit, vocetur VIRAGO: quemadmodum à Ioanne mulier dicitur Ioanna: vt etiam ex ipso nomine intelligeret se non suam esse, sed viri, cui subesse & subijci deberet & agnoscere omne suum remedium & solatium ab illo dependere. Alterum nomen fuit m *Hena: eò quòd mater esset cunctorum viuentium.* Vt hinc intelligeret, officium & partes suas esse in generatione & educatione, filiorum, reliquarumque rerum gubernatione, ipsi viro cooperari, cùm propterea illi fuerit in sociam à Deo data.

4. Labor. n Gen. 2.15.

VERVM, vt agnosceret Adamus, quæ sibi cura & solicitudo incumberet, quà erat *familiæ caput*: ait Scriptura, *Deum illum in paradiso voluptatis posuisse*, tanquam in domo & habitaculo proprio, n *vt operetur & custodiret illum*, sic insinuans: diuinæ prouidentiæ munus esse, hominibus domum, diuitias, & bona temporalia conuenientia concedere: ad *virorum*

tamen

tamen ſtatum pertinere, otio & ignauia reiectis, diligenter ad neceſſarium victum & alimentum compatandum *operari*: ſimul etiam primariam domus & familiæ, & omnium quæ Deus elargitus eſt *curam*, illi incumbere. At quoniam ſolus ipſe oneri huic non ſufficiebat: Deus eo ipſo tempore profundum o *immiſit ſoporem in Adam*: *è cuius dormientis coſta mulierem ædificauit*: vt intelligeret, quamuis in *duabus* illis rebus à Deo ſibi iniunctis, multum curæ, attentionis, & vigilantiæ poneret: ſomno tamen capiendo obnoxium eſſe, & *quiete* ac leuamine aliquo opus habere. Ac propterea *adiutorium ſimile ſibi mulierem* ei donauit: vt interim dum ipſe quieſceret, illa vigilaret. exijt igitur Heua è latere Adami, non vigilantis, ſed dormientis, eò quòd illius cura & ſolicitudo, non tam viro vigilante, quàm dormiente, & abſente; aut alijs negotijs impedito; vel quorum cauſa domeſticæ curæ non adeò attentè, vt opus eſſet, incumberet, neceſſaria eſſet.

Cura.

o *Gen. 2. 21.*

Quies.

Adiutorium vxoris.

5.

Hinc & alia documenta deducere poſſumus, viris in vxorum gubernatione ſeruanda: quæ inſinuantur in eo, quod Deus *formauerit Adamum de limo terræ*; *Heuam verò ex eius Coſta ædificauerit*, cuius Coſtæ loco p *carnem repleuit pro ea*. Quoniam enim vir futurum erat mulieris caput: & qui capita ſunt, expoſiti ſunt periculo *ſuperbiæ* in ſuos inferiores, voluit Deus virum ex *limo* terræ formare, vt profundæ humilitatis fundamentum haberet, vi-le ſuum principium agnoſcens: nam etſi caput eſſet, formatus tamen fuit ex eo, quod pedibus ſuis calcabat: ideoque, dum calcaret terram, memor eſſet propriæ ſuæ vilitatis: ob quam dignus eſſet, qui ab alijs conculcaretur, & in loco infimo poneretur: quod enim altiorem occupet, ex mera gratia fuit, & liberalitate Dei.

p *Gen. 2. 7. 22.*

Vir è limo terra.

Neqve formatus fuit ex terra, quæ erat in paradiſo, quæ alias præſtantior erat; ſed quæ *extra*, & quæ ſpinas & tribulos erat productura: vt ſic agnoſceret, ſe ex ſe ipſo neque gaudia neque ſolatia habere; ſed ſpinarum & tribulorum ſementem: & hæc omnia humiliatum illum tenerent, ne ex ſua aliàs excellentia euaneſceret.

Vxor amanda.

Mvlier autem, quæ viro ſubdita eſſe debuit, non ex terra, ſed ex viri Coſta fuit formata; nec ex oſſe nudo, & à carne ſpoliato, ſed ſimul cum carne, neruis, venis, & ſanguine conueſtito condita fuit: vt ex eo deducitur, quod dixit Adam: q *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, vt hinc intelligeret (ſicut dictum eſt) quòd ſuam vxorem ſicut ſe ipſum, & rem propriam diligere, proprijſque expenſis fouere, & augere deberet, ſubſtantiæque & fortitudinis ſuæ; & eorum, quæ ſuo labore & induſtria compararet, participem facere: non enim *capitis* officium & dignitas confertur ſine magno aliquo *onere*; nec exercetur abſque magno

q *Gen. 2. 23.*

Brachia tegunt costas.

labore, & iactura aliqua eorum, quæ habet: vt ei, cuius curam gerit, solatio sit, & leuamini. Et quemadmodum *brachia* habent sub se costas, quas cooperiunt & protegunt: ita debent *superiores* operire & protegere suos Inferiores.

Vxor socia.

VT autem rationem nouerint viri cum vxoribus, quamuis sibi subiectis, agendi, noluit DEVS eam formare ex osse & carne *colli* aut *pedum* aut *dorsi* Adami; sed ex Costa, quæ est ad latus; & non ex ea, quæ ad dextrum, quod est nobilius; sed quæ ad *sinistrum*: quod quidē, etsi minus sit nobile, est tamen magis propè ipsū *cor*; quia neq; vt dominā, neq; vt ancillā, sed vt *sociam*, vxorem habere debet: Non super *caput* suum eam collocare, nec sub *pedibus* ponere, nec retro ad *dorsum* proijcere, vt eius obliuiscatur; sed ad *latus* suum eam portare, rationem eius gerere, seque illi socium adhibere ita tamen, vt non ei cedat dextrum latus; sed *sinistrum*: ita scilicet eam *amando*, vt in suo illa loco constituatur cum debita & conuenienti submissione; & ita illam *honorando*, vt non se erigat, & altiorem locū occupare contendat, nec turbet quietem, quæ in eo consistit, vt quælibet corporis pars in proprio suo loco consistat. Id enim voluit Sanctus Petrus, cùm dixit: r *viri quasi infirmiori vasculo muliebri impartiantur honorem, tanquam coheredibus gratiæ, & vitæ æternæ*: vt ipsorum *orationes non impediantur*. qua sententia viros exhortari voluit ad vxores suas honorandas, & alendas, tum quòd sint *debiles* ac indigentes: quamobrem æquum est illarum misereri & compati: tum quòd sint eorundem cœlestium bonorum *coheredes*, & in hoc ipsis æquales: ac denique ne impediatur exercitium *orationis*, quæ haberi non potest, vbi propterea est aliqua turbatio, quòd viri non præstent ea quæ tenentur.

Vxor ad sinistram.

1. Pet. 3. 7.

Vir non sit amarus.

1 Col. 3. 19.

Mich. 1 12.

EODEM spectat mysterium latens in eo, quòd DEVS mollem *repleuerit carnem pro costa*: vt vir intelligat, debere *duritiam* suam moderari, & conuenientem mollitiem induere, iuxta illud Apostoli consilium r *viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas*: nam, vt Micheas Propheta dixit: *infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus*. Quòd si vxor sit in *amaritudine*, eius virtus valdè minuetur: non enim *amari* se existimat, quæ cum amaritudine tract tur: vbi autem amor dulcedoque deficit, non potest societas vtilis esse, ac diuturna.

Nec mollis.

SED attendant etiam viri, ne omninò conuertantur in carnem, quia non absque causa Heua formata fuit, non ex multis costis, sed ex vnica tantùm, in cuius locum posita fuit caro: hoc enim significat: virum per matrimonium, aliquam suæ fortitudinis iacturam facere, & aliquid mollitiei

carnis

carnis acquirere: quod tamen intra suos limites & moderationem debet contineri, seruato virili animo in omnibus, quæ ad gloriam Dei, suæque familiæ bonum spectant.

§. I. *Subiectio & obedientia vxorum.*

Transeamvs nunc ad subiectionem & obedientiam, quam viris suis vxores debent: quam Sanctus Petrus, ob rationes in proximo capite allatas, tantoperè commendauit. quæ subiectio deducitur ex modo, quo Heua fuit ex Adami costa fabricata. Primùm enim debet hæc subiectio fundari in profunda *humilitate*, qua imbecillitatem suam, ac dependentiam, quam à viris suis habent, agnoscant. Nam quamuis Heua non fuerit ex limo immediatè formata: satis tamen est, quod fuerit ex ea costa, cuius origo fuit limus terræ: vt cognita hac sua vilitate, humilietur, ac iudicet, se etiam esse dignam, quæ, sicutipse homo, calcetur & proteratur. 1. *Vxor sit humilis.*

Deinde attendat, quod est vnica costa cum reliquis eiusdem corporis comparata: id esse proportione quadam vxorem cum viro suo collatam, à quo eius fortitudo, sustentatio, defensio, ac protectio dependeat. Memor itaque sit illius imprecationis, quam Devs Heuæ post peccatum attribuit, dicens: a *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quamuis enim etiam in fœlici illo Innocentiæ statu ante peccatum (vt Sanctus Thomas aduertit) vir fuisset caput & superior, & mulier ei subdita: id tamen fuisset cùm magna vtriusque *suauitate*, eò quòd vir fuisset cum *prudentia* gubernaturus; & ipsa mulier *lubens* eam gubernationem admisisset: ex peccato tamen illo duo magna incommoda sunt orta; alterum ex parte mulieris, quæ ex *superbia* horret alteri subesse, & ab alijs gubernari, potiùs ambiens imperare, & alios regere: alterum verò ex parte viri, *asperè* sæpè ac imprudenter gubernantis & imperantis. Et nihilominus tamen ex supremi Iudicis sententia debet mulier esse sub potestate viri, eumque superiorem agnoscere. & hoc sufficere deberet, vt demisso capite dedat se illa Dei ordinationi. 2. *Viro subdita.*

Hvc accedit ratio alia valdè efficax, qua vtitur Sanctus Petrus, dicens: b *Mulieres subditæ sint viris suis: vt etsi qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem, & sanctam vitam illarum*, quæ magnam opinionem creat fidei Christianæ, docenti exactam adeò & perfectam subiectionem, & obedientiam earum ad viros suos.

a *Gen. 3. 16.*

1. *p. q. 29. a. 1 ad 2. & q. 96. a. 4.*

b *1. Petr. 3. 1.*

3.

c *Eph.* 5.22.

SED hoc ipsum amplius extulit Apostolus, dicens: c *mulieres viris suis subditæ sint: sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; & sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Viris commendauit idem Apostolus, vt *suas vxores diligerent*, eò quòd facilius illi solcant amorem erga vxores remittere. Vxoribus autem non dixit, vt viros diligerent: id enim, etiam ipso tacente, quasi dictum accipere poterant; & earum complexio ac necessitas ad id eas impellit: sed cœlesti quadam eloquentia id illis commendat, & ad id exhortatur, quod maiori periculo in eis patebat, humilem scilicet subiectionē: adferens ad hoc excellentissimum quoddam exemplar, subiectionis scilicet Ecclesiæ ad suum sponsum Christum Dominum. nam quemadmodum Christus caput est Ecclesiæ, ita vir est caput mulieris: quæ in viro suo agnoscere debet ipsum CHRISTVM: quamobrem debet libentissimè se ei subijcere, *sicut Domino*, quem ipse refert. & alibi dicit idem Apostolus, vt sint subditæ viris, d *sicut oportet in Domino.* Eò quòd subiectio hæc eo *modo* haberi debeat, quem DEVS vult; & eum in *finem*, ad quem ipse eam dirigit, ad suam scilicet *gloriam*, & ipsarum *animarum* bonum.

Vir diligat.

Vxor subdatur, sicut Domino.

d *Col.* 3.18.

1.

Cum Reuerentia.

NOMINATIM verò ostendenda hæc subiectio est in aliquibus rebus, quæ in Ecclesiæ erga Christum Dominum subiectione eminent. *Prima* est *reuerentia*, & interior ac exterior respectus, quem par est habere ad caput suum. Verus enim charitatis & amicitiæ amor non expellit debitos ac decentes respectus, qui inter superiores & inferiores esse debent: in quem finem S. Petrus adfert exemplum e *Saræ*, quæ *obediebat Abrahæ; Dominum eum vocans*, cùm loqueretur cum Angelis, quos homines existimabat nam hæc reuerentia, in publico potissimum, & alijs præsentibus exhibenda est.

e 1. *Pet.* 3.6. *Gene.* 1.12.

2.

Obedientia.

DEINDE subiectionem suam ostendere debent, *obediendo* illis in rebus omnibus licitis & conuenientibus, quas illi expressè iusserint: aut placere sibi insinuauerint: ita tamen id faciant, vt non cum Spiritu timoris, sed *amoris* obediant, sicut ipsi CHRISTO. cum Apostolus etiam f *seruos* iubeat *obedire Dominis carnalibus, cum bona voluntate, sicut Domino*, quemadmodum suprà diximus. nec vacat mysterio, quòd Apostolus eam obedientiam velit esse generalem *in omnibus*, modò *licita* sint, quia cupit esse perfectam, nec vllis apparentibus titulis, aut rationibus lædi, quasi *voluntatem* potiùs *propriam*, quàm viri sequi velit. Hoc enim à *superbia* originem ducit, & ingentis *discordiæ* est seminarium: cuius detrimentum solet in proprium caput recidere, quemadmodum euenit Re-

f *Eph.* 6.5. *Tract.* 3. c. 3

ginæ

ginæ Vasthi, quam Rex Assuerus vir eius per suos cubicularios iusserat ad se venire, g *vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem*, & maiestatem *eius, quæ* tamen *renuit, & ad Regis imperium venire contempsit*, siue quòd ægrè tulerit, ipsum Regem non venisse, ad ipsam vocandam; siue quòd non placeret sibi, ad conspectum tot hominum prodire. Ex quo *iratus Rex, & nimio furore succensus, interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderãt, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum* qui omnes vno consilio Reginæ factum condemnarunt, eò quòd facilè *sermo Reginæ egrederetur ad omnes mulieres, vt contemnerent viros suos, dicentes, Regem Assuerũ iussisse Reginam Vasthi ad se intrare, & illam noluisse: atque hoc exèplo omnes principum Coniuges parui penderent imperia maritorum.* Quare decreuerunt Cõsiliarij, vt Rex, quasi libellum Repudij ita Reginæ daret: , vt *nequaquam vltra Vasthi ingrederetur ad Regem*, vt ex hoc exemplo discerent reliquæ mulieres, maritis suis obedire; *& cuncta vxores tam maiorũ quàm minorum deferrẽt maritis suis honorem.* Quamuis autem pœna hæc licita non sit in Euangelica lege: magis tamen tremenda est illa, quam Deus minatur vxori non obedienti viro suo in rebus gratuibus: expelletur enim ab æterno regno, dabiturque eius animæ perpetui Repudij libellus: nisi pœnitentiam agat; vitamq; suam emendet. Interdum verò solet hic obedientiæ defectus, alicuius boni veluti pallio quodam cooperiri; quemadmodum videtur esse probabilius quod Regina Vasthi renuerit obedire Regi Assuero, nolens (vt refert Iosephus) ad publica Regis conuiuia prodire specie & titulo honestatis, iuxta leges Persarum: Sed in huiusmodi occasionibus magna prudentia opus est, ne fortè pax & concordia turbetur: præstat enim orationem & sacrũ Missæ, Communionem, aliasque pias deuotiones, quæ sub *præcepto* non sunt, omittere, quàm mariti volũtati obsistere, cùm ipse aliud fieri iubet, aut vult, ad vitandam discordiam, quæ ex tali repugnantia facilè oritur: ad quam præcauendam expedit, exteriora hæc omnia cum viri ipsius consensu & facultate præstare. Memores sint quid Christus Dominus noster dixerit Samaritanæ, cùm illa ab ipso peteret h *aquam salientem in vitam æternam*, ne inposterum opus esset venire ad fontem Iacob, ad aquam hauriendam: respondit enim illi *vade, voca virum tuum, & veni huc*: quasi insinuans, colloquia ac dona cum coniugatis mulieribus, etiamsi de rebus sint bonis, & honestis, debere institui aut præsentibus ipsis viris, aut cum eorum consensu. Et quando Angelus apparuit matri Samsonis, dicens illi, quæ sterilis erat; i *cõcipies & paries filium*; ac docens, qua ratione esset illum educatura: illa vt pote prudens, veniens ad maritum suum, omnia, quæ ab Angelo audiuerat, ei narrauit: & cùm secundò idem Angelus ipsi appareret, statim virum suum vocauit: vt, quæ ipsa prius illi dixerat, ex ore ipsius Angeli audi-

Esther. 1. 11. Propria voluntatis pœna.

Lib. 11. Antiq.

Concordia omnia tradant.

h *Ioã. 4. 15.*

i *Iud. 13. 6. 10.*

Vir honorandus.

audiret: nam, quod viri consensu & approbatione exequeretur, & facilius & plausibilius futurum erat.

3. *Vxor viri domicilium sequatur. Hom. 32. in Gen.*

EANDEM obedientiam ac subiectionem exhibere debent vxores sequentes viros suos, quocunque viri eas ad *habitandum* deduxerint, modò prudenter & secundum DEI voluntatem viri eas aliò deducant. In qua re (vt Sanctus Chrysostomus perpendit) adeò excelluit k *Saræ* obedientia & subiectio ad virum suum Abraham, vt in omnibus eius peregrinationibus adeò prolixis ac periculosis fuerit semper eum secuta: vt hæc eius obedientia non minori fuerit admirationi, quàm obedientia ipsius Abrahæ erga DEVM, in eisdem peregrinationibus obeundis. In eundem etiam modum Lia & Rachel statim atque à viro suo Iacob audiuerunt, DEVM ipsi præcepisse, vt l *egrederetur de terra*, in qua eas duxerat, & *reuerteretur in terram natiuitatis suæ*; statim ei paruerunt; imò eum, vt statim egrederetur, stimularunt. Et Virgo sanctissima Christi mater perfectissimè obediuit Sancto Ioseph sponso suo in omnibus m *profectionibus in Ægyptum, & ex Ægypto*, cùm diceret, id sibi ab Angelo mandatum. Ac propterea reuelatio illa fiebat ipsi Ioseph, & nō Virgini sanctissimæ: ad virum enim spectat locum habitationis eligere; ad vxorem verò obligatio eum sequendi: ex quo colligit S. Ambrosius, non esse quærendam vxorem *diuitem* nimis, aut *nobilem*: quia tales, difficiliores sunt, ad sequendos viros; potiusque volunt in illis locis habitare qui votis ac desiderijs suis magis arrident.

k *Gen. 12. & c. 13. & c. 20.*

l *Gen 31. 13.*

m *Mat. 2. 13*

4. *Adiuuet virum.*

PRÆTEREA hæc subiectio extendere se debet ad ea omnia, quæ ad domus familiæque gubernationem spectant: vt maritum adiuuet, eiusque directionem sequatur: memor enim esse debet eius, quod dixit Deus in prima hominis creatione: n *non est bonum esse hominem solum, faciamus ei* ADIVTORIVM *simile sibi*: illa enim sententia significauit, se dare viro vxorem, tanquam sociam & adiutricem in ijs omnibus quæ ad filiorum generationem, & educationem, & ad familiæ gubernationem pertinerent. Cùm enim vir non possit per se ipsum ad omnia illa attendere, debet curas suas cum vxore diuidere: quæ tenetur ipsi obedire in ea parte curarum suscipienda, quas ipse commiserit, etiamsi *parua* sint, ac de rebus minutis. Et huiusmodi est obedientia, quam S. Petrus laudat in o *Sara*: non solùm quòd Abraham virum suum in omnibus perfectionibus sequeretur, quas fecit, postquam exiuit è terra sua; sed nominatim, quòd, cùm iuberetur cibos pro hospitibus præparare, id promptè ad nutum faciebat, & p *Rebecca* adeò erat sollicita, & attenta seruitio Isaac viri sui, vt etiam diligenter obseruaret quinam cibi magis ipsi arriderent, & quibus libenter vesceretur: quos studiosè præparabat, vt ipsi indulgeret.

n *Gen. 2. 18.*

o *1. Pet. 3. 6.*

p *Gen. 18. 6.*

q *Ca. 27. 9. 14.*

5.

HVIC subiectioni annexa illa est, qua vxor debet in *expensis* circa do-

mum

mum & familiam sequi directionem viri sui, ne contra eius voluntatem quicquam expendat, etiam titulo *eleemosynæ*; nisi in casu, quo lex naturæ, & grauis necessitas ad id obligaret, cùm scilicet maritus ipse ad talem eleemosynam faciendam teneretur. Quemadmodum fecit prudens r *Abigail* cùm intellexit maritum suum *Nabal* denegasse Dauidi petitum subsidium. Nam prudenter conijciens, Dauidem ob eam repulsam fore iratũ, & venturũ ad vlciscendam iniuriam; illa nihil dicens viro suo Nabal, festinauit, ac tulit copiosam escarum prouisionem: quas occurrẽs Dauidi obtulit; qui placatus destitit ab vltione quã sumere cogitauerat; reuersa autem Abigail in domũ suam, narrauit viro suo quæ fecisset, vt ab imminenti periculo ipsum liberaret. Quem licèt ab imprudenti & stulta responsione non excusauerit, eò quòd tanta eius insolentia excusationem non ferebat; præuenit tamen damna & incommoda, quæ poterant ex ea toti suæ familiæ oriri. Hunc igitur in modum cum viri mores similes sunt moribus Nabal, nec est qui eum possit ad rectam viam deducere, vt faciat quod decet, & expedit; poterit prudẽs vxor domi suę id facere, quod vir, si ratione duceretur, velle, & facere deberet.

r 1. *Reg.* 25. 18. *Expensa & Eleemosyna moderata.*

§. II. *Quanti hæc subiectio referat.*

HVius subiectionis necessitas constabit magis ex *incommodis*, quæ ex eius defectu oriuntur, siquidem concordia & *charitas*, quam status coniugalis exigit, illo valde læditur. Propterea enim dixit Ecclesiasticus: a *mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*: vsurpat enim sibi quod ad virum spectat, eidemque contradicit, seseque opponit in omnibus, quæ sibi non arridẽt. Hoc autem sæpius euenit. quando vxor specialem aliquam *nobilitatis* aut *diuitiarum* præeminentiam hadet, qua virum excellit. Hoc enim nomine vult imperium & authoritatem in omnibus habere; ideoq; in omnibus se illi opponit, quæ non sunt suæ conditioni ac superbiæ conformia. Huius rei exemplũ est in b *Michol filia Saul, quæ videns Regẽ Dauidem* virum suum *subsilientem atque saltantem coram Domino, despexit eum in corde suo*, imò & verbis eũ irrisit, quod *se discooperuisset ac nudasset, quasi vnus de scurris*: cũ enim filia esset superbi Regis Saul, hæreditate acceperat sui patris *superbiam*: ideoque pudebat illam, quod vir eius ita se humiliaret, ideoque illi aduersabatur. Sed non mansit temeritas eius impunita: nam statim subijcit scriptura: *Michol filiæ Saul non esse natum filium, vsq; in diem mortis suæ* non quòd illa sterilis esset, quæ ab alio viro *quinque* proles suscepisset; sed quòd noluerit Deus ex radice adeò corrupta & deprauata, surculum manere in Israel, & familia ipsius Dauid: imò & priores illi filij; cruci affixi, vitam finierunt, in pœnam peccatorum Regis Saul eorum Aui. Sed maior adhuc fuit impijssimæ c *Iezabelis* temeritas, quæ videns Regem Achab virum suum mœstum, eò quòd noluisset Naboth ipsi vendere vineam suam, etiam

a *Eccl.* 25. 30 *Mulieris primatus reprobatur.*

b 2. *Reg.* 2. 16 20. *Michol maledicta.*

c 3. *Reg.* 21 7. 10.

ipsum

ipium in animo despexit, & obiecit illi, quòd non sciret suam authoritatem seruare, nec animum & pectus ad id haberet. Quare *accepto eius annulo* siue sigillo regio, *scripsit* eius nomine *literas*,, quibus iubebat *submiti duos* falsos testes contra *Naboth*, vt sic, *lapidaretur & moreretur*, ex quo vineam possideret Achab, quam Naboth vendere noluisset. Sed quid non audeat vxor superba & libera, si eò perueniat, vt supra virum obtineat primatum, ita vt annulum eius regium auferat, vt eo tanquam Regina & domina absoluta vtatur; quod enim Rex vir eius ausus non est facere, ne iustitiæ leges transgrederetur; illa nullam earum rationem ducens, illud fecit, fictis & adinuentis falsis delictis, & transgressis omnibus iustitiæ & charitatis legibus, vt sui voti compos euaderet. Sed graui pœna suam luit temeritatem, nam cùm mortuo Achab marito suo, Iehu in eius regnum successisset, & ipsa in deprauatis suis moribus perseuerãs, ausa esset superbè eum reprehendere; iussit is d *præcipitari eam* per fenestram *deorsum*: *cuius carnes comederunt canes*. Discant igitur vxores ex his exemplis in ea subiectione viuere, quam ipsarum exigit status alioquin, quoniam Deus superbos, seque exaltantes humiliat: nisi ipsæ velint subiectæ viuere, humiliabuntur ab ipso Deo.

Iezabel impia.

d 4. Reg. 9. 33.

Hæc eadem exigua vxorum subiectio oritur etiam aliquando ex *nimio amore*, quo ipsi viri eas prosequuntur: inde enim sumunt illæ occasionem temerè agendi, ipsisque viris imperandi. Hinc enim ortum habuit sapientis illius sententia, qui apud Esdram dixit: e *mulierem esse fortiorem* ac potentiorem *Regibus, & omnibus hominibus*: nam ipsi præ amore fiunt effæminati; seque mulieribus subijciunt: quæ propterea tanquam dominæ eis imperant. Cuius rei sufficientem fidem facit, quod referunt de Semiramide, cuius amore adeò vir eius Rex Assyriorũ fuit captus, vt illa facultatem ab eò obtineret fungendi per quinque dies officio Regis in omnibus eius prouincijs: quam ille ita absolutam vxori concessit, vt omnibus sibi subditis sub pœna vitæ imperaret, eidem obedire, & exequi quidquid illa iuberet. Primùm autem mandauit illa amputari caput eiusdem Regis viri sui, vt sola regnaret: quod reipsa euenit: quia permisit Deus, maritum luere pœnam inordinato suo amore promeritam, quo voluit proprię vxori se subijcere. Quamobrem dixit Ecclesiasticus: f *non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam*, & vtens potestate, quam tu in eam habere deberes, tu g *confundaris in conspectu inimicorum*. Et quamuis importunè huiusmodi potestatem à te obtinere contendat, ne acquiescas ei: super caput enim tuum pluet quidquid imperij ei dederis. Cogita quàm deceptus & confusus fuerit Samson, quòd suo vxori nimium fiderit, siquidem h *statim ab eo fortitudo discessit, & ita Philisthæi eum apprehenderunt, oculos eruerunt, & clausum in carcere molere fecerunt*; & ita fuit hostibus suis risui & contemptui. Memento

Nimius amor vxorii periculosus. c 4. Esdr. 4 14. 22.

Aelian. li. 7 Vide Torres li. 16. Philos. mor. c. 4. Semiramidis perfidia.

f Eccl. 9. 2.

g Cap. 25. 35

h Iud. 14. 17. & c. 16. 18. 21.

legis

legis, quam Deus in Deuteronomio tulit i *non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deũ est qui facit hæc*, quãto igitur magis abominabilis erit vir, qui mores induat fœminæos, subijciens sese vxori suę in omnibus, quæ illa dicit, & quòd vxor accipiat authoritatem viri, sibiq; vsurpet quod ad illum pertinet? si enim displicet Deo exterius indumentum, quod non competit personæ viri aut fœminæ: quantò magis displicebit habitus & vestis interior, quæ illis aduersatur? induat se igitur vir *authoritate* & fortitudine sibi tanquam capiti vxoris suæ conueniente; vxor autem induat se *subiectione* & obedientia, quæ sibi tanquam subditæ competit: quãuis eò quòd ex seipsa imbecillior & imperfectior sit, possit ac debeat se ipsam excitare & animare ad viri fortitudinem & magnanimitatem imitandam, vt sic mulier virilis euadat, eum in modum quo scriptura narrat de matre septem Martyrum Machabæorum, quod i *repleta sapientia fœmineæ cogitationi masculinum animum insereret*, vt non minus robustũ pectus, & infractum animum ostenderet, quàm vir potuisset. Ad idem applicari licet quod Adam dixit de Heua: k *hæc vocabitur* Virago, *quia de viro sumpta est*: quasi dixerit: eius finem esse debere, seipsam animare ad imitandum virum, ex quo fuit formata: & quamuis sexu esset mulier, virtute tamen & magnanimitate sit tanquam vir, idque sibi honori & gloriæ tribuat: ita tamen vt intra suos limites se contineat, nec à pede, vt dicitur, ad manum ascendat, velitque aduersus virum sese erigere: quemadmodum etiam vir ipse seruare debet authoritatem suam, & erubescere, si nomen accipiat mulieris, à quo vir *mulebris* dicatur, eò quòd subijciat sese ei, quam sibi subditam habere debuit. Hoc ipsum insinuare voluit mystica illa nominum Abram & Sarai mutatio, quam fecit Deus, postquam dixit ipsi: Abram: l *ambula coram me & esto perfectus*: adiecit enim Deus *duos* characteres nomini vxori, abstulit verò *vnum* nomini mulieris: vir enim prius appellabatur *Abram*, significans patrem *excelsum*, voluit autem eum vocari Abraham, quòd significat *patrem multarum gentium*: hac ratione insinuans in sensu mystico, quòd virorum status magnæ esset authoritatis vt scilicet patres essent & magistri multorum aliorum, propria ij; perfectione, aliorum etiam perfectionem adiuuarent: nomini autẽ vxoris quæ prius *Sarai* appellabatur, significatq; principem siue Dominã meam, abstulit vltimam literam, iubens Abrahamum eam inposterum non *Sarai* vocare, sed *Saram*, quod significat Principem siue Dominam absolutè, non *meam*: quamuis enim præcipuus finis mutationis huius vocabuli esset ad significandum, quod illa esset futura princeps ac domina non solius vnius familiæ, sed plurimarum, idq; cum magna excellentia; nihilominus tamen eadem mutatio facta est ad insinuãdum, eum, qui perfectus est coniunx, non debere vxorem suam ordinariè com-

i Deut. 22. 5.

Viro authoritas Mulieri debetur subiectio.

k 2. Mach. 7. 21.

k Gen. 2. 23.

Mulier fortis, vir non sit mulebris.

l Gen. 17. 2. 5. 15.

Vir vxorem grauiter regat.

compellare nominibus valdè teneris, & affectuosis, mimiamq; blanditiem & amorem significantibus, quem vox illa MEA secum adfert; sed quæ significent authoritatem & grauitatem ipsi viro consonam, vt vxor in humilitate & subiectione conseruetur: & intelligat, perfectionem suam non in eo consistere, vt puncta sibi & honoris titulos addat; sed potius, vt eos remoueat, neque in quærenda super virum suum aliqua præeminentia, sed in dimittenda potius, vt vir eam obtineat: sequens magni illius Baptistæ sententiam: m *illum oportet crescere, me autem minui*: neque enim propterea illa abiectior erit, sed potius honoratior & glorioſior, viri enim gloria, est gloria vxoris; sicut etiam huius gloria, est mariti; vt ex ijs, quæ in proximo capite dicentur, apparebit.

Vxor mariti honorem sedat.

m *Ioan. 3. 30.*

CAPVT VIII.

DEI PROVIDENTIA CIRCA CONIVGES IN DANDA eis prole: & ratio eam educandi, vt bona illa & perfecta euadat.

CVM primarius matrimonij finis sit *prolem* procreare, quæ terram impleat, sintq; filij Ecclesiæ in ea militantis, & postea etiam triumphantis: ideò in huiusmodi prolis generatione multis vijs, & sæpè occultissimis elucet prouidentia DEI, neque exiguum est profundæ ipsius prouidentiæ indicium, quòd quibusdam coniugibus *multos* filios, aliis *paucos*, aliis *nullum* concedat. Et in eo quòd, dum aliquos dat, *statim* eos aufert; alios verò in *multos* annos superstites relinquit. Constat DEVM in antiqua lege Hebræis tanquam præmium benè institutæ vitæ promisisse: a *non fore infœcundam, nec sterilem vtriusque sexus in terra eorum.* Et pro magno DEI in virum iustum studio extollit Dauid: c *vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, dulcibus copiosisq; benedictionum fructibus referta, *filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Aliunde tamen constat: quamuis Abraham & Isaac essent DEO familiarissimi, eorum tamen vxores longo tempore fuisse *steriles*, magnumque fauorem DEVM exhibuisse Abrahamo, cùm voluit eum d *habere filium Isaac ex Sara.* Et ipsum Isaac *orationibus* suis (vt Sanctus Gregorius perpendit) impetrasse executionem promissionis, quam DEVS de successoribus fecerat, remouens *Rebeccæ* vxoris ipsius sterilitatem: similiter f *Anna Samuelis mater* importunis precibus & orationibus impetrauit à DEO *filios*

a *Exod. 23. 26.*
b *Deut. 7. 14. 6.*
c *Psal. 127. 3.*
d *Gen. 18. 10*
e *Et c. 25. 21.*
f *1. Reg. 1. 10. 20. & c. 2. 21*

Et de

Et de Ruth nostra, quæ nupsit Booz iam seni, dicit sacer textus: g *dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium*, in præmium scilicet multorũ bonorum quæ fecerat. Ex quibus apparet prolem & filios esse donum Dei, qui (quemadmodum sancta illa Machabæorum mater filiis suis dixit) h *spiritum & animam, & vitam donat, & singulorum membra compingit, hominisq; nativitatem formar*, & fælices largitur partus: & aliquando in pœnam peccatorum negat Coniugibus successionem, vt constat ex *Michol*, quæ ob suam superbiam i *non habuit filium* ex Dauid. Non itaque aliquo casu, sed à *diuina prouidentia* prouenit, vt qui sunt matrimonio iuncti, prolem habeant, vel non habeant. Et hoc solum sufficere deberet coniugatis, vt forte, quæ illis in hoc negotio contingit, contenti sint & peccati; nec multũ tristentur ex eo, quod prolem non habeant, cùm Deus ad ipsorum bonum rem ita direxerit: fortè enim si prolem habuissent, maiora damna corporis & spiritus, temporalia & æterna incurrissent: quòd verò ea careant, occasio sit illis largiendi suas facultates in *eleemosynas* pauperum; seque occupandi in alijs Sanctis glorioſisque operibus. Sed neque habentes plures filios tristari multum debẽt, quod videant se esse pauperes, quia eis prospicere non tam ad ipsos parentes spectat, quàm ad Deum, qui illos largitur, & pater est ac protector & prospector vniuersalis omnium.

g Ruth 4 13. *Proles donum Dei.*

h 2. Mach. 7 22.

i 2. Reg. c. 23.

Deus steriles solatur & pauperes alit.

§. *Moderatus in filios amor.*

Proles moderatè diligenda.

EX hoc fundamento debent parentes deducere, quòd debeant *moderatum* & Christianum ad filios suos amorem habere: ne DEVS excessum amoris puniat, illos subtrahendo: siquidem in omnibus illi dependent à prouidentia diuina, à qua omnium esse, & conseruatio dependet: & quicunque ingratus est, nec ita donum accipit, vt debet (quia potius ex ipso dono, quàm ex eius largitore lætatur) dignum se facit, qui ipso dono priuetur. Et hæc inter alias causa fuit, cur DEVS in antiqua lege statuerit, a *sanctificari sibi omne primogenitum tam de hominibus, quam de iumentis*; quasi voluerit, offerri sibi *primum* fructum, quem ab ipsius manu homines accepissent, in signum animi grati, & acceptum ab eo beneficium agnoscentis: quamobrem plures postea illis dabat, & quæ erant steriles, sicut b *Anna Samuelis mater*, obstringebant se *voto dedicandi seruitio* DEI *filium*, quem ab eo accepissent, vt sic DEVM ipsum permouerent ad orationem, quam fundebant, exaudiendam. Interdum etiam ipsemet DEVS filium sibi offerri ac dedicari petebat, quem parentibus dabat, sicut c *Angelus* monuit *matrem Samsonis*, & alius Angelus d *Zachariam patrem sancti Ioannis Baptistæ*. Quæ omnia eò tendebãt, vt parentes intelligerent, se non debere filios suos sui ipsorum causa, sibique ipsis præcipuè diligere sed ipsi Deo, qui illos largiebatur. Darentq; operam, ne eorum amore & causa diuino amori, legisque eius obseruationi de-

a *Exod.* 13. 2 *Primogenita a Deo debentur.*

b 1. Reg. 1. 11.

c *Iudic.* 13. 5

d *Luc.* 1. 15.

essent, aut status sui obligationes negligerent; sed cor suum ab omni inordinato nimioque affectu expurgarent, contenti amore moderato iuxta rationis regulas, & intra eius limites. Et quemadmodum e *vacca, quæ vehebant arcam Domini, in directum ibant, pergentes & mugientes ob inclusos earum vitulos domi; nec declinabant ad dexteram, neque ad sinistram, sed gradiebantur itinere vno per viam quæ ducebat Bethsames*: ita parentes Christiani, licèt naturalem filiorum amorem negare & præterire nō possint, eorum tamē causa deserere nō debent Iesum Christū D.N. sed in animis & corporibus ipsum portare, & omnia exequi, quæ ad ipsius obsequiū spectant: non declinantes à recta via, neque in prosperis neq; in aduersis; optantes peruenire in Bethasames, quod significat domum *Solis*, vt ipsorum conuersatio sit in cælis cum ipso iustitiæ sole, à quo omne eorum auxilium, remediumque dependet.

e 1. Reg. 6. 11.

Proles post Deum amanda.

Filiorum abrenuntiatio.

Sed vt hanc amoris moderationem magis distinctè & in particulari proponamus, debet *primùm* elucere in perfecta *resignatione*, & propriæ voluntatis cum diuina conformitate, quoad filiorum sanitatem & vitam: ita vt, quod ad ipsos attinet, dispositi & parati sint, eisdem carere, quandocunque Deus ita constituerit. Meminerint probationis illius, quam ipse Devs accepit obedientiæ & fidelitatis serui sui f *Abrahā*, cùm iussit *offerri sibi in holocaustum filium eius vnigenitum, quem diligebat Isaac*: fuitque Deo adeò grata animi promptitudo, qua decreuit Abraham facere, quod iubebatur, vt Devs, eam sibi satis esse statuens, non permiserit filium occidere; sed dixerit: *non extendas manum tuam super puerum, nec facias illi quicquam: nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito tuo filio propter me.* Cùm igitur parentes filios suos vident ægrotare, & ad portas mortis peruenire; agnoscant eam esse Dei probationem, qua iubet, eos sibi sacrificari; non quidem eos occidendo (id enim nec licitum est, nec Devs ipse nunc exigit) sed offerendo se, quòd in ipsis est, ad amplectendam diuinam dispositionem, & eisdem carendum, si Deo placuerit, eos ad se accipere. Hac enim adeò prompta voluntate, & conformitate cum diuina, ostendunt se plus Devm quàm filios amare. Quod si eos superesse expediat, Devm eos relicturum, contentum sacrificio cordis, quo eos offerre voluerunt. Nec tamē propterea prohibentur sentire, & naturalē sensum de eorum periculo tenere: ac proindè possunt, & orationes, & alias diligentias adhibere ad filios ab imminēti periculo liberandos: ita tamen, vt si omnibus his adhibitis, Deus eos ad se acceperit, seruent ipsi patientiā, sicut S. Iob: qui etsi videret, vno ictu ablatos sibi septē filios & tres filias; magna tamen animi resignatione dixit: g *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomē Domini benedictum.* Quamuis enim filiorum mors Diaboli arte & industria euenerit, qui totam domum, in qua illi erant, deiecit;

f *Gen.* 22. 1. 12.

Iobi resignatio.

g *Iob.* 1. 21.

agno-

agnouit tamen ipse in ea Dei promissione supremam eius prouidentiam, cui propriam voluntatem subiecit, & conformauit. Nec malè illi cessit talis resignatio, quam ipse Dominus totidem filijs ac filiabus ei redditis remunerauit. Nec fuit valdè dissimilis Dauidis Regis casus, cùm Nathan Propheta illi dixisset: h *filius qui natus est tibi ex Bethsabee morte morietur.* Nã cũ paruulum videret ægrotantem, *deprecatus est Dominum pro eo: & ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram, septem diebus; cum autem intellexisset mortuũ esse puerum, surrexit de terra, & lotus, vnctusq; est: cumq; mutasset vestes, ingressus est domum Domini: & adorauit, amplectens voluntatem diuinam, cui statim Deus alterum dedit filium Salomonẽ,* ex eadem Bethsabee, qui ei successit in regno. In eo quòd *primum* fecit, ieiunando & orando, *paternum* ostendit affectum; in *altero* verò, quòd adorauit in templo, ostendit se fidelem *Dei seruum,* quem præ filio diligebat.

h 2. *Reg.* 12. 14.

Dauid pater & seruus fidelis.

§. II. *Parentum cura erga filios.*

Odium filiorum sanctum.

HVIC resignationi coniungi debet firma voluntas ac decretum faciendi cum filijs quidquid Deus iubet, ita vt nimius erga eos amor causa non sit alicuius defectus in ijs, quæ Deus vult. In hoc enim sensu dixit Christus D.a *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus,* & iterum: b *si quis non odit filios suos non potest meus esse discipulus.* Hoc autem *odium* non aliud est, quàm sanctus & ordinatus quidam amor, Dei amori subiectus, quo (vt Apostolus ait) c *educantur filii in disciplina & correptione Domini*: hoc est docentur *bonum*, quod facere tenentur; & *malum*, quod fugere debent; retrahuntur à malis socijs, & peccandi occasionibus; reprehenduntur vitia, & puniuntur defectus, ac peccata: ne in eadem relabantur. Et parentes, qui ob nimium amorem, indulgentiam, aut incuriam hæc non faciunt: censentur filios plus amare quàm ipsum Deum. cùm tamen reuera non ament, sed oderint: siquidem dum eis bonum corporis, quod minus est, fauere volunt: non attendunt ad bonum animæ, quod est maius. Ideoque & parentes & filij vtrorumq; bonorum iacturam faciunt, puniente Deo filios ob vitia, quæ parens non puniuit; & ipsum parentem, eò quòd filios non puniuerit: vt constat ex improuisa & infælici morte summi Sacerdotis Heli, duorumque eius filiorum, eò quòd parens tepidior fuerit in eis corrigẽdis: & vt Scriptura loquitur, d *magis honorauit filios suos, quam Deum.* Siquidem ne filios, qui grauissimè Deum offendebant, grauiùs increparet voluit; potiùs eorum culpam, Deique offensionem dissimulare: quamobrem dixit Salomon: e *qui parcit virgæ, odit filium; & qui eum diligit instanter erudit*: quasi diceret: qui adeò filium suum diligit, vt etiam si videat, castigatione opus esse, eum tamen non castiget: verè ipsum odit re ipsa. subtrahit enim ipsi,

a *Mat.* 10. 37
b *Luc.* 14. 26.
c *Eph* 6. 4.

Heli indulgentia vtrisque noxia.

d 1. *Reg.* 2. 29. 34. *&c.* 4. 17.
e *Pro.* 13. 24.

quòd maxime esset vtile. & in alio loco f *noli*, inquit *subtrahere a puero disciplinam; si enim eum percusseris virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Punitio itaque eùm ab animæ morte liberabit & sæpè etiam à corporis morte, in quam incidunt aliquando filij, eò quòd non fuerint à parentibus castigati, qualis ille, quem mater valdè indulgenter educauit, & cùm vltimo supplicio ob sua delicta afficeretur, dixit: *non me Iudex, sed mater mea ex patibulo suspendit.* Sed flebilis magis ac dolendus fuit cuiusdam alterius pueri *quinquennis* casus, qui consueuerat Dei maiestatem blasphemare: & cùm ægrotans in paternis vlnis pro more blasphemaret, necà parente corriperetur, dæmones illum ex paternis vlnis arripuerunt, vt blasphemiam in Creatorem vlciscerentur: quod crudelis parens, ex falsa in filium pietate, non fecerat, eum puniendo.

Cap. 23. 13.

Puniendi filij peccantes.

Apud Iunf. in 23. c. Pro S. Greg. l. 4. Dial. c. 18.

DVO alia documenta magni momenti ad præsens institutum tradit Ecclesiasticus: alterum in *filiorum*, alterum in *filiarum* bona educatione. *Primum* ita habet: g *filii tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum*, quia enim ignari nascuntur, opus habent edoceri & instrui in omnibus, quę tanquam boni ciues boniąue Christiani facere debent. Et quoniam vt plurimum pueri parum afficiuntur ad discendum, & ad exercitia virtutis, ob rebellionem carni in ea ætatula connaturalem contra ipsam rationem, necesse est inclinationem illam deprauatam curuare, & aliqua inflicta pœna coercere; sic enim expelletur ex corde ignorantia, & inordinata illa naturæ propensio & inclinatio. Sed inchoandũ tamen ab ipsa infantia, quando plãtulæ sunt teneræ, & instar ceræ mollis ad bonas figuras susc piendas: nam si expectes donec indurescant nõ poteris postea flectere, & curuare. Pater, inquit Ecclesiasticus, h *qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo; & Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps: Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi: ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est: ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Multas alias rationes nunc omitto, quæ positæ fuerunt in primo Tomo, ad ostendendum quanti omnium referat, assuescere i *portare iugum ab adolescentia sua*, & à teneris, vt dicitur, vnguiculis. Addit Ecclesiasticus alterum documentum circa educationem filiarum: k *filiæ*, inquit, *tibi sunt? serua corpus illarum, & nõ ostendas hilarem faciem tuã ad illas.* Filię enim melius freno timoris continentur, quàm amoris: & cautiores redduntur, cùm parentum vultum seuerum cernunt quàm cùm blandum. Nominatim autem hoc expressit & commendauit Sapiens, vt ipsi parentes discerent, quanta puritate debeant filias suas educare: remouendo scilicet illas ab omni occa-

I. g *Ecc. 7. 25.*

Pueri sensibus regũntur.

h *Ecc. 30. 1. 8*

A teneris flectendi.

Tom. 1. Tract. 2. c. 8.

i *Tren. 3. 27.*

2. k *Eccl. 7. 26.*

Filiæ regantur timore.

sione

sione, affectum aliquem minus ordinatum concipiendi erga homines: propterea enim ait, ne illi hilarem faciem eis ostendāt, & iucundam: ne fortè si erga ipsos parentes ob iliam faciei iucunditatem multum afficiantur, occasionem inde accipiant labendi in amorem inordinatum alicuius alterius hominis.

Sed in his omnibus necesse est, parentes *mediocritatem* adhibere discretionis, ne, si ad alterum odij, aut nimiæ seueritatis & asperitatis extremū declinēt, filios reprehendentes & punientes, nō tam ex amore & zelo boni illorum, quàm quòd se ipsos patiantur à propriæ iræ & effrenatæ choleræ passione trahi: deteriores potius euadant, quàm emendentur: & propterea parentes monet Apostolus: l *nolite ad iracundiā* m *& indignationem prouocare filios vestros*: m *vt non pusillo animo fiant.* Quasi dixerit: ne adeò *aspere* ac seuerè cum illis agatis, vt animo deficiant; & etiam in bono vobis pœnæ potius timore quàm amore virtutis obediant: nec malo vestro exemplo occasionem illis præbeatis, vt & ipsi irascantur, & in cholera contra vos ipsos, exigua cum reuerentia & respectu conuertantur. Mementote etiam vos fuisse filios: vt ita illos tractetis, sicut à vestris parentibus tractari cupiebatis: & sic à vobis discant modum, quo suo tempore debeant cum filijs suis agere: coniungentes grauitatem cum mansuetudine; & pœnæ zelum cum veræ emendationis amore. Hoc ipsum confirmatur documento & regula à S. Augustino coniugibus circa fructum siue prolem, quam Deus illis dederit, proposita. *In prole*, inquit, *vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur.* Quod fuit dicere cùm Deus dat illis prolem, accipiant eam bono & grato animo; non primam tantùm, sed & secundam, & *omnes* quas dederit, nec solùm filios, sed etiam *filias*: siquidem Deus est, qui ita distribuit. Deinde, quos acceperunt, benignè *nutriant*: præbentes eis liberaliter, quæcunque opus habent; quo ad cibum, vestitum, & reliqua omnia. Ne, si quid ex necessarijs illis desit, occasionem accipiant, mala via illud quęrendi, & sic sensim prauos induant mores. Sed præ omnibus rebus eos *religiosè* educent, docentes & instruentes eos in rebus omnibus quæ ad religionem Christianam pertinent, & ad *quatuor* hæc capita reuocantur.

Mediocritas adhibenda.

l *Eph* 6.4. m *Col.* 3. 21

Vitanda asperitas.

L 9 de Gen. ad lit. c. 7.

4. puerio tradenda.

Primvm continet præcipua fidei mysteria, quæ debent *credere*: vt ab ipsa infantia benè intelligant, quis Deus sit, & Christus Dominus N. & seriò incipiant amare, timere, ac reuereri Creatorem, ac redemptorem suū; eique, vt par est, seruire. *Secundum* continet omnia mandata, quæ *seruare* debent: vt ab ipsa infantia discant odisse vitia, & amare ac exercere virtutes, iuxta præscriptum legis: propositis simul ob oculos, pœnis & suppliciis improborum; bonorum verò coronis & præmijs. *Tertium* continet *sacrificia*, quibus interesse; & *Sacramenta*, quæ suscipere debeant: allicien-

1. *Credenda.*

2. *Seruanda.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

3. *Sacramenta.*

4. *Orationes.*

tes eos ad Sacrum *Missæ* audiendum: & suis temporibus peccata sua *confitenda*; vt à peccatis purificentur; & sanctissimum *Eucharistiæ* Sacramentum frequenter, pro ratione suæ ætatis suscipiendum. *Quartum* continet *orationes*, quas fundere debent ad Deum D. N. ad sanctissimam Virginem eius matrem, ad custodem Angelum, & reliquos Sanctos: stimulando illos & illiciendo ad hæc exercitia, ad conciones audiendas, pios libros legendos: & ad reliqua, quæ sunt perfectorum Christianorum. Ad hoc propositum præclarè perpendit Origines, quòd scriptura diuina dicit de castissimæ Susannæ parentibus: quòd m *cùm essent iusti, erudiissent filiam suam secundum legem Moysi*; ex quo prouenit, vt illa adeò esset timens Deum, vt potius mori elegerit, quàm consentire peccato. vt ex hoc discãt parentes, plurimũ referre, quòd filios, & filias suas doceant legem Dei, & ad eius obseruationem illos alliciant, & exhortẽtur: vt si quãdo peccandi occasiones occurrãt, à lege Dei non recedant. Sed vlteriùs adhuc debet progredi parentum cura ac diligentia in exigenda frequenter ratione à filijs de eiusdem legis obseruatione: vt si quid contra eam acciderit, faciliùs reparetur. Sic enim imitabuntur zelum S. Iobi, cuius septem filij & tres filiæ valdè fraternè ac beneuolè singulis septimanis se inuicem inuitabant: ipse verò parens in fine septimanæ, n *cùm in orbem transiissent dies conuiuii, mittebat ad eos, & sanctificabat eos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos*, omnes itaque illos, & ipse ad se conuocabat, vt spirituale conuiuium in die suo illis exhiberet. Pridie enim ad vesperam illos sanctificabat, purificabat, ac ad Festum bonis documentis, consilijs, & illius temporis ceremonijs disponebat. Mox verò manè sequentis diei offerebat pro omnibus *holocaustum*, excellentissimum scilicet sacrificium, in quo totum animal consumebatur, in testimonium supremæ Creatoris excellentiæ: vt filij Creatorem suum oblatione illa honorarent. Et S. Cyprianus perpendit, quòd illa holocausta essent *multa*: pro singulis scilicet filijs vnum, quod insinuat translatio septuaginta Interpretum, quæ habet: *offerebat holocausta secundùm numerũ eorum*, vt ita Sanctus vir ostenderet: etiamsi filij essent multi, se non propterea curam deponere singulorum, atque si solus vnus fuisset. Cuius tantæ solicitudinis causa erat, quòd cogitaret, ac diceret intra se: *ne fortè peccauerint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, quasi diceret; etiamsi nihil mali exteriùs aduerterim in filijs meis: fortè tamen aliquid est, quod me latet: aut fortè peccatum aliquod interiùs, cogitationis, aut negligentiæ, & inertiæ habuerunt. Quare expedit, vt se purificent, Deoque reconcilientur, & sacrificio eum placent. Nam tanquam bonus, & pius pater non satis sibi existimabat, quòd filij externam & politicam virtutem exercerent; sed optabat *interiorem* quoque cordis habere, quæ vera & solida est, radixque exterioris

m *Dan.13.3 refert S. Hier. ibi.*

Ratio à fi tis exigenda.

n *Iob.1.5.*

Iobi vigilantia.

Ser. de opere & Eleemos.

Solida virtus quarenda.

Addit-

Additque Scriptura; sic faciebat Iob cunctis diebus, nihil scilicet remittens de sua solicitudine. Quod filijs adeò fuit vtile, vt cùm omnes eodem die repente sint mortui ex ruina totius domus super se credēdum sit, omnes esse saluatos, eò quòd in bono statu beneque dispositos mors oppresserit, ob diligentiam, quam S. Pater ad eos sanctificandos, ita frequenter adhibebat. Bonumque huius rei signum est, quòd prouidentia diuina eo die eos obire constituerit, quo conuiuium celebrabatur in domo filij *primogeniti*, qui conuiuijs reliquorum initium dabat, *primo* die post ipsa sacrificia, quo & fructus, & pietas ipsorum adhuc erat in eis recens. Hoc itaque exemplum S. Iob meritò sequentur parentes in Christiana filiorum suorum educatione ne Satanæ, sed Dei filij sint per eius gratiam; perueniantque ad eius gloriæ hæreditatem.

Mors parātum inueniat.

Deniqve ad hæc omnia summum adfert momentum, bonum parentum *exemplum*: quorum vita, vt ait Plutarchus, speculum quoddam esse debet, in quo filij videant quomodo vitia sint ipsis fugienda, virtus verò amplectenda. Nam si parens senex sit vitiosus, vitiaque sectetur: non erit mirum, si iuuenis filius patrem imitetur: quia honori sibi ducet, similem esse parenti, sit igitur talis parens, vt honorem acquirat filius ex eius imitatione.

Parentes exemplo sint filijs.

CAPVT IX.

PROGRESSVS FIT IN EODEM ARGVMENTO, adductis aliquot documentis ad bonam filiorum educationem, & nominatim constitutis piis ac peritis Pædagogis & Magistris.

Væ in proximo capite dicta sunt, hic prosequemur, ampliusq; declarabimus cum S. Chrysost. adducto exemplo a *matris filiorum Zebedæi petentis a Christo D. N. vt vnus eorum sederet ad* manum *eius dextrā, alter verò ad sinistram in eius regno*: desiderans, vt pia mater, filijs suis, non temporales, & huius sæculi dignitates; sed spirituales & æternas. Quæ licet non sciret, quid peteret, quo ad titulum & motiuū, cui innitebatur, modumque petendi: affectu tamen ostendit, se multū distare ab aliis matribus, quæ (inquit) corpus natorum suorū amant, animā autem contemnunt: desiderant enim illos valere in sæculo isto, & non curant quid passuri sint in alio: alij diuitias filiis suis prouident, alii honores, & varias dignitates: & nemo filiis suis prouidet Deum in quo reliqua omnia ha-

Hom. 3<. imperf. a Mat. c. 20.

nia haberent, & sine quo nihil prodest, reliqua omnia habere. Perditionem illorum cum magno pretio comparant; & salutem nec dono accipere volunt. Si viderint illos *pauperes*, tristantur, & suspirant; si autem viderint *peccantes*, nemo tristatur, sed rident; vt ostendant, quia corporum sunt parentes, non animarum. Nam licèt verum, sit parentes solùm cõ currere ad corporum formationem: Deum verò solùm animas creare: ac propterea Apostolus illos appellat: b *Patres carnis nostræ, Deum verò patrem Spiritus*: hoc tamen inter patres *mundi* huius, & veros Christianos interest, quod illi ita corporum tantùm sunt patres, vt attendant soli augmentationi & sustentationi *corporali*, & terrenæ suorum filiorum, atque si nulla alia vita illis supereſſet, quàm hæc præsens & mortalis; nec animas haberent æternũ victuras. At parentes verè *Christiani*, ita sunt corporum patres, vt suo modo etiam sint *animarum*: nam præter corporis nutrimentum attendunt etiam, & quidem multò diligentiùs in augmentum animæ, prospicientes filijs suis non solùm de ijs, quæ ad hanc vitam mortalem sunt necessaria; sed etiam quæ iuuent ad æternam animæ vitam. Et fortè propterea Adamus post peccatũ vocauit vxorem suam c: *Heuam*, ideſt, *matrem cunctorũ viuentium*: vt intelligeret, quòd licet genitura esset filios, ob culpã mortuos deberet se præstare matrem, dando operam, vt illi verè reuiuiscerent per gratiam in virtute Messiæ, iam ipsis promissi. Et propter eandem causam boni & pij parentes appellantur etiam in Scriptura *patres animarum*. ita enim dixit de Abram, d *quòd tulerit*, cùm exiret ex terra sua *vxorem suam, & Loth filium fratris sui, & animas quas fecerant in Haran*: filios scilicet, quos quo ad corpus genuerant, & quo ad animam, benè docuerant & instruxerant: sic enim sunt *duplici* ratione patres secundùm *carnem* scilicet, & secundùm *Spiritum*. Contrà verò de carnalibus, & huius mũdi patribus dicitur: quod non sint nisi carnis patres; & ideò in scriptura filij eorum appellãtur e CARO, in qua non possit *permanere Spiritus* DEI. Et S. Ioannes Baptista appellat tales f *progeniem* g & *genimina viperarum*: quia nascuntur ad spiritualem parentum suorum mortem, ob educationẽ prauam, quam ab eis acceperũt; & propriam etiam infœlicem mortem, ò quòd improbos genitorum suorum mores fuerint secuti. Quemadmodũ etiam quadraginta duo illi pueri improborum parentum filij, qui & ipsi improbi erant, h *illudebãt Eliseo Prophetæ, dicetes* per contemptum: *ascende calue, ascende calue, & egressi duo vrsi de saltu lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros*. Quod si causam quæramus, cur Deus non leones, aut tigrides, sed *vrsos* miserit; iustitiæ suæ instrumenta & carnifices? licebit respondere, quòd vrsi sint symbola bonorum parẽtum. Ipsa enim, fœmella est bis mater: primùm enim, vt ait Aristoteles fructum tantùm informis carnis parit; quam lingens lingua ita perficit,

b Heb. 12. 9.

Christiani patres animam & corpus curant.

c Gen. 3. 20

d Gen. 12. 5 *Patres sint animarum.*

e Gen. 6. 3.
f Mat. 3. 7.
g Luc. 3. 7.

h 4. Reg. 2. 23.

Vrsa bis mater. 8. de hist. Animal. c. 17.

vt

vt induat formam viuentis: & hinc oritur, quòd habeat ingentem naturalem amorem ad suos catulos, & summam ostendat feritatem, quando illi abstrahuntur. Quamobrem Deus (vt notat S. Hieron.) irã suam in Hebræos comparat cum ira vrsæ dicens h: *occurram eis quasi vrsa raptis catulis.* Voluit igitur Deus, vrsos esse instrumenta iustitiæ ad puniendos in filijs laceratis parentes, qui non fuerant has feras imitati in educandis, bonisq; moribus perficiendis filijs suis; sed satis sibi esse iudicantes, quod fructum informis carnis eis dederint, cùm eos genuerunt: quare tanquam vrsa puniet ipsos parentes, filios suos malè educantes, impulsus vehementi desiderio ac zelo, quo tenetur, vt illi sint probi. Eandem differentiam inter bonos & improbos patres licet etiam declarare ex discrimine, quod ipse Deus, cum Iob colloquens posuit inter *struthionem* & reliquas aues: hæ enim natura duce sua oua collocant in locis securis, eisque incubãt, proprioque calore viuificant & pullos suos educunt ac alũt, donec per seipsos volare possint, & escas quærere: struthio tamen adeò natura sua est insipiens & inepta, vt *derelinquat oua sua in* ipsa *terra*, & cooperiens illa puluere ita relinquit, & *obliuiscitur, quòd pes* alicuius transeuntis *conculcet ea, aut bestiæ agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui: & frustra*, quod in se est, laborauit in deponendis ouis, cum nullo aliàs *timore cogatur*: sed sola naturali imprudentia, duritie, & obliuione mera. Hunc igitur in modum boni pijque parentes prudentiam & amorem aliarum auium imitantur: nam cùm filios genuerunt, student benè illos educare, alere, & à periculis omnibus corporis & animæ defendere, subeuntes magnos labores, vt probi illi euadant: nec deponunt hanc curã & solicitudinem, donec illos in aliquo statu collocent, in quo possint sui curã habere: improbi autem parentes imprudentia laborant, & viscera struthionum dura induunt: nam cùm illos genuerint permittunt manere in terra affectuũ & morũ terrenorũ, contenti quòd eos arena & pulueribus bonorum temporalium ac perituorum cooperiãt, immemores boni animarum eorum: nec cogitantes aut rationem vllam ducentes, quod à sæcularium hominum pedibus conculcentur, aut quòd abinferni bestijs, dæmonibus scilicet, deuorentur. Et quo ad eorum animam, adeò sunt erga proprios filios duri, atque si ad ipsos non pertinerent: quia non æstimant illos suos, nisi secundùm carnem, quasi non spectaret ad ipsos, curam aliquam eorum gerere, quæ pertinent ad Spiritum: Et hac ratione, quod in se est, laboris sui fructum amittunt, quia non assequuntur finem & Sancti matrimonij scopum, benè scilicet filios educare: qui bonam postea Rempublicam constituant, ac demum cœlum etiam impleant. Et quod adhuc auget eorum miseriam, est, quod hæc omnia negligant, nullo rationabili timore cogente eos aut opprimente; sed quòd à car-

h *Ose.* 13 8. *Tren.* 3. 10.

i *Iob.* 19. 16. *Struthionis stupor.*

nali sua & sæculari inclinatione trahi se patiantur, permittente Deo hanc in eis imprudentiam, cordisque duritiem in pœnam suorum peccatorum: iuxta illud Ieremiæ: k *Lamiæ & feræ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia autem populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* excellit enim feras in crudelitate quam in proprios filios ostendit, qui euadunt etiam struthiones, sicut parentes eorum: nisi diuina prouidētia & misericordia struthionis suppleat obliuionem & incuriam; & viuifico gratiæ suæ calore bonum & pium faciat filium ab improbo patre genitum.

k Thren. 4. 3.

§. I. *Bona filiorum educatio S. Tobiæ exemplo ostenditur.*

a Tob. 19.

EXPLICEMVS adhuc magis hæc documenta præclaro S. Tobiæ exemplo, qui cùm adeò esset à sua iuuentute virtuti addictus, vt a *cùm esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamē puerile gesserit in opere*, & cum vxorem duxisset, *genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei*, ostendit suam sanctitatem eum educando, ac *docendo ab infantia timere Deum, & abstinere ab omni peccato*: cupiens ex tunc filium esse sanctum, sicut ipse talis esse contenderat; quare iam adultiori monita dedit & consilia altissimæ perfectionis, quibus debent parentes filios suos instruere, & educare. *Honorem* (inquit) *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuā ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec a te auertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors: si multū tibi fuerit, abundāter tribue: si exiguū tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri studе. Præmium enim bonū tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eā. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione: & præter vxorē tuā nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquā in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initiū sumpsit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedē restitue, & merces mercenarii, tui apud te omnino nō remaneat. Quod ab alio odieris tibi fieri, vide ne tu aliquādo alteri facias. Pane tuū cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere & cum peccatoribus consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum & pete ab eo, vt viastuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

Hæc omnia Sanctus Tobias senior, quæ à *virtutibus* prodibant, quas in

conse

corde suo tanquam thesaurum magnum seruabat; easq; tanto spiritu ac zelo filio suo infixit, & impressit; vt parentibus simillimus euaserit, & in eisdem quasi compendio tota Christiana perfectio, & quidquid lex diuina iubet, & quod in Euangelica lege maximè excellens, & heroicum est, continetur: & eadem ratione boni parentes tales filios procreabunt, & educabunt, vt, (quemadmodum ait Sapiens) b *quando moritur* Pater, sit *quasi nõ esset mortuus: similem enim reliquit sibi* filium *post se*, in cuius gestis perpetua manebit memoria etiam gestorum patris.

b Eccl. 30. 4.

Otij fuga.

Vt hæc monita executioni mandentur, studere debent parentes, vt filij etiam paruuli semper habeant, in quo benè occupentur, iuxta ætatem & capacitatẽ suam: nunquã permittentes, eos *otiari*. In omni enim ætate vera est sententia Sapientis, dicentis: c *multam malitiam docuit otiositas*; & aliũde bona occupatio est ratio, & via commoda ad reddendum hominem sanctum, prudentem & sapientem. Et quoniam ordo in rebus faciliores reddit iuuenum occupationes, expedit eas distribuere in certas diei partes: Ita vt vnam partem tribuant addiscendis, & exercendis rebus ad statum Christiani hominis pertinentibus, quæ sunt *quatuor* superius positæ: assignando illis tempus, in quo orent, & Sacro Missæ intersint, & interdum eosdem secum deducendo, eisque assistendo: parentum enim præsentia multum fouet, animatque filios, vt iucundè, suauiterque faciant, quod vident illos facere. In eum enim finem scriptũ est d *Christum Dominum Nostrum*, cùm puer esset, *consueuisse cum suis parentibus ascendere Ierosolymam*. Et superiùs retulimus de Patriarcha Iacob, quòd suos domesticos exhortatus fuerit, vt secum ascenderent in Bethel, hoc est in domum Dei ad offerendum sacrificium. Alteram temporis partem expendere debent in addiscendis, exercendisque rebus in *Republica* necessarijs, ad bonam communicationem, mutuumque commercium, quæ difficilè nisi in tenera ætate addiscuntur; qualia sunt legere, scribere, ars arithmetica, & humaniores aliæ literæ, aut liberales artes, iuxta cuiusque inclinationem & capacitatem, & iuxta statum & officium, ad quod illos parentes dirigunt. Sicut de Moyse scriptum est: e *quod fuerit eruditus omni sapientia Ægyptiorum*: cùm enim f *filia regis Pharaonis illũ sibi adoptasset in locum filij*: illa (ait Caietanus) curauit, eum scientiis illis instrui. Et g *Daniel* eiusque socii à tenera ætate *Chaldæorum literas didicerunt*; vt agere possent cum ipsis Chaldæis. Expedit tamen, parentes obseruare *propensiones* & *talenta* puerorum, quò scilicet illa inclinent; ac dotes, & facultates, quæ in illis apparent, ad ea exercitia, quæ desiderant. Hæc enim, vt supra est dictum) indicia sunt vocationis & electionis Dei, cui par est cooperari, eò quòd delectabiliùs, ac diuturniùs & solidiùs fit, quod pueri, bonam suam propensionem gustumque sequentes, faciunt.

d Luc. 2. 24. *Tract. 3. c. 5. § 2.*

Literæ.

e Act. 7. 22.
f Exo. 2. 10.
g Dan. 1. 4.

Propensio & talenta spectanda.

TERTIA temporis pars permittenda illis est relaxationi ac *recreationi* corporis, vt ætatis eorum imbecillitati condescendatur quæ non potest durare ac pergere absque aliquibus solatiolis, puerorum ingenijs accommodatis: cauendum tamen, ne illa praua sint, & peccandi occasionem habeant: imò & talia, quæ cum ipsa tenera ætate finem accipiant aut, si diutiùs duratura sint, id fiat absque incommodo & indecentia. Valde enim periculosum esset, puerulum occupari, aut affici ad *lusum* aliquē, qui adulteriori esset pernitiosus. Attendendum quoque diligenter, est cuinam puerorum generi in huiusmodi lusibus coniungantur, ne tales sint, qui videantur esse praui ingenij, & ad malum propensi: sicut refert scriptura sacra de h *Sara*, quòd *cùm vidisset Ismaelem filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, omnē mouit lapidem, vt & Agar & Ismael filius eius ab Isaac separarentur, eò quòd obseruasset, (vt ait S. Hieronymus) lusum Ismaelis fuisse, fingere quædam idolula, aut ad quædam indecentia ipsum Isaac prouocare.

Ludi noxij vitandi.

h *Gen.21 9. Et mali socij.*

In Traditionib. hebraic. in Genesim.

IN his tamen omnibus agendum est parentibus cum prudentia, & cautela, quasi sese infantum gressibus accommodando, ne plus illis, quàm pueriles ætas suauiter ferre possit, imponant. Meminerint, quid Patriarcha Iacob dixerit fratri suo Esau petenti, vt simul progrederentur; i *nostri* (inquit) *quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecū, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. præcede, & ego sequar paulatim*, SICVT VIDERO PARVVLOS MEOS POSSE. Paruuli enim non æquè ac magni ambulare, & onera ferre possunt: & quādo labor vtrisq; communis esse debet, non oportet paruulos vltra proprias vires vrgere, vt maiores se quantur; sed hi potius illorum gressibus sese accommodare, eosque alleuiare debent.

Pueri non obruendi.

i *Gen.33.13.*

§. II. *Pædagogi & Præceptores puerorum.*

ADHIBEAMVS vltimum documentum in auxilium parentum, quando scilicet non possunt ipsi per se ipsos plenè attendere bonæ filiorum educationi, præcipuè cùm ipsi sunt principales, aut magnates, & valdè aliàs occupati; tunc inquam tenentur filijs in tenera adhuc ætate prospicere de bonis *Præceptoribus* qui ipsorum defectus suppleant: sequentes & imitantes in hoc sanctum zelum, & spiritum Catholicæ Ecclesiæ, quæ in duobus Sacramentis, Baptismi, & Confirmationis assignat spiritualibus suis filijs duos *compatres*, siue Pædagogos, qui eos doceāt omnia necessaria ad eorum salutem & perfectionem, vt in primo Tomo dictū est. Supposito igitur, quæ in eo loco ad hoc institutum diximus, addemus nūc, quòd loco illorum compatrum debeant parentes carnales constituere præceptores, siue pædagogos aptos ad suorum filiorum educationē, ita tamen, vt ipsi nō omninò negligant, rationem & modum cognoscere, quo præceptores doceant, filijq; proficiant, ac procurare, vt præceptores ipsi sint insignes *virtute, scien-*

Præceptores deligendi. Tract. 2. c. 9. & 7.

Obseruādi.

tia &

tu. & *experientia*: hæc enim *tria* sunt necessaria, vt officio suo perfectè fungantur. Et in eisdem oportet excellentiùs eminere eos, qui officiũ illud erga Regum aut magnatum filios exercere debent, vtpotè à quorum bona educatione commune Reip. bonum dependet. Nam siue bonum, siue malum in pueritia addiscant, illud etiam in ætate maiori & senectute seruant: & quales hi principes fuerint, tales & ciues & subditi erunt, vt supra est dictum.

1. *Præcellant virtute.*

Expedit igitur in primis vt pædagogi & præceptores in *virtute* præcellãt, vt quod verbo docturi sunt, id priùs *opere* doceant: & ne exemplo malo destruant, quòd bonis verbis & rationibus plantant. Pueri enim pluris faciũt & maiorẽ ducunt rationem operum, quæ oculis cernunt, quam sententiarum, quam auribus percipiunt. sicut Alexandro Magno adhæsit prauus quidam incessus, quo præceptor eius *Leonidas* incedebat. Et quemadmodũ qui docet pueros scribere, apponit illis exẽplar valdè selectorũ characterũ, sine quo parum prodesset, voce tantũ & verbis tradita doctrina: ita qui velit eos docere modestiã, temporantiam, honestatem, & prudentiã necesse est, propriam suã vitam eis tanquam exemplar proponat, in qua easdẽ virtutes ipsi cernant, quas verbo præceptor docet; quid enim referet iubere puerũ non iurare, si is, qui id iubet, passim & incõsideratè iuret; & vt S. Bernardus ait: si vita contemnitur, etiã verba facilè contemnuntur: contrà verò bona de magistro opinio (vt ait S. Ambrosius) animum discipulo addit ad discendum.

Ex S. Hier. Epist. 89. ad Lætam.

Serm. de Resurrect. Li. 2 de Virginib.

Debet quoque præceptor eminere in *scientia*, quam discipulum suum est docturus: dando operam, vt eam ipsa experientia confirmet, quæ seniorum est propria. Nam (vt S. Chrysost. ait) si cupias imaginem aliquam tibi depingi, non satis tibi esse existimas, aliquem in ea arte tyronem adire; sed *pictorem* quæris peritum, electum, & in arte pingendi benè excitatum, quantò ergo magis decet, vt filio tuo *præceptorem* quæras sanctum, eruditum, & benè exercitatum, ac expertum; qui nouerit, in eo cum magna perfectione viuam virtutũ imaginem exprimere? si filius ægrotet, non vocas ad eius curationem aliquẽ insipientem, sed eruditum & expertum *medicum*. Et nõ quæres benè eruditum & expertum præceptorem, qui eundem doceat, & à prauis propensionibus, quibuscum nascitur, curet ac liberet?

2. *Scientia.*

Hom. 16. in Matth.

Præterea multum confert *experientia* ad iuuenum inclinationes & propensiones dignoscendas, quæ per externa indicia, sunt deprehendendæ: eas enim produnt verba, & actiones, & ipse vultus, alijque repentini motus, qui etiam sunt indicia boni aut mali, quod postea prosequentur, si eas sequi permittantur, iuxta illud Salomonis: *Ex studiis suis intelligitur puer si munda & recta sint opera eius.* Quod declarans Nicolaus Lyranus ait: ex ijs in quibus pueri cum oblectatione quadã occupantur, deduci possunt bona, aut mala opera, quæ adultus prosequetur. Ac proptereà (vt refert S. Grego-

3. *Experientia.*

Prou. 20. 11.

rius

Refert Ianſen. ibi. Epiſt. 187. inter opera S. Baſilij.

rius Nazianzenus) Lacedæmones occiderunt quendã puerum ex ſanguine regio; eò quòd viderent illum valde delectari venandis auiculis, & occidendis: ex hoc enim conijciebant, ſi adoleſceret, fore crudelem in homines. Sed quemadmodum fuit barbara & fera *crudelitas*, talem occaſionem accipere ad puerum occidendum: ita erit magna *prudentia*, ſi magiſter coniecerit ex aliquibus indicijs prauam aliquam pueri propenſionem, illam tempeſtiuè curare, & remedium adhibere: cùm hoc non ſit alias difficile in initijs, antequam profundas in anima iaciat radices.

4. *Sint loco patrum.*

DENIQVE in omnibus procedendum eſt præceptori cum ſpiritu *paterno*: quia reuera eſt tanquam *ſecundus* pater, qui *primum* adiuuet in perfectione, quam filio ſuo eſt communicaturus per bonam educationem: quæ pluris fit quàm prima generatio: parum enim filio profuiſſet hominis eſſe & naturam accepiſſe, niſi nouum etiam eſſe obtineat, quo ſit bonus & ſanctus. Sed quoniam negotium hoc non eſt vnius diei, & pueri ſæpius mutãtur, etiam diſſimulantes & fingentes, neceſſe eſt præceptorum longanimitatem & *patientiam* induere: perſeuerantia enim omnes difficultates vincit *agricola* (ait S. Iacobus) *expectat pretioſum fructũ terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Et pueros (ait S. Chryſoſtomus) eſſe quaſi *agrum* aliquem incultum, carduis, ſpinis ac tribulis refertum, ideoque *ſenſim* eſſe colendos; bonæque doctrinæ aratro prauas illas herbas euellendas, vt fructum reddant ſementi ſimilem, quæ in eis iacitur. Quod ſi Deus permiſerit, præceptorem ipſum etiam magno labore ac diligentia adhibita nõ fieri voti ſui compotem, ob pueri deprauatam indolem, & improborum ſociorum moribus corruptam: non tamen perdet ipſe apud Deũ, ſui laboris fructum. Nam (vt S. Bernardus Eugenio Papæ ſcripſit) *curam exigeris, non curationem*: hoc (inquit) exigitur à te, vt curam adhibeas, non vt ſanitatẽ adferas. Nam quemadmodum medicus tenetur diligenter attendere ad curationem infirmi, non verò eundem ſanitati reſtituere: quia ſæpè abſque vlla ſua culpa id præſtare non poterit: ita à præceptore & pædagogo exigitur, vt benè doceat, inſtruatque diſcipulum: licèt abſque eius culpa euenire poſſit, vt diſcipulus non amplectatur, quod bonus præceptor monet. Aliquod etiam ſolatij genus poſſunt ex hoc accipere boni & pij patres, cum facientibus ipſis quidquid poſſunt ac debent ad bonam filiorum educationem, illi tamen iuſtis Dei iudicijs euadunt peruerſi. Nihil enim nouũ eſt, quòd ex pijs parentibus, filij prodeant impij: ſicut etiam è contra, quòd ex impijs parentibus, filij prodeant valdè pij: nõ enim virtus ſimul cum natura communicatur; ſed neque vitium cum natura ſuſcipitur. Sanctus fuit *Dauid*, ſed filios habuit valdè improbos, & in Deum, ipſumq; parentem valdè rebelles. Nec minus ſanctus fuit *Ioſias* Rex, qui tamen filius fuit Manaſſes impiſſimi

Patientes. Iacob. 5. 7.

Lib. 4. de Conſider. c. 1 Mercedem dabit Deus.

Filij nonnunquam parentibus diſſimiles.

parentis: habuitque ipse filios adeò improbos, vt propter illorum peccata regnum ipsum perierit. Ac propterea per Ezechielem Prophetam dixit Deus populo suo: *omnes animæ meæ sunt; vt anima patris, ita & anima filii, mea est: anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iustitiam: in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit: hic iustus est, & vita viuet. Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem: filius hic morte morietur. Qui si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui timuerit, & non fecerit simile ei, sed iudicia mea fecerit, & in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Ezech. 18 4. 20.

Qvamvis autē bono parenti non sit sufficiens solatium, quòd omnes suas partes explens, se ipsum à culpa & morte liberet, si nihilominus videat filium miserè & infœliciter in peccata labi, & damnari: non tamen debet propterea se alicui periculo *Deum* offendendi exponere, nec *animæ* suæ pacem turbare, quando iam nullum potest adhiberi remedium: sed ad misericordiæ diuinæ pedes recurrat, seseque prosternens, occulta Dei iudicia veneretur; supplexque petat, ne & *ipsum* deserat, ita pater post filium pereat. Licèt quidem nec à ratione alienum est, talem filij iacturam deflere, sicut flebat Dauid infœlicem Absalom filij sui mortem dicens: *fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Absalom fili mi,* potiùs enim propriam corporalem, quàm filij spiritualem mortem optasset. Non tamen tantum tristitiæ locum dare debet, vt ab ea quasi absorptus, negligat quæ maioris sunt momenti: vt scilicet cymbam ad portum salutis æternæ tam propriæ, quàm reliquorum filiorum, quos à Deo accepit, diligenter dirigat. *Si non potes alios, serua te ipsum.* 2. Reg. 18, 33

CAPVT X.

QVOMODO FILII SE ERGA PARENTES ET fratres nurus erga suas socrus, & cognati affines & inter se, gerere debeant.

Vm status matrimonij, secum adferat multitudinem & varietatem cognatorum, consanguinitate & affinitate coniunctorum, quorum aliqui maiores, alij minores, alij æquales inter se sint: oportebat aliqua perfectionis documenta indicari, quæ ad mutuam inter se perfectam pacem & concordiam seruandam erant necessaria. Cum igitur hactenus documenta tradiderimus à maioribus erga minores, hoc est à parentibus

rentibus erga filios seruanda: superest ea nunc tradere, quæ ad *minores* erga maiores, & ad *æquales* inter se pertinent, initio facto à *filiorum* erga parentes obligatione, cui vt satisfiat, est virtus quædam specialis, quam Philosophi PIETATEM appellant, quæ (teste S. Thoma) in genere extenditur ad cultū & obsequium *cognatis* omnibus debitum, nominatim tamen *parentibus*: à quibus & Esse & vitā, quam habent, acceperunt. Nam quemadmodum virtus *Religionis* omnes homines inclinat ad exhibendum Deo supremum cultum, honorem, & subiectionem, quam illi tanquam supremo patri, primoque totius Esse & vitæ, quam habent, omniumq; bonorū quibus fruuntur, principio debent: ita PIETAS filios inclinat ad reddendum parentibus honorem, obsequium & subiectionem, tāquam naturali principio sui Esse, vitæ, & institutionis, ac educationis, quam habere debent, vt ipsa vita sit bona: parum enim emolumenti adferret, quòd pater institueret ac gubernaret benè filium, si hic non se illi subijceret ac obediret.

2.2. q. 101. a. 1.

Religio Deum

Pietas parentes respicit.

CVM autem hæc obligatio mutua sit, & vtrique parti communis: noluit tamen Deus parentum obligationem ad filios exprimi inter decem Decalogi præcepta: quia naturalis *amor*, quem erga illos habent, & ipsorum filiorum *necessitas*, id ab eis continuè exigit, reuocatque in memoriam obligationem, qua ad ipsis prospiciendum tenentur. Ipsorum tamen filiorum obligationem voluit exprimi in *primo secundæ* tabulæ præcepto, in qua continentur præcepta, quæ vnusquisque erga suos proximos seruare debet: eò quòd filiorum erga parentes amor soleat cum ætate refrigescere; præcipuè cùm hi ad senilem ætatem peruenerint, à quibus propterea commoditatem nullam expectant, sed aliqua potiùs incommoditate afficiuntur; cùm paternis bonis, ipsis viuentibus, vti pro arbitrio non liceat. Et hanc ob causam soli huic præcepto inter septem reliqua, quæ versùs proximos sunt seruanda, adiecit Deus specialem illud seruantibus *promissionem*, vt notauit Apostolus, dicens: a *filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est*. ait enim *honora patrem tuum, & matrem tuam, (quod est mandatum primum in promissione) vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.* Verbo autem *honorandi*, ait S. Thomas triplicē obligationem intelligi. *Prima* est, exhibēdi *reuerentiā* & cultū parentibus, tanquam principio naturalis nostri Esse: exhibendus enim illis est honor, quem ipsorū dignitas exigit, & ratio dictat. *Secunda* est, *obediendi* in rebus omnibus, quæ non sunt Deo contrariæ: id enim insinuat verbum illud obediendi *in Domino*, hoc est, ne fit obedientia in re, quæ Deo displicet, sed quæ placet, & intentione principali ipsi Deo placendi: nam in re, quæ Deo displicet, eiusque præceptis contraria est, non debent parentibus obedire, sed eos potiùs odisse sancto illo odio, de quo Christs D. N. dixit: b *qui non odit patrem suum non potest meus esse discipulus.*

Honor parentum præceptus cum promissione.

a *Ephes.* 6. 1. *Coloss.* 3. 20. *Exo.* 20. 12. 2. 2. q. 101. a. 2 & *in Eph.* 6.

Honor.

1. *Reuerentiā.*

2. *Obedientiā.*

b *Luc.* 14. 26.

Quæ

Quæ obedientia in excellenti illa perfectione esse debet, quam Apostolus commendat seruis erga suos dominos, sicut suo loco est declaratum. Et quidem filij adeò perfectiorem obedientiam, & maiori cum amore exhibendam tenentur, quò esse filium excellit conditionem & rationem seruorum. *Tertia* obligatio est, filiorum seruiendi parentibus, eosque cum indigent, sustentandi: visitando eos, & eorum curam gerendo cùm ægrotant; eisque in rebus omnibus necessarijs *subueniendo*, cùm senes iam sunt, & pauperes. Hoc autem facientes filij, *promissiones* Dei obtinebunt, tam *temporales*, huius vitæ, quàm spirituales & *æternas*, quæ per illas significantur: quòd scilicet benè illis erit, ac prosperè in corpore & anima, diuque vitam protrahent in *hoc* sæculo, si ita illis expediet: aut, si non, in *altera* vita, quæ est terra viuentium in æternum. c *Nam pietas*, ait Apostolus, *ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

Tract. 3. cap. 3.

3. *Subuentionem postulat.*

c *Timot. 4. 8.*

§. 1. *Huius præcepti fauores, vel maledicta.*

Clarius hæc explicat Ecclesiasticus, referens *duodecim* singulares *fauores*, quos Deus exhibet filijs huius præcepti custodibus, & *maledicta*, quæ eiusdem transgressoribus eueniunt. a *Iudicium* (inquit) *patris audite filij, & sic facite vt salui sitis. Deus enim honorauit patrem in filijs: & iudicium matris exquirens, firmauit in filios. Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, iucũdabitur in filijs, & in die orationis suæ. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet dominum honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt. In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, sed confusio. gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes illum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies soluentur peccata tua. Quam malæ famæ est, qui derelinquit Patrem: & est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* Omnia hæc sunt Spiritus Sancti verba, quorum veritas confirmata est multis historijs sacris, Ecclesiasticis, ac prophanis, in quibus multa referuntur prodigiosa *exempla*, quæ euenerunt: in quibus apparet, aut remuneratse Deum bonorum filiorum obedientiam, aut malorum improbitatem puniuisse. Bonorũ testes sunt prosperi & fœlices euẽtus, b *Sem* & *Iaphet*, eò quòd patris Noë nuditatem operuissent fœlicitas

a *Eccl. 3. 2. 12. Fauores & maledicta circa honorem parentum.*

Exempla bonorum filiorum.

b *Gen. 6 26.*

c cap. 21. 9. d cap. 37. 2. & cap. 47.

c *Isaac*, ob præstitam patri suo Abraham simplicem, & ad nutum obedientiam; & patriarchæ d *Ioseph* ob amorem ac zelum, quem habuit in domum patris sui Iacob. Sed his omissis exemplis adeò omnibus notis, vnum tantum valde memorabile adferam, quòd euenit inter Gentiles, vt refert Aristoteles in libro de mirabilibus mundi: inter quæ refert in Sicilia olim exignita quadam voragine igneum quendam torrentem certis temporibus prorumpere consueisse, qui omnia vicina loca longè lateque depopulabatur: & cùm quodam tempore vehementiùs exundaret, omnesque habitatores sese in fugam darent, senex quidam ob senilis corporis impedimentum fugere non poterat: hic videns filium vnà cùm alijs properantem, illum ad se vocauit, petijtque vt in ea extrema necessitate ipsi adesset, substitit filius, & accepto in humeros patre, perrexit, lentiùs quidè paterno onere grauatus: cùm verò *amnis* intumesceret, diuinitùs factum est, vt *medius diuideretur*, ita vt liberum transitum filio patrem gestanti relinqueret. patre igitur in tuto collocato, alios, qui præcedebant, ac celeriter fugiebant, est assecutus. Quam insignem filij erga parentem charitatem, Deus compensauit prodigiosè illum ex periculo ignis educendo, vitamque ei longam largiendo, quia ipse mortis periculo, vt patrem ab ea liberaret, sese exposuit.

Pietatis in parentes mira merces.

Improborum filiorum pœna.

Lib. de dec. Præcept. ser. 5. de 4. Præcepto.

Capo filij impij fit bufo.

e Pro. 30. 17.

De improbis etiam & nequam filijs plurima adferri possent exempla, qui horrendo & funesto suo interitu cæteris terrori esse possunt: taceo verò impudentem illum *Cham*, qui patri suo nudato illusit; & *Ruben*, qui, ob insignem Iacobo Patri contumeliam irrogatam, ius primogenituræ, sacerdotium, ac imperium, duplicemque hæreditatem (quæ illi, ratione primogenituræ, debebantur) amisit; & filios *Heli*, pijs parentis sui monitis nõ acquiescentes; & *Absalonem*, qui etiam in patrem rebellare ausus est: aliaque celebria, & omnibus passim nota exempla prætereo: vnum tantùm hic describam, quod à S. Bonauentura refertur de filio quodam, qui splendidè quotidiè cum vxore sua epulabatur; pauperculum interim patrem fabis, victitare sinebat. hic pater, cùm die quadam filij domum adijsset tempore, quo mensæ ille accumbebat, & *caponem* sibi paratum habebat: vbi autem patrem adesse comperit caponem armario includi fecit, solitum patri cibum tantùm præbens. Patre itaque iam abeunte, caponem educere dum vult, in *bufonem* ingentem conuersum reperit, quem in faciem & oculos insilientem auellere nulla arte aut ratione potuit, donec eius veneno infectus expiraret: Deo impiam filij in patrem crudelitatem, horrenda hac morte puniente. Vt enim benè ait Sapiens; e *oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eũ filii Aquilæ*, quasi dixerit: dignus est, qui in cruce pendens moriatur, in qua à coruis & Aquilis deuoretur & lanietur. Nominat autem his viuaces & lon-

gæuas

gauas has aues, vt ex huiusmodi iustitiæ diuinæ executoribus colligatur, filium erga parentes immorigerum, ac nefarium, etiam hic longiori se vita priuare, quam Deus promisit legem de parentibus honorādis seruantibus: quæ lex etiam huiusmodi punitiones & supplicia constituit. Strictè enim Hebræis olim Deus præcepit, vt f *filius, qui parentes percussisset, aut maledixisset, morte moreretur.* Neque enim viuere meretur, qui tantam erga illos, à quibus vitam accepit, ingratitudinem ostendit: & alibi dicit: g *filium contumacē & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & ab eis coërcitus, obedire contempserit, ducent eum ad seniores ciuitatis, dicentq; filius noster hic proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur, vt vniuersus Israel audiat & pertimescat.* Denique labores, quos patres in filijs educandis sustinuerunt, continuò clamant, exiguntque vt filij ipsos ament, ac venerentur: honorem (inquit Tobias filio suo) h *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Et Ecclesiasticus ait: i *honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniam, nisi per illos, natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi:* sed cùm par pari referre non possis: refer saltem summum quod poteris, cum summa charitate.

f Exo. 20. 15
g Deu. 21. 18
h Tob. 4. 3.
i Eccl. 7. 29.

Sed non expedit cælestem Apostoli Rhetoricam silentio præterire, qua in suis Epistolis hæc monita tradens, ea inserit inter alia, quæ multum conferunt ad ea exequenda. Præmittit enim *amorem*, quo sē mutuò pater & mater, tanquam probi coniuges, diligere debent; & *obedientiam*, quam vxor debet suo viro exhibere: vt vtrumque exemplo sit ipsis filiis: post ipsa verò monita, suauem ponit rationem, qua debent parentes filios suos tractare, k *ne illos scilicet ad iracundiam prouocent, aut* l *pusillo fiant animo*: ne occasionem accipiant imminuendi, aut etiam abijciendi reuerentiam & amorem, ac deficiendi in obedientia & subiectione debita, quæ plurimùm dependet ex modo, quo à parentibus tractantur; nam si illi erga filios opere ipso ostendant se patres: filij quoq; ostendent se reipsa tales erga ipsos.

Qualis pater talis filius.

k Ephes. 6. 4
l Colos. 3. 20.

§. II. *Ex huius Præcepti obseruatione amor & concordia oriuntur.*

Ex eadem quoque radice amor & concordia oritur, quæ inter ipsos filios esse debet, mutuò se tanquam bonos fratres amando; & alter alteri, quod sibi metipsi cuperet, optando: vt naturali sanguinis amori supernaturalis amor Christi adiungatur, qui illum comitetur, moderetur, ac perficiat: ne ad extrema excessus aut defectus declinet, quæ veram cha-

Fraterna dilectio.

ritatem lædunt: siue contra Christi legem ita frater ametur, vt eius causa illam transgrediatur: cùm tamen in tali casu, non amandus, sed odio habendus sit, quemadmodum de ipsis parentibus est dictum: aut contrà naturali legi non pareat, quæ mutuum inter fratres amorem seruandum iubet: qui amor valde a *placet Deo & hominibus*, ac propterea vehementer idem b *Dominus odit eum, qui seminat inter fratres discordias*: qui alibi addit: c *fratrem, qui adiuuatur a fratre, esse quasi ciuitatem firmam: & iudicia quasi vestes vrbium*: id est cùm lites & contentiones inter ipsos oriuntur. Nam quò fortiores ex *concordia* fiunt ad se mutuò tuendos: eò sunt ex *discordia* magis terribiles ad se mutuò offendendos. Cùm enim hæc eousque peruenit, vt naturale sanguinis vinculum frangat, adeò progressa censenda est, vt difficillimè reparetur, cuius exemplum est in discordia, quam habuit d *Chain cum* fratre suo *Abel* & e *Esau cum Iacob*, & *filii* f *Iacob, cum fratre suo Ioseph*. Hæc discordia ex *inuidia*, aut *cupiditate* vt plurimum oritur. Nam cùm fraternitas modũ quendam æqualitatis secum adferat, dolet improbus, fratrem sibi in natura aliàs æqualem, præferri in bonis gratiæ aut fortunæ; at charitas, quæ naturalem fraternitatem perficit, nouit benè has discordias præuenire per modos & media in tertio Tractatu posita. Quidquid enim ibi est dictum de charitate inter proximos seruanda, maiorem vim habet inter fratres & cognatos. Solùm nunc addam, quod pertinet ad concordiam inter nurus & socrus, quæ rarò solent benè conuenire. Ac propterea *Saræ* parentes inter bona alia consilia, quæ filiæ suæ dederunt, cùm eam Tobiæ in matrimonium tradidissent, primum fuit, vt g *suos soceros honoraret*, vsi sunt autem verbo *honorandi* quo Deus iubet filios *hororare* suos *parentes* vt intelligeret; debere se socerum loco patris, socrum verò loco matris habere, & diligere eos, ac reuereri, obsequiumque eis exhibere, tanquam vera eorũ & bona filia: solùm addam celebre & heroicũ RVTH & NOEMI exemplum, quod verè fuit in mundo singulare. RVTH enim erga socrum suam omnia præstitit, quæ bona quæuis filia potuisset erga suam bonam matrem: non solùm quàm diu vir eius superuixit: sed, quod amplius est, etiam illo mortuo: nam amor adeò erat profundè in corde radicatus, vt non dependeret à vita viri.

a *Eccl.* 25.1
b *Pro.* 6 19.
c *cap.* 18. 19.

Ita Iansen.

d *Genes.* 4.5
e *cap.* 27.41
f *cap.* 37.4.

Radix discordiæ.

g *Tob* 10.13

Nurus socrum amet.

exemplo Ruth.

QVOD facilè ex eo *primum* intelligitur, quòd cùm videret eam ex regione Moab solam, ac desertam recedere, ita eius est miserta, vt comitari eam constituerit, & in eius contubernio per totam vitam permanere. Ac propterea obtulit se ad paternam domum, & cognatos omnes deserendos: & quod amplius est, ipsos Deos suos, antiquosque mores, & leges: eas verò amplectendas, quas eius socrus præ se ferebat ac profitebatur. Postquam verò in

Bethleem

Bethleem peruenit, fuit illi in omnibus valdè obediẽs; nihil faciens absque eius approbatione, & facultate: omnium verò, quæ faciebat, rationem ei reddebat: & quidquid illa iuberet exequebatur. Laborabat præterea, vt se & illam aleret: & quidquid suo labore comparabat, totum socrus manibus tradebat; & ipsius cibi, quem dono accipiebat, reliquias seruabat, quas ei adferret. Quæ omnia veri amoris erant signa, virtutisque valde perfectæ. Quã merito deberent omnes nurus imitari, vt vera charitate cum suis socrubus coniungantur. Quid verò socrus ipsæ facere debeant, deprehendent in ipsa *Noëmi*, quæ erga Ruth omnia præstitit, quæ bona quæuis mater potuisset in suam filiam. Admisit enim illam in suum contubernium, cùm videret, quanta constantia id ipsa desideraret: singularem adhibuit curam, vt amanter & confidenter cum illa ageret; in omnibus eam dirigens, quæ factura erat; suo tempore solatium ei adferre curauit, dirigens eam, vt virum acciperet diuitem, potentem, ac nobilem; offerens ei in dotem; vel modicum illud quod ex proprij viri facultatibus sibi supererat. Et quando Ruth filium peperit, ipsa illum quasi suum accepit, eumque nutriebat, quasi eius esset nutrix; libenterque audiebat vicinas & amicas sibi congratulantes ac dicentes: h *ipsi natum esse filium*. In quibus omnibus amor elucet, quem debent socrus erga suas nurus habere, non solum quam diu ipsarum filij sunt superstites, quibus illæ nupserant: sed etiam erga iam viduas; permanentes semper in vero amore materno.

Socrus nurum diligat exemplo Noemi.

h *Ruth.* 4. 17.

Qvæ si in lege antiqua sunt gesta, quid meritò fieri debet in noua, quæ verè est lex *amoris*? si Euangelicæ legis gratia, vt Isaias ait efficit vt i *habitet lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubet*: cur non sufficiet ad *socrus*, & *nurus* in charitate iungendas? si gratia Sacramenti, & matrimonij status efficiunt, vt vir & vxor sint perfectè quasi vnus: cur vir non habeat vxoris suæ parentes tanquam proprios; & vxor similiter, viri sui parentes? vnico duntaxat in casu Saluator noster inter k *Socrus & nurus, discordiam & diuisionem posituram* se ait: sicut etiam inter patres & filios, ac fratres ipsos: cùm scilicet aut falsa religio, aut improba alterius vita periculum & occasionem alteri adferret à bona vita aut religione recedendi, aut benè semel proposita mutandi. Si autem in vna fide ac religione vnitæ & coniunctæ sint: cur non etiam in eisdem moribus consentiant, ne cogantur seorsim & separatim semper viuere? cur non l *altera alterius onera portet, vt sic Christi legem adimpleat*: quæ lex est charitatis? cur *minor* propriam voluntatem non mortificet, vt maioris exequatur? & cur *maior* voluntatem suam non flectat, vt in re aliqua minorem recreet? nam alterius mortificatio & tolerantia in causa erit, cur altera quoq; se accommodet: semper autẽ

i *Isaiæ.* 11. 6.

k *Matth.* 10. 34. *Luc.* 12. 53.

l *Galat.* 6. 2 *Alterut erũ supportet.*

æquum

æquum est, vt hæc subiectio & accommodatio ab ea incipiat, quæ magis tenetur se subijcere.

S. Monica virtus. De Sancta Monica scribitur, quòd cum ob ancillarum murmurationes non posset socrus pacem cum ipsa habere, adeò fuerit patientia & prudentia eius admiranda, vt tandem soerus eius valde illam dilexerit, & præcipua fuerit suæ nurus propugnatrix, cùm similes nugæ ad se de ea adferrentur.

Cupiditas venenum amoris. l *Gen.* 1. 31. 1 Nec minus perniciosa esse solet dissensio inter soceros & generos, & horum cum vxorum fratribus, aut harum cum fratribus virorum, maximè cum alicuius vtilitatis aut proprij commodi occasiones occurrunt: hæc enim *cupiditas* potissima solet esse radix huius discordiæ: quemadmodum videre licet in ea quæ fuit inter Patriarcham l *Iacob*, & socerum suum *Laban*, eiusque filios, vxorum suarum fratres. Qui conqueri cœperant quòd *Iacob tulisset omnia, quæ fuerunt patris* eorum, ac *de illius facultate ditatus esset*. animaduertens autem Iacob faciem Laban erga se non esse sicut antea; coactus fuit illos deserere, & in patriam suam redire. nec propterea illi ab eo persequendo destiterunt, eique auferendo, quæ ipse iustè acquisierat; nisi Deus illius partes egisset, & ealũnijs defendisset. Hinc ortũ habuit Ecclesiastici illa admonitio: m *noli conciliari cum eo, qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium.* Insinuat enim, *soceros* eiusque filios in aliquibus negotijs non esse bonos consiliarios: eò quòd sint propriorum commodorum cupidi.

m *Eccl.* 37. 7 *Sori supēi, extra gratiam.*

Sed Christiana charitas & prudentia huiusmodi errores corrigit, magnamque pacem & animorum coniunctionem inter omnes ponit: impellit enim *soceros*, ad bona consilia suis generis præbenda, & ipsos *generos*, ad eadem amplectenda, & sequenda. Vt videre licet in aptissimo illo consilio quod *Ietro dedit* genero suo *Moysi*; quod ipse magna cum *humilitate* est secutus: eò quòd socero suo esset magna *charitate* vnitus. Reliqua quæ huc spectant videre licebit in loco paulò superiùs allegato.

Amor humilis, Exod. 18. 18. 24.

(.·.)

CAPVT

CAPVT XI.

FAMILIAE GVBERNATIO PRAECIPVE EX PARTE perfectæ Coniugis.

CVM perfecta totius domus & familiæ gubernatio inter ipsos coniuges sit distributa, cuius præcipua pars, quæ ad *virum* spectat, superius in tertio Tractatu satis fusè est declarata, solùm superest ea nunc adferre, quæ ab *vxore* sunt præstanda: eadem verò opera summatim referemus ea particularia, quæ ipsa, vt in gradu suo perfecta sit præstare debeat: sequens & amplectens illa consilia, quæ boni parentes *Saræ* filiæ suæ dederunt, monentes non solum honorare *soceros* suos, diligere *maritum* (quod iam superiùs insinuauimus) sed a *regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere*, Quod ipsum fusius Spiritus sanctus ore Salomonis explicauit, quamuis ille rem hanc adeò raram & pretiosam existimauit, vt præclarum illud exordium præmitteret: b *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius*: insinuare volens, valdè esse difficile inuenire mulierem virili fortitudine exornatam: & si inueniatur, eam esse magni pretij & æstimationis, quemadmodum rari sunt, magnique fiunt pretiosi lapides ex Orientis Indijs allati, iuxta illud: omne pretiosum rarum: & bonum, quod rarum est, etiam est pretiosum. Sed quamuis rara sit tanta perfectio in coniugata muliere, si eius imbecillitatem, quam ex seipsa habet, aspiciamus: non tamen erit adeò difficile talem in Euangelica lege inuenire, ob virtutem & gratiam, quam Christus Dominus noster cum matrimonij Sacramento coniunxit. Quæ mulierem, alioqui debilem, reddit fortem, ac strenuam, ad præstanda quæcunque tenetur erga DEVM, *virum* suum, *filios*, & *familiam* totam. Et quamuis ad eadem præstanda vir ipse teneatur: non tamen ita rarus est vir fortis ac strenuus: quia ipsa natura eum animo forti exornauit, in quo gratia ipsa, firmius ac robustius inuenit pectus ad proprij status onera ferenda. Sed non est tamen solus, adeò insignis & egregius, vt non etiam indigeat fortis ac virilis vxoris auxilio: cuius excellentias & proprietates refert Spiritus sanctus ad certum eas numerum reducendo, in quibus summatim continentur omnes in præcedentibns capitibus positæ.

a *Tob.* 10. 13

b *Pro.* 31. 10

Rara mulier bona extra gratiam.

Vir fortis indiget forti muliere.

§. I. *Perfectæ vxoris excellentia.*

1. *Vir confidit in muliere forti.*

PRIMA excellentia est, quod *viro* suo magno sit *leuamini*, qui etiqúe in omnibus, quæ ad bonam totius domus gubernationem pertinent: ob sanctiratem scilicet, ac prudentiam, quam in ea obseruauit & expertus est. a *Confidit* (inquit) *in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ*, quasi distinctius dixerit: tanta est eius *probitas*, tantaque animi *fortitudo*, vt vir eius securè illi *fidat*, omnesque suas curas committat: certò sperans eam rerum omnium ipsius curæ commissarum exactam rationem reddituram. Quamobrem potest ipse ad sua negotia peragenda liberè ac securè domo exire, absque timore aut formidine mali alicuius exitus. Quam cùm adeò sollicitam experiatur in custodiendis quæcunque illi tradit: non opus habet diuitias ex aliorum *spoliis* per illicitas negotiationes, & media mala acquirere: ea sibi sufficere existimans, quas à DEO accepit, & propria sua industria comparauit.

Vir sanæ mulieri benignus.

EST præterea ipsa adeò *grata*, ob quoduis bonum à suo viro acceptum, vt & verbis & operibus bonis *bonũ ei reddat, & non malũ*, nec molestiã vllam *omnibus diebus vitæ suæ*. Continet autem singularem quandam Emphasim verbum REDDET, quod significat aliquid in compensationem, & quasi remunerationem ei dare, à quo beneficium accepit: quare dum eo verbo vtitur Salomon, præsupponit bonam tractationem prudentis viri erga suam vxorem, eò quòd illa talis sit, vt ipsum obliget, impellatque ad amanter ac beneuolè cum ipsa agendum, & liberaliter indulgendum. Quamuis excellens eius probitas & fortitudo tanta esse debet, vt etiam viro non præstante, quod meritò deberet, ipsa *reddat* semper *bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ*: vt pax domestica sit perpetua. Neque enim magna censenda est fortitudo, quod bonum pro bono reddatur; Sed illa insignis est valdeque excellens quod bonum reddatur pro malo, nunquam verò malum: iuxta Apostoli consilium & exhortationem dicentis: b *noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, benè scilicet faciens ei, qui malè tibi facit.

Vxor viro grata, etsi non manſueto.

b *Rom.* 12. 21.

2. *Conseruet & augeat.*

SECVNDA fortis mulieris proprietas est, vt non solùm fideliter seruet, quæ vir ipsi tradit seruanda; sed & ipsa iuxta gradum & statum suum solicitè *noua* quærat rei familiaris augmenta. *Quæsiuit*, inquit, *lanam & linum & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum; de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum*

manum suam ad fortia plantandam vineam. Quasi distinctiùs diceret: adeò est illa in rebus domesticis solicita, vt non expectet donec maritus lanam & linum adferat, quæ ipsa cum suis ancillis laboret, neatque ad suas telas conficiendas; sed ipsamet media & rationes inquirit ad ea habenda: & instar nauis mare sulcantis, & ex remotissimis regionibus res varias ad commune ciuitatis commodum deferentis; ita ipsa omnes domus suæ angulos lustrat ac vertit; & quærens hinc inde ea congregat, quæ ad suam sustentationem sunt necessaria. Summo *mane* surgit, ne famuli ac domestici nimium somno indulgeant, aut otiosi sint; & statim domesticis & officialibus ad laborandum iturus, *cibaria* tradit *pensumque* ancillis assignat, quod perficere debeant; tantaque eius est diligentia, vt res familiaris per eam augeatur, & superfit adhuc ad *agrum* emendum, *vineamque* plantandam; DEO ipso bona illa domestica multiplicante, ob fidelitatem ac solicitudinem, qua illa etiam ex rebus paruulis fructum & lucrum facit.

VT autem intelligamus huius mulieris solicitudinem, non solùm in imperando suæ familiæ consistere; sed etiam in *proprio labore*, vt suos exemplo præcedat, addit Salomon *tertiam* eius excellentiam, dicens: *accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum: gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius*: ideoque *non extinguetur in nocte lucerna eius; manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Quid est autem accingere se fortitudine, & brachium suum roborare, nisi magna animi *fortitudine* imbecillitatem, & molliciem fœmininam vincere; manumque ad fortia adhibere, tantam animi voluptatem, in eò quòd semper sit benè occupata sentire: vt non satis habeat in die laborare, sed etiam in ipsa *nocte*, colum & fusum arripiat, ne cesset à nendi labore, quo plurimum delectatur. Ne autem existimetur, occupationem eam solùm esse nendi exprimit editio nostra vulgata, quod manum suam miserit ad FORTIA, ad omnia scilicet manus suas applicando, quæ ad suum statum & gradum pertinent: quæ licèt videantur ex se facilia, mulieribus tamen sunt *fortia*: quia fortitudinem exigunt ad perdurandum in eis, cùm ipsæ alias ex se ipsis ad otium & quietem propendeant; quam propensionem non nisi fortitudine superare ac vincere possunt. Et hac ratione præueniunt, & aditum obstruunt innumeris peccatis, quæ ab huiusmodi *otio* proueniunt: quæ enim otium sectantur, anxiè quærunt solatia sua, ac recreationes extra domum, horrentes occupationes, quæ in ea sunt; aut tempus otiosis colloquijs terentes, in quibus frequenter murmura ac detractiones miscentur. Ex quo experientia deprehendimus sententiæ illius veritatem, qua dixit Salomon: c *sapiens mulier ædificauit domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet.* Sapiens enim prudenti acdili-

3. *Ipsamet laboret.*

Otium pel lat.

c *Prou. 14. 1 Vide Lanser.*

ac diligenti sua gubernatione omnia promouet ac crescere facit: imprudens verò omnia turbat ac destruit. Sapiens (vt quidam Philosophus dixit) est tanquam *apis* casta & operosa, quæ fauum suum construit, & in alueario suo commoratur: nec prodit foras, nisi vrgente necessitate, ad mellis ceræque materiam colligendam.

Mulier apis.

4. *Liberalis sit.*

SED vlterius progreditur feruens sanctæ huius mulieris diligentia: quæ non ex auaritia, aut multa acquirendi cupiditate laborat; sed tum vt suis *obligationibus* prospiciat; tum vt habere possit, vnde alijs *benè facere* possit. Ait enim: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* In quibus verbis *duos* bonos effectus insinuat Sapiens, qui *liberalem*, & non parcum & auarum animum produnt.

1. *Eleemosynis.*

PRIMVS effectus est, quod ex his, quæ habet liberaliter tribuat pauperibus, *eleemosynas* iuxta facultates suas elargiendo. Quam liberalitatem indicat Spiritus S. verbis illis: *aperuit manus*, & *extendit palmas*; quibus significare voluit: talem mulierem non claudere, neque comprimere manus parcitate; sed aperire & extendere quantum potest, confidentem diuinæ misericordiæ, quod non propterea res ipsius familiaris sit diminuenda, nec familia defectum aliquem passura; sed potiùs augenda: ex eleemosyna enim augmentum prouenit prædictum. Et quamuis vxor teneatur viri directionem sequi, ad quem distributio & administratio bonorum ita pertinet, vt vxor nec eleemosynas quidem magnas sine eius consensu, vt suprà dictum est, facere possit; quod tamen ad ipsam pertinet, *propendere* debet ad eas erogandas: quod si illa diligens & operosa fuerit, nunquam illi defuerit, vnde possit *ordinarias* erogare: nec vllus erit vir adeò parcus, qui meritò velit illas prohibere. Quare si vterque tanta sit conformitate coniunctus: bona alterius propensio, alterum facilè post se trahet.

2. *Multo magis in domesticos.*

SECVNDVS effectus est, quod erga suos *domesticos* adeò sit liberalis, vt non existimet satis illis esse vnum indumentum; sed *duplicatum* tribuat, quod eos à frigore defendat ac de omnibus necessarijs illis prospiciat. Quæ enim erga *externum* pauperem ostendit se liberalem: non debet erga pauperem *famulum* esse parca. Nam cùm ipsi laborem ferant, lucrumque promoueant: decet, vt supra est dictum, fructuũ etiã esse participes: sic enim eorum voluntatem alliciet, vt libentiùs laborent & obsequantur. Nec magnum quid videri debet, quod ita copiosè de vestibus illis prospiciat; cùm tantum illi superfit, vt *Syndonem* siue telam texuerit, ac *vendiderit*: & *cingulum* confecerit, ac *tradiderit Chananæo*, vendendum; vt ex his, quæ domui suę supersunt, magis eam ditet; & pecunia ex eis accepta comparet, quæ sibi desunt.

SED

5.

SED quoniam Deus non vult, fortem ac prudentem mulierem adeò circa alios solicitam, *sui ipsius* obliuiici; sed cum ea decentia, quam status eius exigit sese ornare; addit *aliam* excellentiam dicens: *Domesticam supellectilem, & stragulatam vestem fecit sibi; byssus, & purpura indumentum eius. cuius causa nobilis habebitur & laudabitur in portis vir eius, quãdo sederit cum senatoribus terræ.* Nec vacat mysterio, quòd Spiritus sanctus coniugatam mulierem laudet ex eo, quòd pretiosa habeat stragula, ac lectisternia, & elegantia peristromata pro domo sua; & quod ipsa ex *bysso & purpura* habeat indumentum: cùm tamen inter Epulonis illius diuitis peccata recensеatur, quod c *indueretur purpura & byssо*. Sed si attentiùs rem perpendamus, intelligemus, voluisse Spiritum sanctum nos docere: non displicere sibi externum cultum etiam pretiosum, sed deprauatum eius vsum, aut nimium in eo *excessum*, habita ratione status; aut ob intentionem inanem, aut sensualem, sicut suprà est dictum. Si autem cum moderatione decenti fiat, & sincerè in finem gloriæ ipsius Dei, vt etiam pretioso huiusmodi cultu illa vtatur, quem ipse Deus prouidit ad seruandam altioris status authoritatem, in quo Deus illam collocauit: tunc inquam non vitiosum, sed sanctum erit, pretiosis huiusmodi ornamentis vti: & nominatim, vt viri sui voluntati, vt par est, satisfaciat. Propterea enim adiunxit Spiritus sanctus propter gloriam fortis huiusmodi mulieris, hac ratione exornatæ, fore virum eius in veneratione apud Senatores terræ, fœlicem illum, & fortunatum indicantes, quòd insignis adeò socia illi contigerit. Illud quoque bonum est indicium animi, quo se byso & purpura induit, quod permiserit: illam non crudelem, qualis epulo ille diues fuit: sed *piam* ac misericordem in pauperes, & domesticos suos fuisse; & quòd priùs attenderit ad necessaria illis indumenta præstanda, quàm ad se ipsam pretiosis ornandam: non enim decet cum domesticorum, & pauperum detrimento expensas magnas facere in res valdè pretiosas, ad proprium vsum.

c *Luc. 16. 19.* *Non cultus sed excessus carpendus.*

Prius curanda necessaria.

6.

VT autem appareat quod quæ se ipsam, domumque suam splendidè adeò induit, non deserat *animam* nudam, nec domum conscientiæ suæ, addit Spiritus sanctus præstantissimam *aliam* eius excellentiam, dicens: *fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo: os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius: considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* cuius sententiæ sensus est, quod illa non fuerit contenta, nec sibi satisfecerit, artificioso illo corporis cultu; sed naturalem ipsum virtutum ornamentis auxerit, ac perfecerit: induit enim *modestiam*, iucundamque vultus sui gratiam, & suauem cum domesticis agendi rationem, vt se omnibus redderet *amabilem*. *Faciem* suam lætam ostendit, ac subridentem; non tamen ita, vt fœmininam re-

Anima ornamenta virtutes.

Facies.

doleat molliciem quæ ipsos domesticos emolliat ; sed fortitudinem induit qua illos componat, in qua agendi ratione omnibus diebus vitæ suæ progredietur. *Os* præterea suum, & linguam sapientia ac discretione, magnaque suauitate & pietate exornauit: non enim est garrula, aut ita loquax, vt verba sua in ventum proijciat, aut in alicuius tertij detrimentum; nec amaritudinem adferet, aut punget eos quibuscum aget, præcipuè domesticos sed sapienter potiùs prudenterque admonet, ac docet, quæ sint illis facienda; & qua ratione lex ipsa DEI, quæ clementiæ & charitatis lex est, sit seruanda: ita vt ad inuicem charitatem & pietatem sibi ostendant. Quod vt exactiùs præstet, *semitas* considerat domus suæ, diligenter examinans vitam, actiones, & negotia, quæ gerunt, qui in illa versantur : reprehendit corrigitq; malum, quod in eis animaduertit, remouet illis occasionem, qua euaderent mali; fouet additque illis animum ad omnia, quæ, vt boni euadant, sunt necessaria; indecens enim iudicat, quòd non satis ad munus suum attendens, panem frustra comedat: præit semper exemplo suo bono; ne domestici sese excusent, si dominam suam otiosam, aut malum aliquod exemplum præbentem videant.

7. *Fructus virtutis quadruplex.*

FINEM denique fortis huiusmodi mulieris excellentijs imponit Spiritus sanctus referens *fructus* huius vitæ adeò perfectæ, & *laudatores* ac præcones excellentiarum eius, dicens: *surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas, fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* In quibus verbis *quatuor* perfectæ coniugatæ excellentiæ insinuantur.

1. *Filius sapiens.*

PRIMA est, quòd tales nutriet, educabitque *filios*, qui sint honori matri suæ, eiusque perpetua laus. Quamuis enim hoc à diuina prouidentia, & bona ipsorum filiorum naturali propensione dependeat, vt suprà est dictum: nullus tamen ita potest eos, atque mater ipsa, iuuare: cum ipso enim lacte, bonam propensionem, bonosque mores imprimere eis potest, exercens eos ab infantia in sancto illo Dei timore, quem adulti habere debent. Sicut sancta illa Galliarum Regina *Blanca*, quæ Sancto *Ludouico* adhuc infanti dicere consueuerat: mallem te mortuum, quàm in lethale aliquod peccatum incidentem videre: adeoque exactè filius optimæ matris doctrinam hausit, vt sit eius perpetua laus.

Blanca.

2. *Vir bonus*

SECVNDA excellentia est, quod sua bona industria studioque talem suum reddat *virum*, vt semper is in eius laudibus occupetur; eum in modum, quo Sancta *Monica* virum suum gentilem, & morum difficilium ac asperorum valdè, exemplari vitæ suæ sanctitate & inuicta patientia ita permutauit, vt

Monica.

ad fi-

dem conuerteretur, moresque indueret moderatiores: qui postea nunquam destitit virtutem extollere Sanctæ suæ vxoris; fœlicemque suam prædicare sortem, quòd eam duxisset.

3. *Vicinarum laus.*

HINC *Tertia* oritur perfectæ mulieris excellentia, vt ob suas virtutes ita reliquas *mulieres* supergrediatur, vt ipsæmet eam laudent; eiusque mores & egregia facinora prædicent. Aliæ mulieres communes, diuitias aliquas temporales: sed hæc in eo omnes excellit, quod etiam *spirituales* in maiori copia, quàm aliæ, acquirat. Reliquæ laudari quærunt à bona gratia, & corporis pulchritudine: sed vana est fallaxque talis gratia, & nugæ sunt, quæ fumi instar euanescunt: vera autem laus est, quod *timeat* DEVM; seque virtutum pulchritudine exornet.

4. *Præmium laboris.*

VLTIMVM denique, quo omnes eius excellentiæ quasi obsignantur, illud est, quod fortis & Sancta mulier *fructus manuum suarum*, bonorumque suorum laborum recipiet *præmium*, non in *hac* vita solùm, sed etiam in *futura*: nam in *hac* vita donis cœlestibus ditabit illam DEVS, & *fructibus* satiabit Spiritus, quos Apostolus vocat *charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem: bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, & castitatem*: propter quos fructus laudabitur in occulto, & in publico; & in medio platearum, vbi de alijs murmuratur, quia præclara & insignia eius facinora cogent illos ad benè de illa loquendum, eamque laudandam. In *altera* autem vita copiosissimis *gloriæ* gradibus remunerabitur: & in nouissimo *iudicij* die laudabitur ab ipso DEO, eiusque Angelis coram omnibus hominibus: manifestabuntur enim in omnium conspectu præclara eius opera: quæ omnes iudicabunt digna esse, quæ æternùm laudentur. *Gal 5. 22.*

§. II. *Prædicta confirmantur exemplo Ruth.*

Ruth.

PRÆDICTA hactenus licet confirmare exemplo venerabilis *Ruth*, in qua excellentiæ prædictæ eluxerunt, quas Salomon attribuit matri suæ Bethsabee, laudans in ea reliquas mulieres fortes, inter quas Ruth nostra est merito numeranda, vt de ea meritò dicere liceat: quod fuerit vna ex mulieribus fortibus & strenuis huius mundi, & quod a *proculac de vltimis finibus* fuerit *pretium eius*. Deduxit enim illam Deus è Regione Moabitide, eius verò pretium & valorem aperuit in terra Israel tanquam gemmæ ex Oriente allatæ. *Confidit in ea cor viri sui* ob magnam securitatem, quam de rara eius virtute habuit: propterea enim illam duxit, dicens: b *scit omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis*. Quid autem est mulierem esse *virtutis*, nisi

1. a *Pro. 31. 10. De longinquo venit.*

b *Ruth. 3. 11. Mulier virtutis.*

fortem

fortem esse, & strenuam? mulierem notissimæ virtutis valdeque probatam, cum qua vir eius contentus esse possit, valdeque securus. Nam si ipse magnis eam fauoribus & gratijs præuenit, ipsa animum adeò gratum semper ostendit, vt *reddiderit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ*: nam quæ tantam gratiarum actionem ostendit, vt vidimus, pro fauore & studio erga se, cùm spicas in eius agro colligeret cum puellis eius: quantam putanda est gratitudinem ostendisse, quando eam fecit earum *dominam*? non fuit Ruth quales esse solent mulieres infimæ sortis, quæ cùm viris nobilibus nubunt adeò insolescunt, vt eas nemo ferre possit: qualis fuit illa *Agar*, quæ cùm esset ancilla Sarai, quæ præcipua erat Abrahæ vxor, quando Abraham eam tanquam, *secundam* vxorem (quod tunc licebat) accepit, ita se illa erexit, vt c *dominam suam despiceret, ac despectui haberet*, nec posset intra suos limites contineri. At *humilis* Ruth semper humilitatem & modestiam suam retinuit, amplexa Sapientis consilium, dicentis: d *quanto magnus es, humilia te in omnibus*: ac propterea *coram Deo inuenit gratiam*, & coram viro suo iuxta votum suum.

Grata.

c *Gen. 16. 5.*

Humilis.

d *Eccl. 3. 20.*

2. *Diligens.*

SED quid de eius solicitudine ac industria dicemus circa *laborem manuum suarum* & vigilam, qua de *nocte surgebat, ad dandam prædam domesticis suis*, pensumque assignandum *ancillis*: cùm enim huiusmodi laboribus ac diligentiæ addicta fuisset tempore paupertatis suæ, facilè illi fuit eandem rationem tenere, etiam cùm se diuitem & abundantem cerneret: *humiles* enim etiam cum sortis suæ mutatione bonos & honestos suos mores non mutant aut deserunt: & quæ prius laborabat, vt suam sustentationem compararet; laborat etiam postea, ne sit *otiosa*, & vt suis domesticis bono sit *exemplo*; & sic animum eis addat, ad suam dominam imitandam; inde enim prouenit Bethsabee Salomonis matri, vt esset adeò operosa, & ad minutula quæque se se applicaret, etiam cùm esset Regina, quemadmodum ipse eius filius hic de ea refert. Priùs enim fuerat Vriæ pauperis cuiusdam militis vxor: quando autem facta est Regina, eò quòd Regi Dauid nupsisset, non est oblita industriæ ac *diligentiæ* suæ domesticæ, quam priùs in sua paupertate adhibuerat.

3. *Iob. Misericors.*

MVLTO autem minus oblita fuit Ruth misericordiæ, & *miserationis*, quæ videbatur secum nata & *creuisse*. Quæ enim, cùm pauper esset, adeò erat misericors, vt quod suo labore acquirebat, diuideret cum socru sua: postquã se vidit diuitem, & abundantem, quomodo credenda est, *aperuisse manus suas*, vt eleemosynam faceret *inopi*, *& palmas suas extenderet ad pauperem*? nam quæ experientia didicit, quid sit esse pauperem; si postea se diuitem cernat, compatitur pauperibus, eorumque necessitatibus subuenit, sicut ipsa cu-

pie bat,

piebat, cùm pauper esset, diuites subuenire suis. Talis, inquam, non existimat satis esse, vt vnam tantùm palmam extendat, sed *vtramque*; & vtraque manu liberalem eleemosynam facit: magnæ fælicitati suæ tribuens, quòd possit cuicunque miseriæ subuenire, sicut Deus ipsius miseriæ subuenit: & cogitans, propterea fortasse Deum eduxisse ipsam ex paupertate, quòd viderit adeò propensam ad eleemosynas erogandas. *Misericordia ditat.*

ET quis non existimet, DEVM direxisse matrimonium illud inter BOOZ misericordem & Ruth etiam misericordem, & coniunxisse virum ad eleemosynas faciendas propensum, cum vxore eandem habente propensionem, vt vterque simul & vnà in eis erogandis se exercerent? nouit DEVS huiusmodi coniunctiones facere, vt eleemosynæ vtraque manu liberaliùs erogentur: & maritus eas faciat per manus vxoris, & vxor viri manus ad eaſdem faciendas alliciat; & impellat. Sic enim ipse vir redditur clarior, & nobilior ob insignem vxoris suæ virtutem: sicut Salomon dixit, *nobilem* esse *in portis virum eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Quamuis enim Booz ex se habuerit insignem nobilitatem inter senes & iudices ciuitatis: eadem tamen creuit plurimum ob coniugium quòd iniit cum muliere adeò prudenti & virtuosa. Cui optimè competit, quod omnes illi ciues dixerunt, optantes, b *vt* illa *esset exemplum virtutis in Ephratha*; quod significat *terram* valdè *fœcundam* ac frugiferam: *& haberet celebre nomen in Bethlehem*, quod significat *domum panis.* Domus enim misericordium coniugum est *Ephrata* quædam, & *Bethlehem*, in qua egentes panem inueniunt; & fructus, qui in ea sunt, colligunt: ex quo nomen eius fit valdè celebre, & ab omnibus benedicitur, quia ipsamet eius opera illam laudant ac benedicunt, sicut apparuit in nostra Ruth, cui etiam illud aptare possumus: *date ei de fructu manuum suarum, & laudent eum in portis opera eius.* Nam in portis ciuitatis Bethlehem innotuit eius virtus, & opera eius fuerunt promulgata; ibique dedit ei DEVS fructum manuum suarum, remunerans bona eius opera fælicibus adeò euentis. *Dei prouidentia.* b *Ruth.4.11.* *Misericordia illustrat.*

SVRREXERVNT, inquit, *filii eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam.* Quis enim maior fuit virtutum ipsius Ruth prædicator, quàm ipsemet Booz vir eius? tales enim erant illæ, vt ab omnibus prudentibus laudari mererentur. Et quamuis nonnisi vnicum habuerit filium, at ille pluribus præstitit. Nam & mulieres vicinæ dixerunt Noëmi: *multò tibi melior est*, Ruth, filius, *quam si septem haberet filios*, quasi præuiderent, illum progenitorem futurum illustris domus & familiæ Regis *Dauid*, & cæterorum Regum Iuda vsque ad Iesum Christum Seruatorem nostrum, Regem Regum, & Dominum dominantium. Qui etiam hanc suam progenitricem laudat, beatamque prædicat, cùm voluit heroicas eius virtutes in libros sa- *Ruth.4.15.*

cros referri; vt in tota Ecclesia *militante* propter eas laudaretur, ac prædicaretur: sicut etiam nunc est in Ecclesia *triumphante*, in qua cum ipso Saluatore, qui ex eius genere ortus est, regnat in æternum.

CAPVT XII.

CONIVGES POSSE EXCELLENTEM PERFECTIONEM consequi, mortificatis nimijs rerum huius vitæ affectibus: certisq; temporibus orationi incumbendo.

Tract. 1. c. 7. QVAMVIS matrimonij status cæterorum legis Euangelicæ sit *imperfectissimus*: potest tamen in eo *altissima* obtineri perfectio eorum, qui sunt in statibus perfectissimis. Nam (vt supra est dictum) gratia DEI non est reuera statibus alligata: & stupenda sua efficacitate solet interdum statuum imperfectiones supplere, & heroicam sanctitatem ei communicare, qui est in statu imperfecto, quemadmodum fecit in lege antiqua cum multis viris coniugatis; qui exemplar esse possunt, & speculum religiosorum, quales fuerunt Abraham, Iob, Moyses, Dauid, & sancti alij Patriarchæ, Prophetæ, & Reges. Et quamuis in lege noua emineat magis status Continentiæ & Religionis: tamen etiam in statu *matrimonii* fortissimi fuerunt martyres, sanctissimi Confessores, clarissimi Reges, aliæq; personæ heroicarum valde virtutum, & etiamnum sunt multæ valdè insignes, quæ ad supremum Christianæ perfectionis culmen perueniunt per *duo* illa media efficacissima, quæ ad id nobis suppetunt, MORTIFICATIONEM scilicet, & ORATIONM: ascendendo (vt ait sponsa) a *ad montem myrrhæ*, ad eam colligendã, quæ in matrimonij statu est plurima; & inde pergendo ad *collem thuris*: quia mortificatio illos impellit ad orationem, & hæc eosdem iuuat, vt benè ipsis mortificatio succedat: ad quam inprimis eos exhortatur Apostolus, dicens: b *hoc dico fratres: tempus breue est: reliquum est, vt &, qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Quibus verbis summatim insinuauit Apostolus necessaria omnia consilia ad moderandos & reprimendos affectus ad personas, & res statibus suis annexas: in quarum *moderatione* propria illorum perfectio consistit. Quæ tamen monita siue documenta & inchoat, & finit Apostolus,

a *Cant.* 4. 6

b 1. *Cor.* 7. 29.

positis

positis sententijs *breuitatis* huius *vitæ*, & *mundi vanitatis*, cuius pulchritudo & figura exterior magna velocitate præterit, & summa breuitate finitur. Nihil enim adeò homines continet ac frenat, atque quod ad oculum videant, omnia sibi finiri in *morte*; & ipsum matrimonium ac reliqua ipsi coniuncta *breuissimo* tempore duratura: finem verò bonæ vitæ fore *æternum*.

§. I. *Coniugum mortificatio.*

PRIMVM Apostoli consilium est, vt coniuges mutuum inter se amorem, & erga filios, ac cognatos, *ratione* moderentur. Et hoc intelligit, cùm dicit: *qui habent, tanquam non habentes sint*, vt ita scilicet viuant ab amore carnis sensuali remoti, & expediti, vt ille eos non impediat, aut retrahat ab obsequio Dei, magis quàm si coniuges non essent, aut filios non haberent. Is, ait S. Gregorius, vxorem habet, quasi non haberet, qui nunquam eius gratia aut amore aliquid mali facit, nec rectitudinem deserit puræ suæ intentionis: & ita carnis curam suscipit, vt ad spiritus gaudia suspiret. Omitto gradum illum altissimum habendi vxorem quasi non habeatur, cùm scilicet coniuges ipsi *continentiam* seruant, sicut S. Ioseph & Beatissima Virgo; S. Chrysanthus, & Sancta Daria, alijq; similes: nam hoc consilium rarissimum est: & alias sufficit amorem ipsum & carnis desiderium valdè mortificatum habere, & prudentiæ regulis adstrictum: vt scilicet contenti sint, quod matrimonij debitum soluant, cum illis circumstantijs, quas dictat ipsa ratio: & abstinendo ad tempus (vt ait Apostolus) propter fines, de quibus paulò inferiùs dicemus.

1. *Amor mundi moderatus.*

3. p. Past. Admonit. 28. cc *Continenter rari.*

SECVNDVM consilium est, vt studeant, tristitiam & lachrymas in huius vitæ aduersitatibus moderari, quales sunt paupertas, ignominiæ, mores improbi, morbi, filiorũ mortes, alijq; infælices euentus, qui præcipuè solent coniuges vexare: & hoc est *flere quasi non flerent*. Flentes scilicet, & tristitiam sentientes in huiusmodi casibus, quia hominum est eos sentire, siquidem S. Iob dixit: a *nec fortitudo lapidum fortitudo nostra, nec caro nostra ænea est*: ita tamen flere debent, vt, quæ ad obsequium diuinum spectant, non impediantur, aut retardentur: sed seipsos consolentur, cogitantes, *brem* fore finem eius planctus, & calamitatis temporalis: venturam verò quietem & fælicitatem *æternam*: sibi etiam persuadentes, DEVM esse, qui in rebus *temporalibus* eos premat, vt proficiant in *spiritualibus*.

2. *Luctus moderatus in Aduersis.* a Iob. 6. 12.

HVIC consilio tertium coniungitur, vt & *lætitiam* & gaudium ex huius vitæ prosperitatibus moderentur, vt *qui gaudent quasi non gaudentes sint*, tali scilicet moderatione gaudeant, vt non declinent in leuitatem aut superbiam, & aliquo modo sit causa diuinam legem transgrediendi: sed me-

3. *Lætitia in prosperis temperata.*

Dies nox succedit. To.1.tract. 2.c.10.

minerint, quemadmodum auersitates citò transeant, ita etiam prosperitates pertransire. Cùm igitur aliæ alijs succedant: affectus, quem hæ in anima faciunt, moderandus ac temperandus est memoria eius, quem efficient illæ, cùm succedent: vt sic sint ipsi vtrisque superiores, quemadmodum suo loco dictum est.

4. Desideria frenentur.

QVARTVM consilium est, vt etiam affectum moderentur ad ea, quæ cùm non habeant, habere tamen *desiderant*, quod insinuatur verbis illis: *qui emũt tanquam non possidentes sint*, quod est dicere, si in id laborem impenditis, vt aliqua temporalia bona ad vestrę domus ac familiæ sustentationem acquiratis, id facite corde quodam à cupiditate alieno, atque si talia bona non pro vobis ipsis quæreretis: ita vt eorum acquirendorũ causa, etiamsi vtilia valdè aut necessaria videantur, nullum peccatum admittatis. Simili autem modò querenda vobis sunt *officia* ac dignitates Reip. ac reliquarum rerum huius mundi: animo inquam puro & expedito, ab inordinato earum amore: nullis etiam malis medijs adhibitis, imò neque ea habere ac possidere velitis, nisi in eum finem, vt cum illis Deo inseruiatis.

5. Vsus moderatus.

HVIC affine est *vltimum* consilium, ad moderatum scilicet & accommodatum rerum, quæ iam possidentur, vsum, *vtentes*, ait Apostolus *hoc mundo* rebusque omnibus, quas ille in se complectitur, *quasi non vtentes*. Perpendit autem egregiè S. Thomas, quod non dixerit Apostolus: *qui fruuntur* hoc mundo: sed *qui vtuntur*, nam frui hoc mundo in proprio huius vocis FRVI sensu, est proprium hominum peccatorum, qui vltimum suum finem in rebus huius vitæ collocant; DEVM deserentes, vt eis frui liceat, dicentes, quod refert Sapiens: b *fruamur bonis, quæ sunt.* VTI autem mundo, est, res eius tanquam *media* applicare, ad consequendum *finem*, in quem illæ sunt destinatæ: & hoc est proprium *Iustorum*, qui, vt maiorem consequantur perfectionem, ita illis vti debent, ac si non vterentur, corde inquam adeò expoliato & expendito ab earum affectu, vt parati sint abstinere ab eis, & à se abijcere, quandocunque DEO ita placuerit; & ad præstandum, quod ille iubet, aut fuerit ita conueniens: ita vt neque ad eas conseruandas, nec vt eis vti possint, in præcipuo illo capite deesse velint, quod ad animæ suæ salutem, ac DEO placendum pertinet. Memores illius Christi Domini sententiæ: c *quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.* Cuius hic est sensus: si *animam* tuam pro omnibus huius *mundi* rebus simul sumptis ita commutes, vt pro eis acquirendis, aut conseruandis eam perdas: quem fructum in die Iudicij inde habebis: quando supremus iudex te secundùm

Impij mundo fruũtur.

b *Sap.2.6.*

Iusti rite vtuntur.

c *Mat.16.26*

Anima impar mundo.

tua

tua opera est iudicaturus? Nam, si hæc *iniqua* fuerunt, nullam ipse rationem ducens bonorum mundi, quæ acquisisti, possedisti. condemnabit te ad æternos ignes. Cùm igitur adeò velociter *pratereat figura huius mundi vtere eo, quasi non vtereris.* vt in nouissimo illo die Deus remuneret fidelia tua obsequia æterna felicitate & requie. Accipe S. *Iob* tanquam exemplar, cui conformis esse studeas, par eum enim, vt suprà est dictum, status hic significatur. Is enim *vxorem* habuit tanquam non haberet; *flenit*, quasi non fleret; *gauisus* est, tanquam non gauderet; *emit* tanquam non possideret; *vsus* denique est hoc mundo, tanquam non vteretur. Cuius rei sufficientem fidem facit, quòd cum Deus abstulit illi *filios, sanitatem, honorem & omnia* eius bona, id totum admiranda patientia tulerit, conformans se voluntati Domini, qui ea dederat & abstulerat. Et propriam *vxorem* ad impatientiam ipsum impellentem viriliter reprehendit, ostendens quàm puro amore, & ab inordinato affectu expedito eam amaret, siquidem multò plus Deum, quàm ipsam diligeret. quare illi dixit: d *quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala cur nõ suscipiamus.* e *Dominus dedit Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* O Virum supra virum, coniugum exemplum, parentum ideam, ac diuitum exemplar, quem nec prosperitas arrogantem: nec aduersitas pusillanimem fecit, aut diffidentem; nec amor filiorum illum retraxit ab eis purificandis per sacrificia, dum viuerent; nec effecit, vt propter eorum mortem, pacem pristinam amitteret. Notissimæ sunt heroicæ virtutes, quas in sui status *prosperitate* exercuit; ob quas prædicatus fuit, & ab ipso Deo laudatus; f *cui non esset similis homo in terra*: quas tamen virtutes multò magis cõfirmauit ijs, quas tempore *aduersitatis* exercuit: vt ex ijs intelligamus, etiam in statu imperfecto posse vitam esse valdè perfectam, fauente ad id gratia diuina, quæ in Matrimonij Sacramento Coniugibus Euangelicæ Legis confertur, vt cum maiori suauitate efficacitate obtinere possint *sanctitatem*, quam insignes legis antiquæ coniuges obtinuerunt.

S. Iob moderatio.

d *Iob.* 2. 10.
e *Ca.* 1. 21.

f *Iob* 1. 8. *S. Iob ambidexter.*

§. 11. *Coniugum exercitium Orationis.*

MORTIFICATIONI prædictæ coniungendum est exercitium *orationis*: quod non erit adeò difficile. si *duo* illa impedimenta, quæ huic statui sunt alias annexa, reformata sint ac temperata, quæ S. Apostolus a *solicitudinem* ac *diuisionem* appellat. Nam coniugati sunt sicut Martha, de multis rebus *solliciti*, & in multas curas *diuisi*, vt mutuò sibi placeant, suæque familiæ non desint. At mortificatio prædicta, hæc remouet impedimenta: quæ non tam oriuntur ex rebus, quæ possidentur, aut desiderantur, & quæruntur, quàm ex nimio cordis ad ea affectu: quare, hoc mortificato, cessabit turbas & anxia solicitudo; ipsaque diuisio reduci poterit ad b *vnum necessa-*

a 1. *Co.* 7. 32. *Sollicitudo & diuisio impedimenta orationis.*

b Luc. 10. 24.

c 1. Pet. 5. 7

Dei prouidentia.

d Tob 6. 18. & c. 8. 4.

Duplex matrimonium.

Hom. 20 in Ep ad Ephes Coniuges simul orent.

e Mat. 18. 19

Sanctitas & Charitas.

Oratio quotidiana.

f Ps. 118 164

g Ps 54 1.

h Eph. c. 18.

i 1 Tim 2 8.

rium, ad placendum scilicet soli Deo in omnibus, quæ facient, aut desiderabũt: *prouicientes* (vt ait S. Petrus) *in eum omnem solicitudinem* status ac familiæ suæ, *cui cura est de omnibus*, & cuius prouidẽtia cõiugatos protegit, sicut continentes. Quare cum eius auxilio & fauore licebit illis Deum sine impedimento certis diei temporibus orare. Vt videre licet in ijs, quæ duo illi Sancti Tobias & Sara fecerunt, nam Raphaelis Angeli consilium sequentes, *tribus* primis noctibus nuptiarum, quibus aliàs iuuenilis concupiscentiæ ardor, vehementior esse solet, nouerunt se ipsos mortificare, & concupiscentiam domare & ex cubiculo, in quo dormiendum erat, locum orationis facere: dicente sancto illo iuuene sponsæ suæ: d *Sara, exurge, & deprecemur Deũ hodie & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte in nostro erimus coniugio*: quid autem hoc aliud est, quàm *duplex* matrimonium distinguere, alterum *animarum* spirituale, alterum *corporis* carnale? Et *primum* esse cum Deo, quod contrahitur per amorem & orationem, quod etiam præcedere & comitari debet *secundum*, vt felicem sortiatur exitum, si priùs Spiritu coniungantur cælesti sponso, à quo puritas omnis, & animarum sanctitas prouenit; vt ipse det conuenientem corporibus puritatem, & virtutes heroicas, quæ corda purificant. Sed magnum latet mysterium, quòd Sacer textus de duobus his Sanctis Coniugibus subdit: *Surgentes instanter orabant ambo simul*: est enim singulare donum & felicitas, vt vterque coniunx SIMVL conueniat ad hæc animæ exercitia suo tempore facienda, ita vt (quemadmodum ait S. Chrysostomus) *sint preces communes*, vtrique scilicet, vt vnà ad Ecclesiam se conferant, aut in proprium Oratorium recipiant. Si enim, cùm alter vult orare; alter garrire velit, aut ludere: neuter contentus & quietus esset. Si autem vterque cum bono Spiritu consentiant: alter alterum in oratione accendit, seseque mutuò iuuant, ad perseuerandum in ea; & exaudiuntur à Deo, & ab eius misericordia protegũtur ac defenduntur: ipse enim dixit: e *si duo*, cum voluntatum concordia & vnione *consenserint super terram omnem rem quamcunque petierint*, obtenturos *à patre cœlesti*, eò quòd *ipse* Christus *sit in medio eorum*. Quid autem præcipuè petendum illis est, nisi vitæ *sanctitas*, & in vnitione *charitatis* perseuerantia, donec eò perueniat, vt sit æterna.

AD hoc igitur necesse est, *quotidie* exercitium orationis continuare, ita vt neque curæ, neque occupationes huius status in causa esse possint, vt exercitium adeò nobile, & vtile deseratur. quemadmodum Sanctus ille *Rex*, qui etsi curis & cogitationibus vxorum, filiorum, & familiæ, & magni etiã regni occuparetur; semper tamen tempus inueniebat, vt f *septies in die laudes diceret Deo*; & g *vespere, & manè, & meridie narraret, & annuntiaret* mirabilia eius. Et Apostolus eosdem exhortatur, *ad orandũ* h *in omni tempore, in omni*

loco,

loco, & cum *magna instantia*; & *abstinendum ex* mutuò k *consensu ad tempus*, vsu matrimonij, *vt vacent orationi*. quale esset tempus præcipuorum festorũ, Aduentus Domini, & Quadragesimæ, quibus temporibus plures horæ meritò huic exercitio darentur; & seipsos aptiores redderent mortificatione delectationis aliàs licitæ, excitantes in se fiduciam in Deum, quòd sic possint ad sublimitatem montis *myrrhæ* & collis *thuris* peruenire: quemadmodum Moyses, Dauid, alijque magni sancti in eodem statu constituti ascenderunt. Refert quoque plurimum orationis exercitium, ad pericula euadenda, in quibus versantur. Nam teste S. Basilio, quò quis magis immersus est mũdo, eò magis indiget vigilia & oratione; eò quòd maioribus periculis circumdetur, & à pluribus tentationibus impugnetur. Cùm igitur occupationes curæque temporales sint magis importunæ, necesse est ad orationẽ recurrere: vt solatium aliquod in Deo accipiatur, & lux cœlestis ad emergendum ex illis obtineatur. Quemadmodum S. Hieronymus cuidam matronæ cõiugatæ consuluit, dicens: ita *domus* tuæ curam gerere debes, vt etiam *animæ* tuæ aliquam accipias quietem. Quæras tibi conuenientem aliquem locum à familiæ strepitu aliquantò separatum, ad quem tanquam ad portum, curarum tempestatem fugiens, te recipias. In quo tantùm esse debet rerum diuinarum lectio, oratio continua, & rerum alterius vitæ cogitationes adeò solidæ ac firmæ, vt hoc temporis spatio ab occupationibus vacuo respires, & quasi compensationem occupationum reliqui temporis diei recuperes. Nec hoc tibi dicimus, vt à regiminine tuæ domus te abstrahamus: sed potius vt ibi discas & cogites, quomodo te in ea gubernatione gerere debeas Hæc S. Hieronymus. sed quoniam de hac virtute alijs in locis fusiùs est actum, imponamus hic finem allato Apostoli cõsilio, quòd cùm *tempus* promerendi *sit breue*, & *figura huius mundi* velociter *prætereat*, Coniugati in rebus hisce temporalibus ita versentur, vt non amittant æternas; sed studeãt magna vitæ spiritualis incrementa acquirere per media, quæ proposuimus. Nam vt S. Chrysostomus dixit) si quis matrimonium contraxerit, istaque obseruauerit, non multò minor illis erit, qui solitariè viuunt; neque inferior erit Coniugatus non Coniugatis: consequetur enim & amplectetur substantiam & perfectionem virtutum, quæ sunt aliorum propriæ.

(**)

k 1. Cor. 7. 5.

Abstinentia

ser. de Abd. rum. secularas plus orent.

Ep. ad Celãt

»
»
»
»
»
»
»
»

Æterna cogita.

CAPVT

CAPVT XIII.

QVA RESIGNATIONE CONIVGES VIDVITATEM à Deo immissam accipere debent, & status huius bona.

Viduitas à solo Deo.

EX morte alterius coniugum oritur status VIDVITATIS, cuius illa est excellentia singularis, quòd in eum ingressus sit ab omni deceptione liber & expeditus. Ordinariè enim nullus ad eũ accedit ex propria electione & voluntate, sed consilio ac prouidentia Dei, in cuius manibus est vita & mors: qui vt Coniuges matrimonio coniungit; ita alterius morte illos separat, relinquens superstitem liberum ab onere & obligatione, qua altero viuente tenebatur. Quamuis enim *diuisio* hæc grauis non sit illis Coniugibus, qui *non benè* inter se conueniebant, quorum vita est ipsa morte grauior, ob animorum dissensionem: illis tamen, quibus in matrimonio *bene* est, semper hæc diuisio est valdè amara, nec aliud solatium maius habent, quàm quòd Deus ipse illam fecerit, absque cuius prouidentia non eueniunt mala pœnæ, vt alio loco dictum est.

Siccine separas amara mors? Tom. 1. Tract. 5.

Ex hoc fundamento deducere possunt Coniugati, quàm debeant in hac ab inuicem disiunctione, cum voluntate diuina conformitatem habere, innitentes *tribus* præcipuis rationibus, vni scilicet ex parte ipsius *Dei*, diuisionem hanc facientis; alteri ex parte coniugis *morientis*; tertiæ ex parte *superstitis*. Sapientia enim ac prouidentia Dei ita omnia dirigit in bonum suorum electorum; vt tam vita, quàm mors in eorum cedat lucrum. Ideoque cùm alterum coniugum accipit, & alterum relinquit: non est minùs vtilis *mors* morienti, quàm sit ipsa *vita* remanenti: *morte* enim prohibet torrentem præteritorum peccatorum; &, quem minabatur, futurorum; finem imponit tentationibus, periculis, miserijs, vitæque huius mortalis calamitatibus, offerens *æternæ gloriæ possessionem*, aut *pignus* certum ad eam perueniendi. Ideo enim dixit Sapiens: a *iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, diuina enim prouidentia in tali occasione eius mortem esse voluit, vt illi esset transitus ad æternam requiem. Quis igitur mortem non acceptet, in quacunque hora venerit, si viuam hanc fidem habeat, quod paterna Dei prouidentia eam ad eius dirigat vtilitatem? quod si necesse est Coniuges aliquo tempore ab inuicem separari: quodnam aptius censendum est eo, quod constituit & præscribit Deus? qui infinita sua sapientia nouit amicitiam inter ipsos non fore ipsis vtilem, si diutius pro-

I.

Dei prouidentia.

Mortis commoda. a Sap. 4. 7.

Tempora in Dei potestate.

trahere

traheretur; & quoniam amor etiam in cœlo perdurat, estque vehementior ac solidior, qui eo præcedit, operam dabit vt alteri obtineat, vt suo tempore ad eundem *locum* perueniat: sicut etiam qui superstes est, per Sacra, Orationes, & Eleemosynas, iuuat & à Deo impetrat, vt qui mortuus est, ad suam *requiem* citiùs perueniat.

Coniuges post mortem se inuicem iuuent.

Deinde morte alterius coniugis probat Deus alterius fidelitatem & resignationem; qui si verè *fidelis* est Deo, eique se *resignauit*, merirò acceptare debet mortem sui socij cum humilitate, & sine querelis: sed gratias potiùs aget ob tempus, quo illum superstitem in hac vita habuit; & agnoscet, fatebiturque non facere ipsi iniuriam, qui repetit, quod ad tempus sibi placitum, commodauerat. Rationi etiam consentaneum est, pluris facere diuinæ prouidentiæ consilia, quàm proprium solatium. Et cùm Christus Dominus Noster dicat: b *qui non odit suam vxorem, eum non posse esse ipsius discipulum*, ac proinde, neque eam quæ non odit virum suum; exuendo, vti dictum est, cor suum à nimio erga eum amore; & paratam promptamque se exhibendo ad socium suum, quando Deo ita placuerit, relinquendum: par est, id totum opere ipso ostendere, quando mors aduenerit: corde valdè resignato, dicendo, quod dixit Iob: c *Dominus dedit* mihi hunc socium, & *Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen eius benedictum* in æternum. Cogitet qui superstes est, dici sibi à Domino quod in simili alio casu dixit Ezechieli: d *fili hominis*: *ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ. Ingemisce, tacens, mortuorum luctum non facies*, & mox subdit: *mortua est vxor mea vespere: feciqùe mane, sicut præceperat mihi.* Ex quo colligit Sanctus Hieronymus, quòd Deus vxorem Ezechielis appellauerit *desiderabile oculorum eius*, quia nihil magis vir amat, quàm bonam & prudentem vxorem, cum qua Deus ipsum coniunxit. & nihilominus: quãdo Deus illã aufert, debet vir ita eius ordinationi acquiescere, vt non plangat, aut nimia alia externa signa edat hominum impatientium, & parum resignatorum. Quia sufficiens solatium illi esse debet verbum illud: ecce *ego tollo à te*, ego, inquam, Deus tuus, ego pater tuus, ego qui eam tibi dederam. Ego accipio quod magis meum est, quàm tuum. Et quamuis hoc sit *in plagam*, & in pœnam, non tamen est in tuum vel illius damnum; sed quia ita ego statuo ad vestram vtilitatem. Sufficere autem tibi debet, quòd mihi ita placeat, vt & tibi arrideat; & ne plangas, aut nimium tristeris.

b *Luc.* 14. 26

c *Iob.* 1. 21.

d *Ezech.* 24. 16.

Deus facit viduos.

Hvc accedit, quòd Christiani Coniuges (vt ait Apostolus) non debent e *contristari sicut cæteri* gentiles, *qui* nec fidem *nec spem habent* resurrectionis, vitæque æternæ; sed mutuò se ipsos consolari illa spe simul se in cœlo videndi cum maiori amore, quiete, & gloria, quam in terra habuerint

c 1. *Th.* 4. 12

Moderatus luctus.

buerint. Sed quoniam humanus sensus impediri non potest, dixit Deus Ezechieli: *ingemisce tacens*, hoc est, ita prudenter ac temperatè ingemiscas, vt ex ore tuo nec verbum prodeat querelarum, murmurationis, aut impatientiæ: quod si quà verba proferes, da operam, vt sint ad glorificandum ipsum DEVM, gratiasque agendas, quòd ita tecum egerit, dicens: f *non mea voluntas Domine fiat, sed tua.* Ego, Domine, vnum eram cum ea, quam mihi sociam dedisti; per cuius mortem media pars mei ipsius extincta est: reliquam mediam partem, quæ supereſt, tibi offero: sicut de illa fecisti, quod volebas, ita de me fac, quod volueris, tanquam de re tua.

f Luc. 22. 4

Tom. 1. Trac. 1. c. 4. Mortui viuos inuitant.

HINC etiam commodum educit Dominus ex *morte* alterius Coniugis, monetur enim alter, quòd sit mortalis; & citò ad futuram horam, qua & ipse moriatur; ac proinde vitæ suæ emendationem & feruorem acceleret: persuadens sibi, mortem alterius (vt supra dictum est) vocem esse Dei, qua illum excitat, & impellit ad hoc, vt feruens sit & in Dei obsequio constans: Cumque potuisset æquè ipsum è medio auferre, sicut abstulit alterum vtatur ipse hac occasione in finem, quem Deus quærit.

5.

HIS considerationibus temperandæ ac moderandæ sunt tristitiæ ac desolationes, sicut fecit magnus ille Patriarcha, *Iacob* qui etsi tenerrimè diligeret vxorem suam Rachel: cùm tamen illa, occasione partus è vita decessit, non edidit extrema illa tristitiæ indicia, quæ in alijs casibus: sed potiùs, cùm mater filium g *vocaret Benoni, id est, filium doloris mei*: ipse *pater appellauit eum Beniamin, id est filiũ dextræ*: quia in toto illo euentu agnoscebat potentem Dei manum; non quamcunq; sed *dextram*, quæ indicat bonam fortunam: neque enim aduersa sors esse potest, quæ à tali prouenit manu. Quamuis autem natura, mortis socium *dolorem* sentiat: gratia tamen, *misericordiam* de manu Dei eam inferentis agnoscit. Quæ manus *blanda* est ergà electos, quamuis aliquibus *grauis* esse videatur. Noluit etiam infantem *filium doloris* appellari, ne ipsum nomen perpetuum quoddam excitatorium esset doloris & fletus, quem mors matris ipsi attulisset, in quo dolore, vt supra diximus, terminus & moderatio adesse debet, quamuis ex morte dilectissimæ alicuius personæ ortum habuerit. Iuxta illud Ecclesiastici: h *filium mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium*, & receptam consuetudinem *contege corpus illius, & non despicias aut negligas sepulturam illius. propter delaturam autem*, vt scilicet ex domo auferatur, *amarè fer luctum illius vno die, consolare propter tristitiam*, ne ab ea absorbearis: *& fac luctum*, sine luge *secundum meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem*, ne dicatur, quòd eum non amaueris, *ne dederis in tristitia cor tuum: sed repelle eam a te: & memento nouissimorum, nec obliuiscaris* mortis tuæ: *neque enim est conuersio*, nam tuis lachrymis mortuum non poteris

Iacobi moderatio & prudentia.

g Gen. 35. 18

h Ecc. 38. 16

reuoca-

reuocare: & tua nimia triſtitia *huic* mortuo *nihil proderis, & teipſum peßimabis. A triſtitia enim* nimia *feſtinat mors*, & *cooperit* conſumitque *virtute, & cordis flectit ceruicem*, frangitque robur, cogita mortuum audire dicentem: *memor eſto iudicii mei; ſic enim* breui *erit tuum: mihi heri & tibi hodie. Conſolare illum in exitu ſpiritus ſui, & in requie mortui requieſcere, fac memoriam eius*, ne euaneſcat, ſed perpetuò duret.

Hæc Spiritus ſanctus per os huius Sapientis, quæ magnis documentis ſunt referta, vt cum diſcretione ac moderatione fletus fiat ob illorum mortem, quos valdè diligimus, declinatis tamen *duobus* extremis: altero eorum, qui Stoicorum more; nec gemunt, nec ſenſus præbent indicium: quaſi religioni tribuentes, ſi contrà faciant, cùm tamen magnam præbeant occaſionem contra ipſos murmurandi, ob neglecta amoris indicia in mortuum. Alterum extremum eſt eorum, qui flent nimium abſque *defuncti* vtilitate, & cum detrimento *proprio*: proijcientes (vt vulgo dicitur) funem poſt vrnam amiſſam, & periculo ſe exponentes ob nimiam ſuam triſtitiam moriendi cum eo, qui moritur. Medium autem inter hæc duo extrema tenendum eſt, flendo ſcilicet *vno vel duobus diebus*: hoc eſt conuenienti tempore, iuxta merita defuncti, & amorem ac obligationem, qua illi obſtrictus eras; & iuxta detrimentum, quod domui tuæ, aut Reipub. ex eius morte euenit, ob præclaras eius dotes.

Extrema vitanda.

Medium ſeruandum

Cogita autem & agnoſce, veram amicitiam in eo eſſe poſitam, vt illi, in extremis laboranti aſſiſtas, conſolando & animando eum, vt cum tranquillitate & ſolatio moriatur. Hoc eſt enim quod ait: *requieſcere fac memoriam illius*, ſpe ſcilicet bonorum æternorum: recipiens in te curam rerum eius temporalium; & maximè, quæ ad animam pertinent: imò & ſepulchri, in quo aliquid colloces, quod eius memoriam referat, ac exprimat, eum in modum quo i *Iacob erexit titulum ſuper ſepulchrum Rachel*, pyramidem ſcilicet, aut magnum alium lapidem, in quo eſſet *titulus monumenti Rachel*, vt eius memoria ſemper ibi permaneret; aut quod ſuadebat Tobias: k *panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtituendo*: vt hac oblatione memoriam eius conſerues eiusque animæ benè facias iuuando eam, vt à Purgatorio expedita, citiùs ad æternam cœli requiem perueniat.

i *Gen.* 25. 20 *Vera amicitia erga mortuos.*

k *Tob.* 4. 18.

§. I. *Bona Viduitatis.*

Propositis hactenus rationibus ſolatij, & illam addere licet, quæ oritur ex ſtatus viduitatis præſtantia: nam matrimonio per alterius Coniugis mortem diſſoluto, ſtatus ſuccedit viduitatis: qui ob continentiam, quam profitetur excelſior eſt ſtatu matrimonij, iuxta illud Apoſtoli: a *quæ ſub viro eſt mulier viuente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus*

a *Rom.* 7.

b 1.Co.7.39

fuerit, vir eius, soluta est a lege viri, vt cui velit: nubat. b *Beatior autē erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*, vt tale consilium dare possim. Idem autem intelligendum est de viro, mortua eius vxore.

Nuptiæ secundæ licitæ.

QVIBVS verbis *duas* veritates certissimas tanquam solida quædam fundamenta huius argumenti iecit Apostolus: *prima* est quod mortuo altero Coniugum, alter: qui superstes est, maneat ita liber, vt, si velit, licitè & liberè possit secundum contrahere matrimonium, sicut primum contraxit: nam solutis primis nuptijs nunquam Christus Dominus Noster, nec eius Ecclesia prohibuit secundas; & eadem ratione nec tertias, nec quartas, & reliquas quæ eadem ratione succederent. Imò idem Apostolus expressè dixit: c *viduis*, non sentientibus in se virtutem & talentum ad se continendum, c *vt nuberent. Melius est enim* (inquit) *nubere, quàm vri.* & viduis iunioribus, quæ versantur in periculo incontinentiæ, consulit, vt d *nubant*, nisi continentiæ voto se obstrinxissent.

c 1. Co. 7.9.

d 1. Ti. 5.14

Viduitas melior.

SED hoc periculo è medio sublato, locum habet *secunda* veritas certissima, quòd ex se sit res glorioſior ac perfectior non adire secundas nuptias, sed per totam vitam in viduitate & continentia permanere. Quia hoc est magis conforme voluntati Dei, qui primum vinculum dissoluit: nam licèt liberum eis reliquerit, alio vinculo se ligare, quasi carnis imbecillitati compatiens: simul tamen eandem libertatem illis reliquit, vt non transeuntes ad secundas nuptias recentis virtutis materiam haberent, qua renunciarent voluptatibus, quas prius fuerant experti: quamuis ad easdem pro suo libitu redire liceret. Deinde, cùm dicit: beatiorem fore viduam *si sic permanserit*, insinuat propter temporaneam voluptatem, cui renunciat: obtenturam ipsam Spiritualem aliam multò excellentiorem. Et (vt Sanctus Hieronymus ait) quò fructus sexagesimus trigesimum excedit, vtpote duplo minorem; eò viduitarum status præcellit statum Coniugum, qui est multò minus perfectus. Et quamuis soleat viduitas *duplicatos* habere labores, tum ob carnis pugnas: quia graue illi est ab expertis voluptatibus se continere; quarum memoria torquetur: tum propter afflictiones ac desolationes quas adfert secum solitudo, & humana desertio: sed duplicatis hisce laboribus duplicata etiam præmia respondent in hac vita, & futura: in hac enim vita liberat eas DEVS à grauissimis matrimonij oneribus & simul eis fauet, tribuens Spiritus voluptates ac delicias, quæ cum statu virginitatis sunt coniunctæ, de quibus excellentijs ac meritis fusius agemus in Tomo sequenti. Ecclesia etiam ipsa semper ijs fauit, qui secundas nuptias non admittunt. Et viri, qui ad eas transeunt manent cum Nota *Irregularitatis*, aut inhabilitatis ad statum sacerdotalem, & reli-

Li. 1 contra Iouinia.

Viduæ labor duplex & præmium.

quos

quos ordines illum præcedentes, iuxta illud Apostoli: e *vnius vxoris vir*: eò quòd degenerarint à perfecta matrimonij significatione, vnione scilicet vnius Christi cum vna Ecclesia, cùm enim sacerdotium sit status adeò excelsus ac purus, non sunt digni, qui ad illum admittantur, si indicia dederunt exiguæ adeò continentiæ, ad secundas transeuntes nuptias, & secundò ligãtes se vinculo, quod iam Deus semel dissoluerat. Et eadem ratione viduæ, quæ in primæua Ecclesia ad templi seruitia admittebantur, eandem conditionẽ habere debebant: ita enim Apostolus: f *vidua eligatur, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*, ac proinde quæ bis nupsissent, tanquam parum continentes, ab illis officijs excludebantur. Ne autem veræ viduæ pauperes ac desertæ ad secundas nuptias transirent, vt suæ paupertati consulerent, vehementer commendabant Apostoli, vt magna earum cura haberetur, ac propterea Apostolus discipulo suo Timotheo, qui Episcopus erat: g Vidvas (inquit) *honora, quæ verè viduæ sunt*: exhibens eis (vt S. Thomas declarat) *duplicem* honorem, quem Deus iubebat parentibus exhiberi; debitam scilicet *reuerentiam*, & *alimenta* necessaria ad vitæ sustentationem; ne animo deficiant; & videntes, se præteri ac deseri, retrocedant. Vidua (ait S. Ambrosius) non quærat rationes, vt repetat nuptias. Nam si dicis te esse *solam*: castitas solitudinem quærit; Christusque se comitem tibi præbebit. Si dicas, deesse tibi *intercessorem*, qui tua apud Iudicem agat negotia; & vereri te aduersarium, Deus erit tuus Iudex, aduocatus, & intercessor: is zelabit legem quam tulit, vt magna ratio habeatur causarum pupillorum & viduarum. Dices te non habere *patrimonium*: bonum patrimonium est continentia, quæ magis absoluta Domina est, eius quod habet, quàm sit cõiugata. Si dicas te *filios* habere, ac proinde aliquo indigere, qui te in eorum educatione iuuet: ne tamen dicas, sic te consulere liberis, quibus matrem eripis. Si proprios habes hæredes, cur alios quæris? attende, importunã esse pietatem, timere primi mariti filios amare; & occasionem esse discordiæ amorem, quem ipsa natura indidit. Quid autem est alios filios generare, nisi spoliare priores officijs pietatis, & necessitatis subsidijs? quod si dicas te filios *non* habere, ac propterea velle iterum nubere, vt habere possis: vndè scis, id tibi in secundo matrimonio euenturum, quod in in primo non contigit? siue quod Deus tibi eos *deneget*, siue quod semel datos *auferat*: puniendo te aut sterilitate, aut orbitate. Hæc summatim ex S. Ambros. cuius mens & intentio nõ fuit, secundas nuptias damnare; sed exhortari viduas, ne absq; graui necessitate eas ineant; sed liberatatem suam seruent, in quam Deus illas asseruit: vt omnem cogitationem & curam, quam vt marito placerent; adhibeant; nunc adhibeant, vt placeant sponso cælesti, familiariter cum eo per exercitia orationis agendo, vt proximo capite dicetur.

e 1. *Tim.* 3. 12. *Bigamiæ irregularitas.*

f 1. *Tim.* 5. 9

g 1. *Tim.* 5. 3 *Viduæ honorandæ.*

Li. *de viduis & S. Hiero. epist. ad Furiam* c. 4.

Tentationes contra viduitatem.

Viduitas suadetur, non praecitur.

CAPVT XIV.

QVAS VIRTVTES POTISSIMVM COLERE DEbeant viduæ, vt ſui ſtatus perfectionem acquirant.

QVAMVIS ſtatus viduitatis viris & mulieribus ſit communis, propria tamen eius perfectio multò magis eminet in *mulieribus*, vt quæ ferant, quòd eius ſtatus eſt grauiſſimum, & laborioſiſſimum; ideoq; tam Apoſtoli, quàm Sacri Doctores ad eas dirigunt omnia perfectionis documenta, quæ de hoc argumento tradunt, præcipuè verò Apoſtolus Paulus, qui *duo* genera viduarum diſtinguit, quaſdam appellans *verè viduas*; quarum vita conformis eſt perfectioni ſui ſtatus; aliàs verò quaſi nomine tantum vidua s appellat, dicens: *vidua quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt*, quaſi dixerit: nomẽ habet viuentis, ſed opera mortuę; viuit enim quoad corpus, ſed quoad animam eſt mortua; viuit in ſpecie & forma exteriori, habitum geſtans ſanctitatis, ſed interius coram DEO mortua eſt. Cùm enim poſt viri ſui mortem debuiſſet & ipſa carnis voluptatibus mori, ad eaſdem reuerſa eſt, mortem ſubiens ſpiritus.

Vidua duplices.

1. *Tim.* 5. 5. 6

Mortua.

HINC autem alia ſequuntur vitia huiuſmodi viduarum propria *Sunt enim* (ait Apoſtolus) *otioſæ*, recreationibus addictæ, & laboris hoſtes: *diſcunt circuire domos, non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ loquentes quæ non oportet*: à domo enim in domum viſitandi cauſa tota die diſcurrunt: & hæc vna cogitatio illas occupat, quo nunc, quo paulò poſt domo exeuntes ſint ituræ. *Garrulæ* ſunt, & libenter ludicra & leuia loquuntur; otioſis verbis tempus totum terentes: ſunt & *curioſæ* in aliorum vitis inquirentis, & cognoſcendis in iudicando & ſuſpicando malè de proximis: loquentes de eis quæ non expedit: nam quidquid in corde ſuo ſuſpicantur, leuiter & imprudenter per os effutiunt. Denique viduitatis ſuæ prætextu eleemoſynas extorquent, quibus delitiosè viuant, expenſis patrimonij Chriſti, quòd verè pertinet ad pauperes: ac deniq; eò perueniunt, vt nubere velint, *irritam facientes primam fidem*, & votum quo ſe obſtrinxerant non nubendi. Has igitur S. Apoſtolus falſas viduas, aut fictas & mortuas appellat: quia nihil viduitatis habent, quàm *habitum externum*: & vtinam illum aliquando non mutent, ſicut illa vidua *Thamar*, de qua ait Scriptura, quod *depoſitis viduitatis veſtibus*, induit meretricias, vt cum Iuda ſocero ſuo ignota coiret: & ſimiliter illa *Iezabel*, quæ cùm eſſet vidua, *depinxit oculos ſtibio, & ornauit caput ſuum*, vt Iehu in Regem electum ad ſe alliceret. Nam quæ malis huiuſmodi moribus

Otioſæ.

Vagæ.

Garrulæ.

Curioſæ.

Tandem meretrices.

Gen. 38. 14.

4. *Reg.* 9 30.

ſemel

semel est imbuta, tardè illos exuit, eò quòd sint valdè radicati. Sed omnipotentia DEI quando vult efficacitate suæ gratiæ omnia potest, omnia reformat, ac mutat. Euangelium enim meminit cuiusdam viduæ Samaritanæ, quæ *quinquies* nupsisset, & vltimò habebat quendam non virum proprium, sed adscititium. Cui tamen Christus Dominus aquæ suæ viuæ guttam vnam obtulit, qua in momento totum ignem eius concupiscentiarum extinxit: fecitque eam magnalium suorum promulgatricem, & prædicatricem.

4. *Cum Samaritana reuertantur.*

§. I. *Oratio & occupationes viduarum.*

2. *Vera.*

HÆC diuina gratia est, quæ facit *veras* viduas, & perfectas, mundoque & carnis voluptatibus mortuas, vt Christo viuere & spiritus delicijs affluere valeant. Hac gratia pugnas tentationum vincunt, memoriam rerum præteritarum abolent, & transferunt ad æternas: fecerunt enim ex necessitate virtutem, commutantes nuptias carnales cum spiritualibus; & viri amorem in Amorem IESV CHRISTI veri sui sponsi. Et sic se faciunt ipsis Virginibus pares. Nec exigua (ait Sanctus Ambrosius) earum laus est, quod Apostolus eas virginibus æquiparauerit, cum dixit: *mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu*, quasi dixerit, eandem sanctitatem & corporis animæque puritatem, quæ virgines ornat, etiam viduas exornare, cùm vtræque expeditæ sint ab oneribus matrimonij.

Lib. de viduis.
1. Cor. 7. 34.

1. *1 Tim. 5. 7. Irreprehensibiles.*

QVARE ante omnia studere debent viduæ iuxta Apostoli sententiam, vt *irreprehensibiles sint*, vitamque ducant inculpatam, nihil facientes, quod DEVM offendat, aut *homines* scandalizet; vtrumque enim hoc illis incumbit: & præcipuè, vt faciant quod DEO placet, & mox quod etiam ab hominibus approbetur, propter DEI amorem. Hoc autem præstabunt, si *quatuor* illa vitia falsarum viduarum, quæ supra diximus, detestentur. Inprimis igitur horreant *otiositatem*; dentque operam, vt benè semper occupentur, ne tentator otiosas vnquam illas inueniat: attendant tum ad exercitia pietatis in animæ suæ vtilitatem: tum ad domestica negotia, educando benè filios, si illos habent, & reliquam familiam aptè gubernando, & manuum aliquod opus faciendo; ne *circumeant* per plateas & domos, sed ament recollectionem & solitudinem; DEVM in angulo domus quærentes; nec absque necessitate domo exeant, nisi aut in templum, aut in locum, de quo nulla possit oriri suspicio, idque in causa aliqua iusta. non debent esse *loquaces* aut garrulæ, sed silentij amantes: non *curiosæ*, aut se in aliorum vitas inferentes, sed simplices, ad propriam tuam tantum attendentes: vt bona illa

Non Otiosæ.

Vagæ.

Garrulæ.

sit; nec

Curiosæ.

sit; nec murmurantes de alijs, aut occasionem dantes, vt alij de ipsis murmurent.

2. *1. Tim. 5. 5. Orationi dedita.*

PRÆCIPVVM autem earum exercitium esse debet ORATIO, de qua S. Apostolus: *quæ verè vidua est, & desolata, sperat in Deũ, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die*: quòd est dicere: ipsamet desolatio ac desertio eas inuitat, vt fiduciam suam in Deum, qui viduarum maritus, & desolatarum consolator, ac desertorum protector est, collocent. Intelligant, eodem die, quo Deus illis maritum & solatium abstulit, se ipsum in locum mariti & consolatoris succedere voluisse: velle tamen rogari, & importunis orationibus inuitari, ob ingens bonum ex eisdem illis prouenies. Cùm igitur vidua à matrimonij curis sit expedita, prematur verò innumeris necessitatibus, à quibus, vt se expediat, vires habeat valdè debiles, exercitium eius maximè continuum & familiare esse debet ORATIO, in qua studere debet, vt maximè emineat; quia ex tali fonte consolationem hauriet, leuamen, & remediũ, omneque animæ & corporis bonum, quod ad suum solatium desiderare possit; familiariter agens cum Deo, qui delectatur eam ad huiusmodi secum consuetudinem admittere. Perpendit hoc mirabiliter S. Augustinus, scribẽs ad viduam quandam nomine Probam: Concerta (inquit) in oratione vincere hoc sæculum, ora in spe, ora fideliter & amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi. Quamuis enim ad omnia membra eius, hoc est, ad omnes, qui in eum credunt, & eius corpori sociantur, sicut docuit, orare pertineat, specialiter tamen diligentior cura orationum in scripturis eius *viduis* inuenitur iniuncta. Nam *duæ* fuerunt *Annæ* honorabiliter nominatæ, vna *coniugata*, quæ S. Samuelem peperit; alia *vidua*, quæ Sanctum Sanctorum, cùm adhuc infans esset, agnouit. Orauit & coniugata in dolore animi & afflictione cordis, quia filios non habebat: tunc ipsum Samuelem impetrauit, & acceptum Deo reddidit, quia cùm posceret, nouit. Sed oratio eius quomodo ad orationem illam dominicam pertineat, non facilè reperitur, nisi quia in eo quod ibi positum est libera nos à malo: non paruum malum videbatur, & nuptam esse, & fructu carere nuptiarum, cùm sola excusset nuptias procreandorum causa filiorum. De illa verò Anna vidua vide quid scriptum sit. Quia non discedebat de templo ieiunijs & obseruationibus seruiẽs nocte ac die. Nec aliunde Apostolus, quod & supra commemorauit: *Quæ autem verè vidua est*, inquit, *& desolata, sperabit in Domino, & persistet in orationibus* nocte ac die. Et Dominus cùm *semper ad orandũ, & non deficiendum* nos hortaretur; *viduam* commemorauit, quæ licèt iniquum & impium iudicem, ac Dei & hominum contemptorem ad audiendam causam suam assiduè interpellando conuertit. Quam ergò præ cæteris viduæ debeant vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quòd omnibus ad suscipiendum

Epist. 121. cap. 16. Et 1. & 2. ea.

1. Tim. 5. 5. Luc. 18. 1.

orandi

orandi ſtudium, de viduis propoſitum eſt exhortationis exemplum. Quid autem in hoc operis genere in viduis electum eſt, niſi *deſtitutio* & deſolatio? Quapropter ſi ſe omnis anima intelligat in hoc ſæculo deſtitutam, atq; deſolatam, quàm diu peregrinatur à Domino, profectò quandam viduitatẽ ſuam Deo defenſori aſſidua & impenſiſſima precatione commendat. Ora ergo vt *vidua* Chriſti, nondum habens eius conſpectum, cuius precaris auxilium. Et licèt ſis ditiſſima, ſicut *pauper* ora. Nondum enim veras futuri ſæculi diuitias habes, vbi nulla damna formides. Licèt habeas filios & nepotes numeroſamq; familiam, quod & ſupra dictum eſt, ſicut *deſolata* ora: incerta ſunt enim omnia temporalia, etiam vſque in finem vitæ huius in noſtram conſolationem manſura. Tu autem ſi ea, quæ ſurſum ſunt, quæris, & ſapis æterna, & certa deſideras, quæ quam diu nondum habes, etiam ſaluis omnibus atque obſequentibus tuis tanquam *deſolatam* deputare te debes.

Deſolatio facit orare.

Omnis homo deſolatus.

HÆC ſunt S. Auguſtini verba quibus viduam illam, quæ & filios & nurus, magnasque diuitias habebat, exhortatur, ne à continua ORATIONE deſiſtat, quæ ſtatus eius adeò propria eſt: quamuis nec ſolitudinem, nec deſtitutionem haberet, qua aliæ vt plurimum laborant, nam qui mundum hunc adeò præcipitem ac periculis plenum incolit; ſemper ſe debet ſolum ac deſtitutum reputare. Quamobrem tota hæc in orando diligentia neceſſaria eſt ad conſeruandam continentiam, & tentationibus contra eam inſurgentibus reſiſtendum: vt ſuo loco dicemus.

3.

Delitijs abſtinent. Lib. de bono viduit. c. 16.

PROPTER eandem cauſam valdè expedit viduis abhorrere à blanditijs, quas Apoſtolus delicias *appellat*; tam in veſtibus, quàm in cibis & ornatu domeſtico. Cùm enim nuptæ erant, oportebat ſe in his omnibus *virorum* voluntatibus conformare: at nunc (ait S. Auguſtinus) ſolùm ſe debet conformare cum voluntate DEI; nec aliud curare, quàm, vt ipſi placeat. Chriſtiana vidua (ait S. Fulgentius) cur debet animam ſuam vinculis huius mundi alligare? ſiquidem, viro ſuo mortuo, ita ſe gerere debet, atque ſi & ipſa mortua eſſet. cùm igitur cauſa ceſſauit curatum huius ſæculi: par eſt eiuſdem cogitationes ceſſare. Et quemadmodum antea *corpus* ſuum ornabat, vt *viro* placeret, qui corporis eius pulchritudine delectabatur: ita nunc *ſpiritualiter* ornare ſe debet, vt *Chriſto* placeat, qui in ſpiritus pulchritudine ſibi complacet. *Veſtimenta* igitur tua talia ſint, vt non ad libidinem, ſed ad continentiam potius excitent; non cum diſſolutione relaxent, ſed cum timore coërceant; quæ carnis concupiſcentiam non foueant, ſed reprimant, placeantque filio Dei: exhibendo te caſtam & puram in oculis diuini tui ſponſi, carnem tuam deſiderantis non ſplendentem: ſed pallidam: complacet enim ſibi in pulchritudine animæ, quæ corporis caſtigatione obtinetur. Comedant *carnes* (ait S. Hieronymus) quæ carni ſeruiunt, quæ

Veſtes quales? Forma.

Ieiunium. maritis alligatæ, generationi & liberis dant operam: Tu verò, quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud, nisi perseuerare in ieiunio, cùm dicat Apostolus: *viduam quæ in deliciis est, viuentem esse mortuam*, ignaris enim & insipientibus viuere videtur; sed Christo, qui etiam occulta videt, mortua est.

§. II. *Prædicta confirmantur exemplis Sanctarum Viduarum.*

Iudith. OMNIVM quæ diximus, præclarum licet videre exemplum in sancta *Iudith*, de qua diuina refert Scriptura, quòd cùm esset iuuenis & a *eleganti aspectu nimis, ac prædiues, cui vir suus reliquerat diuitias multas ac possessiones*, illa castitatem amauit: & amplexa est viduitatem: ordinando vitam suam valdè religiosè: *nam in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur*, quare nõ circumibat hinc inde per ciuitatem, sed domi suæ clausam se continebat: & neque in ea nimia libertate & laxitate sese effundebat: sed elegit sibi habitationem in superiori parte domus, tanquam magis quieta, & ab ipso domestico strepitu expedita, & in eam habitationem, quam Scriptura *Oratroium* vocat, sese ad orandum, & familiariter cum Deo agendum, recipiebat. Cuius oratio adeò erat feruens, ac fiducia plena, tantaq; affectuum, & titulorum siue nominum copia, quæ adferebat, orans pro se, & pro suo populo contra hostes suos: vt satis manifestè appareret, Spiritum S. esse magistrum, qui illam docebat. Cùm autem Scriptura dicat, eam in cubiculo illo *morari*, satis ostendit quàm fuerit eius oratio *continuata*, siquidem vsitata eius habitatio erat in oratorio, loco scil. orationi dedicato. Cui orationi seueram ipsa *pœnitentiam* adiungebat; *duas* scil. difficiles, & molestiam adferentes, circumstantias. Adhibebat enim *super lumbos suos cilicium; & ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha*, quæ tunc erant, sicut nunc sunt dies Dominici, *& festa domus Israel.* Cùm autem orationi incũbebat, *cinerẽ* etiam *super caput suum ponebat, seq; prosternens Domino*, cum magna reuerentia *orabat.* Ideoq; meruit exaudiri, magnosq; fauores à Deo accipere.

Oratio continua.

Pœnitentia.

Zelus animarum.

HVC accedit *cura* & solicitudo, quam gerebat suarum puellarum, quas etiam secum ad oratorium deducebat, vt & ipsæ orationi assuescerent; & aliæ alias mutuo bono exemplo extimularent, ipsa duce & magistra omnium præeunte. Ardebat præterea eius pectore ingens zelus *gloriæ Dei, & vtilitatis populi sui*; ita enim sese tanquã vidua occludebat, vt cùm aduertit ingens periculũ, cui Dei honor exponebatur, ob *pactum* & promissa, quæ Sacerdotes ac Leuitæ populo fecerant, tradendi scilicet ciuitatẽ, nisi intra dies *quinque* subsidium Deus illis mitteret: illa, præmissa oratione; eaquearmata, vocauit ad se Sacerdotes, magnaque prudentia ac modestia indicauit illis

a *Iudith.* 8. 7

lis errorem, quem in eo pacto admiserant, & exhortata eos est ad fiduciam in Dei misericordiam, adferens multas rationes, adeò prudentes & efficaces, vt præsbyteri ei responderint: *omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, timens Deum.*

SED quoniã non solis verbis volebat esse contenta, quieta &, speciali, DEI inspiratione voluit eos opere, & labore suo adiuuare, & ex loco suæ recollectionis prodire, vt populũ suum defenderet, amputando Holofernis hostis populi sui infensissimi caput, ea via & ratione, quam Deus illi suggesserat: & ipsa, licèt aduerteret, se vitam suam periculo exponere, animo imperterrito ac generoso illam est amplexa: ita enim victrici dixerunt Sacerdotes, & populus vniuersus: b *non pepercisti animæ tuæ propter angustias & tribulationẽ generis tui; sed subuenisti ruinæ*, quæ illi imminebat. Sed quoniam medium hoc difficillimum ac periculosum vi debatur, voluit *Sacerdotum* approbationem, dicens: c *sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis: ita quod facere disposui, probate, si ex Deo est, & orate vt firmum faciat Deus consilium meum*, fælicem ei præbens exitum, siquidem ipse illud mihi inspirauit, quod ip si approbarunt, dicentes: *vade in pace, & Dominus sit tecum.* d *Erat* (inquit) *in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominũ valde, nec erat qui loqueretur de illa verbũ malũ.*

ET hinc est, quod quemadmodum ex Dei inspiratione ab eius ministris approbata, se illi periculo exposuit; ita DEVS ei fauerit, vt in medijs conuiuijs *temperantiam*; & inter luxuriosos *castitatem* & puritatem conseruaret; & *oratio continua* eam inter tot hostes tueretur. Quod fassa est ipsa, ac protestata, dicens: *viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem*, & inde huc reuertentem, *& non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

DENIQVE quamuis tanta esset virtute prædita, vt vidimus: illud tamen mysterio est plenum, quanti Scriptura sacra faciat eius *castitatem*, tanquam rem alioqui raram, cui *fortitudinem* attribuit ad egregium adeò facinus aggrediendum: & ita summus Sacerdos Ioachim dixit ei: f *tu gloria Ierusalem, &c. quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Et postea Scriptura ipsa concludit, eius g *virtuti castitatem fuisse coniunctam, nec cognouisse virum omnibus diebus vitæ suæ*, sed in sancta sua viduitate expleuisse *annos centum & quinque.* Venerabilem hanc viduam (ait Sanctus Ambrosius) debere tanquam exemplar sibi accipere reliquas viduas; gloriam

Fortitudo.

b *Cap.* 13. 5.

Ca. 8. 30. 34.

Obedientia

d *Cap.* 8. 8.

Dei custodia.

e *Cap.* 12. 5.

Castitas fortis.

f *Cap.* 15. 11.

g *Cap.* 16. 24.

Exemplar viduarum.

riam suam & honorem in eo ponentes, quod suæ *continentiæ orationem*, aliasque *pœnitentias* & mortificationes adiungant; sanctumq; *zelum gloriæ Dei*, bonique vniuersalis totius populi. Quamuis non debeant extraordinarijs periculis se exponere: quia factum illud Iudith non ad imitandum proponitur; sed vt admirationem & stuporem adferat, & glorificetur Deus, qui in manu fœminæ humiliare voluerit superbi illius ducis audaciam, & temeritatem.

Discretio.

Sareptana. h 3. *Reg.* 17.

Misericordia.

His virtutibus adiungere debent viduæ *misericordiam*, qua disponent se, vt à Domino accipiant ipsæ misericordiam, qui miserijs earum subueniet, quemadmodum idem S. Ambrosius confirmat exemplo illius h *viduæ Sareptanæ*, ad quam Propheta *Elias* fuit à Deo missus, vt ab ea aleretur, quæ magna charitate obtulit ei hospitium in domo sua; & ex pauxillo farinæ & olei, quod habebat panem coxit, vt comederet, quam eius liberalitatem Deus remunerauit, multiplicans miraculosè farinam & oleum, toto reliquo tempore, quo fames durauit, vt & illa & filius eius vitam conseruarent. Vt hinc viduæ discant charitatem & misericordiam exercere ex modico, quod habent: vt Deus illud ipsis multiplicet, & largiatur, quod non habent. Quod si præ nimia paupertate non habeant quod dent, imitentur saltem viduam illam, quæ duo i *æra minuta* in eleemosynam dedit: quæ adeò Christo Domino placuit, vt eam Pharisæis multò maiores eleemosynas facientibus, prætulerit: quia pluris cor facit, quàm donum: & vt S. Ambrosius ait: *nemo plus tribuit, quam qui sibi nihil relinquit*: & quoniam pauper hæc vidua dedit quidquid dare potuit, maximi fuit eius eleemosyna æstimata: nec prætereita fuit, quid ab ipso Domino fuit remunerata, qui erga misericordes est misericors, multoque ampliùs erga misericordes, qui soli ac separati viuunt, deserti ab hominibus: quales esse solent huiusmodi viduæ.

i *Luc.* 21. 3. *Vidua Euangelica. Vbi suprà.*

Noëmi.

NEC prætereamus silentio excellentes duarum viduarum NOEMI, & RVTH virtutes, quarum altera senex, altera iuuenis fuit. senex NOEMI non solum ob mortem mariti vidua, sed ob filiorum mortem orbata in aliena regione, sola ac deserta fuit: sed valdè tamen mutata: nam cum ipsa viduitate adeò vitam mutauit, vt vel ipsum nomen mutari sibi voluerit, quo nupta vocabatur: memorandam illam proferens sententiam viduarum propriam: k *Ne vocetis me* NOEMI, *id est, pulchram*, sed hoc nomen reseruetur nuptis, quæ in sua pulchritudine gloriantur; *sed vocate me Mara, id est, amaram*, quod proprium est viduarum, *quas amaritudine valde replenit omnipotens*: in qua tamen constitutæ, de necessitate virtutem facientes, valdè gloriantur. Sed quid de Ruth dicemus vidua ac iuuene, cuius virtutes iam suprà retulimus? quibus & illa additur, quod ex patria sua Moab exiuerit animo secundis nuptijs renunciandi.

k *Ruth.* 1. 20.

Ruth.

Nam

Nam cum NOEMI vtrique nurui dixisset: *ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, detq; vobis inuenire requiem in domibus virorũ quos sortituræ estis*, quia in patria mea ad quam tẽdo, *filios non habeo, vt viros ex me sperare possitis*: quasi dixerit, in regione hac vestra viros inuenire poteritis, quos non poteritis in mea: RVTH ipsa nihilominus constituit eam comitari, ac proinde decreuit, quod ex se esset, non ampliùs nubere; neque in Moab, vbi potuisset habere virum: quia eam deserebat; nec in Bethlehem: quia existimabat se ibi non inuenturam. Sed adfuit Deus admiranda sua prouidentia, vt vtriusque viduæ miserias repararet. Nam vt ait S. Ambrosius, de eisdem loquens, nescit egere optima disciplina; & bona vidua egere non nouit: quia scilicet Deus, eius protector est in hac vita, & præmium in futura in æternum. Amen.

Ex his vtcunque explicatis maneant præcipui sæcularis Reipublicæ Status. Reliquum, quod eos concernit, intelligetur ex ijs, quæ dicentur fusiùs in Tomis sequentibus, de statibus virginitatis & Continentiæ; ac reliquorum, quæ ad Ecclesiasticam & religiosam Rempublicam pertinent.

(***)

SECVNDI TOMI FINIS.

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
Hvivs Tomi.

Geneſis.

CAP. 3. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis, &c. 173 & ſeq.
24 Abraham ſenex dierumque multorum vocauit ad ſe ſeruum domus ſuæ Eliezer &c. prolixe. 444. & ſeq.
35 Abijcite Deos alienos de medio veſtri, & mundamini 243
49 Fiat Dan coluber in via, & ceraſtes in ſemita. 158

Exodi.

18 Prouide viros de omni plebe, potentes & timentes Deum. 195

Deutoron.

17 Deſcribet ſibi Deutoronomiũ legis huius. 351

3. Reg.

4 Latitudinem cordis ei dedit quaſi arenam maris. 337
7 Statuit duas columnas in porticu templi 222

2. Paralip.

19 Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium. 393

Iob.

5 Stellio manibus nititur, & moratur in domibus regis. 63
3 Si contempſi ſubire iudicium eum ſerno meo &c. 237
38 Nũquid noſti Ordinem cœli, & ponet rat. 32
39 Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum 166
40 Principium viarum Dei & quæ fecit, cum applicabit gladium eius. 134
41 Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum &c. 140
Quis reuelabit faciem indumenti Leuiathan. 152

Pſalm.

Cum peruerſo peruerteris. 22
88. Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum. 130
100 Perambulabam in innocentia cordis mei, &c. 321
In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. 163
117 Aperite mihi portas iuſtitiæ &c. 120

Prouer.

3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. 376
31 Quid dilecte mi &c. 344

Canticor.

1 Murenulas aureas faciemus tibi &c. 42
Si ignoras te ô pulchra inter mulieres 464
5 Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus. 22
6 Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora &c. 6
7 Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum. 10

Eccleſiaſtic.

7. Trade filiam tuã & grande opus feceris. 455
27 Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulat. 141
31 Beatus dives qui inuentus eſt ſine macula &c. 82
33 Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem &c. 90
49 Præter Dauid & Ezechiam & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt. 355

Iſaiæ.

1 Principes tui infideles ſocij furum &c. 341
32 Non vocabitur vltra qui inſipiens eſt princeps. 342
42 Non contendet nec clamabit &c. 297
45 Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem &c. 69
59 Indutus eſt iuſtitia vt lorica &c. 356

Ezechielis.

14 Si fuerint tres viri iſti in medio terra, Noë Daniel & Iob. 4
49 Facies hominis & facies leonis &c. 9

Oſeæ.

8 Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum &c. 27

Zachariæ.

5. Educam illud, & veniet ad domũ furis. 406
Vidi amphoram non clauſam, & talentum plumbi &c. 187
12 Aſſumpſi mihi duas virgas &c. 365
13 Partes duæ in terra diſpergentur & deficient. 136

Malachiæ.

1 Iacob dilexi. Eſau autem odio habui. 462

2 *Labia Sacerdotis custodient scientiam* 352

Matthæi.

10 *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* 254

18 *Si peccauerit in te frater tuus &c.* 250

220 *Amice non facio tibi iniuriam &c.* 295

24 *Duo erunt in agro, vnus assumetur.* 25

Vnicuique secundùm propriã virtutẽ. 35. 36

Lucæ.

15 *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam &c.* 110

17 *Duo erunt in lecto, vnus, assumetur.* 143

22 *Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos.* 136 *& seq.*

Ioannis.

5 *Non possum ego à meipso facere quicquã,* 398

1. Corinth.

7 *Tempus breue est, reliquum est, vt qui &c.* 530.

Vnusquisque proprium donum habet ex Deo &c. 58

Vidua cui vult nubat, tantum in Domino. 443

10 *Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari.* 133

1 *Christus caput viri est, vir autem caput mulieris, &c.* 321

13 *Si linguis hominum loq. & ang. charitatem &c.* 100

Ephesios.

4 *Obsecro vos vt digne ambuletis vocatione &c.* 61

5 *Viri diligite vxores vestras &c.* 492

6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore.* 231

Et vos Domini eadem facite, remittentes minas. 236

Philip.

Scio humiliari. 332

Timoth. 1.

5 *Si quis suorum curam non habet, & maximè domesticorum.* 236

Iacobi.

2 *Nolite in personarum acceptione habere finem &c.* 304

Apocalyps.

1 *Vidi similem filio hominis vestitum prodire &c.* 15

7 *Vidi equum rufum, & qui sedebat &c.* 167 93.

12. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* 128

FINIS

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS TOMI.

A.

Aaron prodigiosè electus in Sacerdotem. 40
Abraham pacificus. 306. hospitalis 315. & seq. ex mera charitate ad bellum profectus. 418. eius zelus. 360
Abraham & Lazarus diuersæ sortis, & tamen sancti & perfecti. 78
Abrahæ & Saræ nomina cur mutata. 497
Absalon pulcher, sed suo malo. 72. typus tentationi succumbentium. 156
Acceptio personarum quanta mala pariat. 303. 400
Adam quanta scientia imbutus. 487. & seq.
Adulatio ex quatuor circumstantijs vitiosa. 299
Adulterij grauitas. 471
Alæ duæ iustorum. 130
Ambitio quam noxia, 193. eius gradus. 194 & 197. remedia contra eius tentationes 200
Ambitiosi proni ad iram & cur. 217
Ambrosius quomodo electus in Episcopum. 44
Amor coniugum in quibus debet prælucere. 463
Amor prolium debet esse moderatus. 494
Amoris coniugalis extrema & vitiosa. 461
Angeli sua sorte contenti. 60. æque seruiunt diuiti ac pauperi. ibid.
Auaritia accit oculos ad lucra, excæcat ad culpas. 188
Auaritia potentiæ coniuncta similis Mercurio. 341. eius damna. 185
Auaritiæ Principum damna. 340
Aurichalcum quale metallum. 19. iustorum secularium typus. ibi.

B.

Bellicum exercitium necessarium & cur 417.
Bellum varijs prodigiis approbatum ibid.
Bona filiorum educatio S. Tobiæ exemplo ostensa. 508
Bona naturalia quintuplicia. 69
Bona aut mala corporis non sunt fortuita sed à Deo.
Bona viduitatis. 539
Bonus homo & bonus ciuis distincta 127
Booz affabilis. 228. prudens & zelosus. 259 castus & amans Deum. 455. sanctus & iustus. 456. fidelis & verus. ibid.

C.

Calamitates cur à Deo immittantur. 428. earum radices amouendæ. 427
Capilli Dei, cogitationes eius designat. 24
Caro eiusque concupiscentia primum Sathanæ instrumentum. 167
Castitas coniugalis amorem auget. 470
Caulæ iræ exterioris duæ. 216
Cautela adhibenda ne decipiamur. 259
Ceruorum industria in traijciendis aquis diuersitati statuum applicata. 8
Charitas magistra perfectionis 94 gubernatoribus necessaria. 367. aliquando ad bellum stimulat. 418. eius varia opera. 100
Christus in passione deformis. 72. in paupertate gloriatus est. 78. cur salutare prohibuerit. 129
Christi septem proprietates in quibus à bonis ciuibus imitandus, 298. & seq.
Christiani omnes nobiles. 74
Concionatores os Christi. 20
Conditiones matrimonij. 452
Confessarius Principi consulendus. 384
Coniugati non possunt ab inuicem separari. 436. debent alterutrum se laudare, 466. possunt esse perfecti 530. eorum amor quomodo cõseruandus. 460. mortificatio. 531. Oratio exemplo Tobiæ & Saræ. 534
Coniunx probatæ virtutis quærendus. 455
Columnæ duæ in templo Salomonis quid significent. 221
Consiliarij Principibus necessarij. 382. eorum numerus & qualitas. 384 talenta, 385.
Consiliarius qualis eligendus. 55

Constan-

Constantia iudici necessaria. 404
Correctio fraterna ad omnes, præcipuè tamen ad patresfamilias spectat. 248 eius modus. 250. & seq.
Correctio neglecta crudelitas est. 249
Cupiditas omnium litium causa. 309
Curiositas quam noxia, & quousque hominem deducat. D. 375

DAniel designat statum continentium. 4
Dauid absque studio doctissimus. 90 misericordia regnum obtinuit 370 ob adulterium quando & quomodo punitus. 473 eius zelus. 364
Detractatores reprimendi, cur & quomodo. 283
Deus non tenetur vires præstare ad ferendum onus quod ipse non imposuit. 6 dat inclinationem & talentum, & quæ ea sint 34. tribus modis voluntatem suam nobis manifestat. 47. cur permittat homines tam imbecilles tentari à dæmone tam robusto. 132. multa iubet & approbat, quæ tamen non habent fœlicem exitum 424. 23
Diabolus habet triplicem Rempub. 123 habet varia ferarum nomina & cur. ibid. non nimium formidandus & cur. 134 eius voluntas semper mala, sed potest s semper bona. 131. 17
Discordiæ duæ radices, ambitio & cupiditas, 305. & seq.
Diuiti quomodo viuendum. 80
Diuitum perfectio in tribus consistit. 82. timor & fiducia. 84 32
Diuitiarum concupiscentia. 181
Domus furum & periurorum vatiæ. 406
Dominorum perfectio consistit in præcipiendo. 236 est iusta, nec legi diuinæ contraria præcipere. 237
Dominis subditorum salus quærenda. 239 serui fideles & pij quærendi, 241
Duo genera tentationum, 154
Duo vitia iudicibus cauenda, 406

E.

EBrietas vitium infame, 170
Ecclesia Christiana triplicem Rempubli cam continet, 3. eius fortitudo in quo consistat. 62
Eduardi Angliæ Regis sanctitas & humilitas miraculo comprobata. 335
Electio status quàm maximè consideranda. 26
Electio ex reuelatione aut præcepto. 40
Electiones quid inficiat. 401
Eleemosynarij Dei maiores qui. 83
Elementorum pugna vniuerso magna adfert commoda. 87
Eliezer seruus Abrahæ valdè pius & prudens multa dat documenta, 447. & seq.
Episcopi stellæ Ecclesiæ. 20
Euæ curiositas & errores. 173. & seq. cur ex costa formata. 490
Exempla zelosorum. 359
Exemplum filij in parentes ingrati, eiusq; pœna. F. 516

FIdelitas duo complectitur. 264, eius comes religio. 265
Fiducia necessaria, & in Deo collocanda. 412. eius effectus. 413
Filij erga parentes quomodo se gerere debeant. 513 & seq.
Filij cuiusdam cõseruatio ab igne ob pietatem in patrem 5. 6 alterius cuiusdam pœna ob patrem malè tractatum. ibid.
Formosarum quarundã mulierum mors in scripturis cur narretur. 485
Fortitudo gubernatoribus necessaria. 408 non consistit in corporis viribus. ibid. in quo consistat 409. habet duos actus 410. quomodo excellat reliquas virtutes 411. quibus medijs conseruanda. 422 eius duo comites. 425
Fratres ad mutuum amorem tenentur, & quàm hic Deo gratus. 518. horum discordia quàm mala. ibid.
Fraudes à tribus radicibus oriuntur. 263

G.

GRatiæ variæ in bonum aliorum, 98
Gubernatores indigent cõsiliarijs. 8
Gula & libido hostes domestici. 168

H.

HVmerus significat fortitudinem in principe. 321
Humilitas duplex. 331
Humilitas Principum & Magnatum virtus necessaria. ibi.
Humilitatis duo actus præclari. 92

I.

IDola id est, peccata patrifamilias esse è domo sua eliminanda, 243
Iehu quàm prodigiosè electus in regē, 44
Iezabel pulchra sed mala, 72
Interrogationibus temerarijs quomodo respondendum. 289
Inuidia quid sit. 204. difficillimè curatur, 207 quomodo expugnanda, 208
Inuidiæ tentationes quomodo vincendæ, 203 grauitas & malitia, 206
Impij tanquam puluis sunt, 137
Iob designat statum coniugatorum. 4
Ioseph pulchritudine sua non abusus, 482 vice rex Ægypti à Deo destinatus, 30 sed opus fuit ei multa patientia, 31. quam mirabiliter eousque peruenerit, 45
Iracundia Sathanæ equus, 218
Iræ tentationes & radices, 212 remedia. 215
Isaac perfectissimum exemplum boni iuuenis, 445
Iudices in Republ. quales esse debeant, 391 quomodo erga suos officiales se gerere debeant, 40, eorum proprietates, 394
Iudicium temerarium fugiendum, 255
Iudicij substantia in quo consistat, 399
Iudicandi modus in quo consistat, 401
Iusti seculares quales, 18
Iustorum quinq; imperfectiones ob quas fauores extraordinarios non experiantur 110. duæ mensæ quibus sustentantur, 131
Iustitia principibus necessaria, 357

L.

LAudes in absentia faciendæ & quomodo, 270 in præsentia quomodo faciendæ, 273
S. Lodouici Franciæ Regis humilitas, 335
Libellus repudij a Christo abrogatus, 436
Liberalitas Reipublicæ necessaria, 314
Liberalitatis duo actus, 330
Linguæ improbæ tres, 276. quæ illarum pessima, ibid.
Linguarum varietas quotuplex & vnde, 73
Lites vitiosæ quæ, 311
Loth hospitalis, 218
Luxuria quanta mala pariat. 345. eius filiæ quomodo superandæ, 348. exercitibus pernicioſa & eur. 41

M.

MAchabæorum fortitudo & fiducia. 415
Macharij Eremitæ affabilitas. 229
Magnanimitas Principibus necessaria. 333 eius quinq; actus. ibi. terminus quis 334
Maiores in sæculari Republica qui, 225
Matthias Apostolus secretò à Deo electus, per sortem manifestatus est, 43
Matrimonium Deus instituit, 435. habet duos fines, 438 est Sacramentum 439. eius leges, officia & finis, 439. status imperfectus, 443 qui ad illum vocentur, ibid. conditiones, 452. aliæ quatenus est Sacramentum, 458
Matrimonium Patriarchæ Isaac cum Rebecca, 444 Tobiæ & Saræ exemplum curę Dei & angeli custodis circa electos 449 Ruth & Booz, 450
Memoria Principum archiuum rerum gestarum esse debet, 380
Mendacij omne genus fugiendum, 263
Meum & tuum, verba fugienda quomodo 184
Misericordia, mansuetudo & clementia principes reddunt amabiles, 370
Mors alterius coniugis cur à Deo immittatur, 536 & seq.
Mulier adultera quantū peccet, 473 & seq.
Mulieres debent esse viris subiectæ, 491
Murmuratores bilingues appellantur, 279 homicidæ, 280, ijs quomodo & quando obuiandum. N. 291 & seq.
NAbalis stultitia triplex, 185
Nobilitas carnis parum facit ad rem, 75
Nobilitas vera quæ, ibid.
Noë designat statum prælatorum, 4
Noëmi consilium quod dedit Ruth an fuerit temerarium, 455
Nox bestijs, dies hominibus seruit, 349

O.

OBedientiæ perfectæ regula eiusq; conditiones, 23
Oculorum concupiscentia radix multarum tentationum, 173. in quo consistat

Oblo-

Oblocutiones aliorum vitandæ, 457
Odiū vxoris a Christo præceptū quale 462
Officium quid sit, 4
Oratio humilis, medium ad sciendam Dei voluntatem circa statum acceptandum, 49
Ornatus exterior inimicus castitatis, 484

P.

PÆdagogi & præceptores puerorūquales esse debeant, 510
Parentes debent filijs prospicere, 454. eorū cura erga filios, 501
Patientia comes fortitudinis 415
Paupertatis sors beata. 78. non euenit homini fortuito 74 sed à Deo datur. ibid.
Perfectio Christiana superioribus necessaria, 320
Perfectio principibus & gubernatoribus difficilis 329 in duobus consistit & quibus. 350. etiam in malitia haberi potest, 416.
Perfectio & status non semper necessariò coniuncta, 4
Perfectionis specialis septem gradus, 18
Perfectionis regula, eiusq; octo excellentiæ, 231
Perseuerantia comes fortitudinis, 425
Personarum acceptio quanta mala pariat 303
Proderis quæ vestis. 15. 16
Princeps versatur inter duos bonos angelos, & quid illi eum doceant. 314. item inter duos malos, 325
Principes foris cum authoritate, domi cū affabilitate viuant. 236 debent esse populo excelsiores, & quomodo 321 & seq item debent esse perfecti. 322 humiles, 331 debent aliquando facere opera humilitatis, & quæ. 335. item tempus distribuere in tres partes, 348
Principes promissa non implentes nubes sine aqua, 266
Principes mali quantum mali operentur, 327
Præparatio contra occultas tentationes 151
Prolis generatio ex prouidentia diuina prouenit, 498
Prouidentia diuina mirabilis circa varios status. 33. circa supernaturalia. 95. circa tentationes. 123. eius bellicus apparatus contra draconem. 128. ordo quomodo tenendus. 29
Publica peccata principes debent amouere. 355
Pulchritudo non semper vtilis 72. aduersarius castitatis 480, non debet profligare sed conseruare castitatem. 482
Prudentia principi necessaria. 37. est ars benè viuendi, ibid. eius species & actus. 374. comites. 375. media. 378 obices. ibi.

Q.

QVatuor genera tristitiæ de alieno bono, 205
Quatuor documenta humilitati congrua, 305

R.

RAchel an idola coluerit, 243
Ratio & modus perfectè iudicādi, 401
Regulæ perfectè viuēdi in quolibet statu, 329
Respublica quid 1. eius perfectio fundata super duas columnas, 221
Respublica duplex. 318
Reipub. Christianæ excellentia, 1
Reipub. hospitalitas necessaria, 314
Religiones militares in Ecclesia, 419. perfectæ esse possunt, ibid.
Remedia contra tentationes ambitionis, 200.
Robami crudelitas & stultitia, 369
Ruth & Orphæ collatio, 141
Ruth cum Booz coniugium, 450
Ruth in domesticis rebus procurandis industria, eiusdemque erga pauperes misericordia. 528

SAlomon propter superbiam lapsus in publicam libidinem. 88. & idololatriam. 354
Salutatio quotidiana laudabilis 228
Sanctitas omnibus cōmunis quatuor cō plectitur. 16. habet quatuor portas. 119
Saul typus boni principis. 320. & seq.
Scientiæ cum virtutibus coniungendæ quomodo, 91
Scriptura armamentarium & torrens. 143

Securitas mater negligentiæ, 139
Secretum seruandum, quomodo, 457
Semiramidis ambitio & callida crudelitas, 496
Simeonis Stylitæ & Sali admiranda vocatio & vita, 104
Synceritas gubernanti habenda, 254
Societatis Iesu votum de non admittendis dignitatibus, 42
Socrus & nurus qua ratione pacificè inter se conuenire possint, 518
Sortes bonorum temporalium variæ, 73
Spiritus sanctus suis donis adiuuat consiliarios, 387
Status inferior non impedit perfectionem, 63.
Status sublimis requirit perfectionem, 122
Statuum varietas diuinæ Sapientiæ indicium 3. quàm necessaria, 7. 10
Subditorum salus quærenda, 239
Subditorum duo genera, ibid.
Subiectio vxorum in viros qualis, 491
Sudarium quid, 67
Superiores possunt iubendo officium aliquod imponere, 41
Susurrones bilingues, T. 282

TAlenta quomodo Deus distribuat, 35
Talentum naturale valde debile, 36
Talentum sepelientes quales, 67
Tentationes quæ sint, 124. quædam fuga vincendæ, 130. secundum martyrium confessorum. 132. cur permittantur. 137. & 140. earum cõmoda 139. duo genera. 154. ijs cur multi succumbãt & pereant. 143
Tentatio non facit hominem improbum, sed qualis sit ostendit. 144. ad eam ferendam præparare se homo debet. 147
Theodosij Imp. dictum, 353
Themistoclis dictum, 455
Tiberius Imp. eleemosynarius victus à Deo, 84
Tituli ob quos principes debent esse perfecti, 322
Tobias à pisce inuasus quid signif. 118
Tranquillitas mẽtis iudici necessaria, 405
Tres sumptus magnificentiæ, 338
Tria documẽta ad perfectionem necessaria, 350
Tristitia triplex, V.

VAsthi cur reiecta à rege Assuero, 492 & seq.
Veritas duplex, 221
Viduæ quibus virtutibus debeant esse ornatæ. 542. non debẽt nouas nuptias desiderare, ibid. earum oratio & occupationes, 539
Viduitatis status excellẽtia. 536. bona. 539. & seq.
Virtutes quædam non possunt actus suos nisi in tentationibus manifestare, 135
Vir duplici ratione potest committere adulterium, 47
Vita extraordinaria periculosa, 113
Vitæ Sanctorum similes conuiuijs magnorum dominorum, 117
Vocatio ex electione aliorum. 43
Vocationes extraordinariæ quomodo vincantur, 10
Vrsi cur deuorauerint pueros Helizæo illudentes, & non leones aut tigrides. 506
Vxor viro debet esse lilium, alijs autem spina, 46
Vxor perfecta quas excellẽtias habeat, 522
Vxor quomodo familiam gubernare, & rei familiaris argumẽta quærere debeat ibid. qua ratione diuina exercitia præstare, 535
Vxorum habitus, indumentum, & mores quidque sanctam ipsarum conuersationem boni sequatur, 525. & seq.

Z.

ZElus & eius actus. 158 principi necessarius ibid. mansuetudini coniungendus 404 eius virtus iræ affinis. 403
Zelosorum exempla circa legum custodiam, 359
Zelus Dei aduersus adulteros, 438
Zelotypiæ lex horrenda, 474
Zelotyporum cruciatus & miseria, 476

FINIS.

1757

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Christiana Per
fectione.
P. Lud. de Ponte.

Tom. I. & II.

I
671 B

Th
1437

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN